

# REGIAE SANCTITATIS ILLYRICANAE FAECVNDITAS.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro Sacri Palatij.

*A. Episc. Bellicastren. Vicesg.*

EX mandato Reuerendiss. Patris Magistri Sacri Palatij, Librum hunc inscriptum, Fæcunditatē Regiæ Sanctitatis Illyricanæ, Ioanne Tomco Marnauitio Bosnensi Auctore, collectam perlegi, nec in illo quidquam á Doctrina Catholica, Apostolica Romana, alienum, bonisvè moribus aduersum comperi, & ideò typis edendum censeo. Romæ xvj. Kal. Nouembreis MDCXXXI.

*Iosephus Maria Suaresius.*

*Imprimatur.*

Fr. Hyacintus Lupus Mag. & Socius Reuerendissimi P.F. Nicolai Riccardij, Ord. Prædic. Sacri Palatij Apost. Mag.




# REGIÆ SANCTITATIS ILLYRICANÆ FOECVNDITAS

A IOANNE TOMCO MARNAVITIO BOSNENSI EDITA.


ROMÆ MDCXXX

Superiorum permissu.


Romæ Tipis Vaticanis














# FERDINANDO TERTIO
## APOSTOLICO
VNGARIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SLAVONIÆ Ramæ, Seruiæ, Bulgariæ, Lodomeriæ, Haliciæ, &c. Regi.

# ILLYRICA TELLVS
## FOECVNDA SS. REGVM PARENS
QVORVM IMAGINES TYPIS EXPRESSAS

# MARIAE AVSTRIACAE
## VNGARIAE REGINAE
DICAVERAT

EASDEM HISTORICA VERITATE ANIMATAS
SIMILEM PROLEM PRINCIPI SVO AVGVRANDO
D. D. D. D.

*IO. TOMCO MARNAVITIO BOSNENSI, AVTHORE.*



VR tibi potiùs Rex Apostolice, quàm cuilibet alteri, ex Principibus, per amplissima regna linguæ Illyricanæ imperātibus, Illyricanæ Regiæ sanctitatis fæcunditatem offeram, eà est ratio: quià nimirùm munus oblatum, ex ijs tantùm Regnis est collectum, quibus tu maiestate sacrosanctæ Apostolicæ coronæ, post longam Auorum, Atauorumq; seriem, præsides. vt si aliter fecissem,

repetundarum iure, postulari deberem. Præterea quia cum, vbi primùm felicissimorum spōsalium inter te, & Serenissimam Reginā tuam Mariam initorum, felix fama terrarum orbem cæpit peragrare, vniuersa gens Illyrica, ex antedictis regnis in vrbe Roma, ad nationalem Ecclesiam S. Hieronymi congregata, eidem sponsæ tuæ, hanc sacram fæcunditatem imaginibus expressam, parem prolis felicitatem Regibus precando suis, Xenioli nomine, patrio more, & felicissimo fortunatissimarum nuptiarum omine, dicatam, transmiserit, suasit ratio, vt quibus votis, faustissimam posteritatis Augustæ tuæ fæcunditatem, deuota tibi perpetuò tellus, à D. O. M. exposceret, tu quoque minimè ignorares. hinc Xeniolum, historica veritate animatum, tibi Regi suo, debitæ seruitutis obsequio, censuit offerendum. quo in munere, licet stylus, modus, aliaq; eiuscemodi, minus tuam maiestatem deceat, materies tamen, vix pluribus alijs gentibus communis, facilè defectus quoscumque cōpensabit. ex ea etenim, quibus vijs Regia propago, quolibet vitæ statu atque conditione, ad immortalitatis Regna possit adspirare, regijs vestigijs habetur expressum. Teneriori namq; ætati intra Regia penetralia efformandæ, Quirinus, Hadrianus, Emericus, Irena, Cyrilla, Arthemia, Constantia, Placidia, Margarita, virginali fænore accedente, satis superq;

ratio-

rationem edocent. Coniugalis ſtatus conditionem & modum, Conſtantinus, Tiberius, Stephanus, Vladislauus, necnon Tryphonia, Serena, Helena, Licinia, Elizabetha ob oculos exponunt. Quaſcumque virtutes, pace bellove Principe dignas, qualem nempè ergà Deum, eiusq; vices in terris agentes, qualem ergà ſibi pares, vel inferiores, & denique ergà ſe ipſum Principem eſſe deceat, ex iiſdem Regibus, ea quæ alibi difficile ſit reperire, licet haurire exempla. Solitariæ vitæ inſtituta in Regia prole exactiſſima, ne longius inquiras, Iuan, Sabba, Conſtantia, Placidia, Margarita propè aderunt. Cęlibis continentiæ magiſteria, Tryphonia, Serena, Helena, Elizabetha, in primis docebunt. Normam præſtantiſſimorum Eccleſiæ moderatorum, Domitius, Probus, Metrophanes, Stephanus, & Sabba exhibent. inauditum anteà ab orbe condito coniugium, virginali candore tranſactum, Marcianus indigitat. Epiſcopum raræ patientiæ, ac pietatis, ex Imperatore, quod nulla vidit ætas, Glycerius oſtendit. Phalangem inuictiſsimam pro Chriſto Rege, Regij ſanguinis prodigam, non alia gens coget præclarius, Quirino, Hadriano, Irena, Cyrilla, Arthemia, Liciniaq; teſtibus: vt tu ipſe, & Auguſtalis olìm tua poſteritas, non niſi cum generis humani occaſu, finem habitura, intra vnius Illyricæ tuæ telluris terminos,

veræ

veræ felicitatis Regiam viam, habeatis ad æternitatis ſceptra, apertiſsimam. accedit illud quoque, quòd eiuſmodi felicitas, non eò ſolo nomine eſt tua, quo tibi fortunatiſsima ſorte, ſacræ Apoſtolicæ Coronæ Regnorum legitima ſucceſsione, & libera tuorum populorum optione, fræna debentur; ſed eo, quo ipſa ſanctitatis Illyricanæ fæcunditas, hæreditaria prærogatiua, te ſuam ſobolem agnoſcit. te etenim Diuorum Vngariæ Regum prolem certiſsimam, vti terrarum orbis fatetur, ita Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæ, Seruiæ, Thraciæ, Macedoniæq; Principum poſteritatē legitimam, non ambigit, dum eos omnes connubijs viciſsim perpetuis, Vngaricis Regibus iunctos agnoſcit. Philippos porrò Decios, Probos, Diocletianos, Licinios, Valentinianos, Marcianos, Glycerios, Tiberios; Marcum Iulium Valerium, Aurelium Flauium Conſtantinum, Auguſtorum omnium maximum & ſanctiſsimum, ſanguine atque affinitate attigiſſe, nomina & prænomina eorumdem, Iulij Marci, Aurelij, Flauij, Conſtantini, maximo Conſtantino, eiusq; gentilibus communia, omnē ſubmouent ambigendi cauſam. Conſtantinum autem gentis tuæ conditorem extitiſſe, præter animi, corporisq; omnium tuorum gentilium dotes, à tot ſæculis, ipſum ſanctiſsimi Principis exemplar, perpetuò præſeferentium, ipſimet in ea tellure progeniti, quæ Vrbem à Conſtantini

poſte-

posteritate, vtpotè in eadem à declinatione Romani Imperij dominante, Constantiam idcircò adhuc appellatam, sub tuorum sceptris cõtinent, facilè coniectare concedunt. tùm quia nullus qui tuæ familiæ Augustalem antiquitatem, maturiori stylo prosequitur, aliunde natales eius, quam ex antedicta tellure educit; tum quia Iustiniani magni Romani Imperatoris infantiæ institutor, eiusdemq; vitæ & maxima ex parte, Imperij scriptor, Illyricis Bogomilus, Latinis & Græcis Theophilus, apud Nicolaum Alemannum in notis ad Procopij fragmenta appellatus, Constantini posteros, suo tempore supra Rheni fontes, intra Italiæ, Germaniæq; fines, longè à turbis superstites fuisse, potestate in vicinas gentes claros, est author. vndè perpetua, fataliq; Illyricæ gentis felicitate contigisse reor, vt licet à trecentis & vltra annis Augustalis amplitudo, tamquam hæreditarium patrimonium, ad tuos longo postliminio, ad Constantinianã videlicet prolem, redierit; sedem tamen supremæ potestatis, sacrumq; gentis penetrale, intra Illyricos limites, Atavi tui constituerint, & teneant. hinc & venerandum ætatibus omnibus gentile cognomen desumptum, ad posteros transmisere. Austriam enim, Pannoniæ Illyricanæ prouinciæ portionem, nullus est qui nesciat; adeò vt quamuis Germanicis moribus, sermoniq; iam popula-

riter assueuerit, nihilominus tamen, vt alia à Germania, tellus, prærogatiua suffragiorum, in sacri Romani Imperij Comitijs ferendorum, omnibus Germanicis prouincijs communi, abdicetur perpetuò, suæq; priscæ iuncta maneat Illyricæ origini. Fruere igitur Illyricæ gentis serenissimo cælo, quot sanctis viris, tot syderibus frequentato: fruere Regiæ sanctitatis Illyricanæ fæcunditate, omni potiori iure tua, simulq; & sceptrorum tuorum tutelari numine, & posteritatis Augustæ propagandæ omine, atque auspicio; Illyricæ denique pietatis, ergà te, tuamq; sacram gentem obsequioso argumento. Romæ Nonis Februarij 1631.

EMI-

# EMINENTISS. ET REV.MO
## PRINCIPI
# FRANCISCO
## S. R. E. CARDINALI
## BARBERINO.



IO. TOMCVS MARNAVITIVS BOSNEN.
S. P. D.



ROMANA lege pridèm cautum, & longo sæculorum vſu receptum eſt: Vt cedat arbor telluri, in qua coaluerit. qua ratione, Arbor Regia ſanctitate Illyricana fæcunda, tibi cedat eſt neceſſe; quippè quæ in tellure tuæ ſingularis ergà me beneuolentiæ ſata, aura tuæ humanitatis, & rore benignitatis coalita; nunc demùm munificentiſsima liberalitate, lucem agnoſcit. verùm tu Romana ſinceritate idem agis, quod cum arboribus olim è Perſide & Ceraſunto, in Romanam tellurem tranſplantatis, egerunt ipſi Quirites: vt enim ij, in ſua tellure licet, præfatas arbores ad huc vſque, feliciſsimè renaſcentes, Perſicas, & Ceraſas, dici volunt & haberi, ita tu Arborem Regia ſanctitate Illyricana fæcundam, illius Principis nomine, iubes dici & haberi, ex cuius genere, & ſolo, primos ortus accepit: at ne te Quiritum more id agere potiùs, quàm generoſo pectore, curis Apoſtolicis excultiſsimo, Rex Apoſtoli-

cus perſuaſum ſibi habeat, eſt in cauſa pius ille tui pectoris affectus, quo inter omnia Christiani orbis regna, Vngaricæ ſacræ coronæ populos, ſacer ipſe Senator complecteris, quo, vt innumera alia argumenta miſſa faciam, ijdem populi, non ſolùm in Vrbe, in qua alter Atlas, magni Patris onera ſubis, ſed in remotiſsimis quibuſque Vngariæ partibus exiſtant, te beneficentiſsimum patronum, & patrem experiuntur. quo eo, quo Vngariæ in priſtinum ſplendorem reſtituendæ, deſiderio flagras, Vngarici generis decus, Vngaricæ patriæ præſidium, Vngaricæ Eccleſiæ ſummum Antiſtitem, Petrum Pazmanum, inter Eminentiſsimos ſacri Senatus Patres, te agente in primìs, veneratur Vngaria. quo in tui Muſæi penetralibus, tanquàm omnium Vngaricorum Regum compendium, Matthiam inuictiſsimum, è carcere ad Regnum elatum, nobili pictura ſpectandum exhibes. quo denique, quali amore & obſeruantia, ipſummet Regem Apoſtolicum, tu Apoſtolici Senatus decus præcipuum, proſequaris, officijs ergà auguſtiſſimam ſuam ſponſam; nuper Eccleſiaſticas ditiones peragrantem, Regio ſplendore, totius Europæ teſtimonio declaraueris. interìm dum modum præbes, quo Regi meo, iuxtà diuinum præceptum, vectigal nomine meæ gentis perſoluam, tibi, quo nullus plura mihi, in ratione dati & accepti, communicauit, (vt ad noſtros Philippenſes teſtatur de ſe Apoſtolus) Fœnus hoc qualecumque, iure gentium, pendam, patiare. diù Reip. Chriſtianæ bono vale. Romæ ex ædibus Cincijs, Nonis Februarij 1631.

# IOANNI TOMCO MARNAVITIO

## IOSEPHVS MARIA SVARESIVS Præpositus Auenionen.



*Annoniæ, Mysiaq; arces, ac Illyris ora,*
*Quamq; celer gelidi Strymonis vnda rigat;*
*Florentes studijs olim pietateque claros,*
*Et celebres belli laude tulere viros;*
*Ignoti plerique iacent, & nomina, et alta*
*Facta tot Heroum, nox tenebrosa premit;*
*Quos Scytha non potuit patrijs sepelire ruinis,*
*Obuoluit densis nubibus ipsa dies;*
*Eloquij pennas quò fama concitet ignem*
*Sed mouet Assyria Tomcus ad instar auis;*
*Nubila discutiens lumen pereuntibus affert*
*Ciuibus, antiquum restituitque decus;*
*Ingentes animas Tomco quas reddere grates,*
*Munere quæ tanto præmia digna dicet?*
*Vel quia splendorem in veterem, lucemque reduxit,*
*Phosphoron hunc debent iure vocare suum;*
*Vel quia facunda quasi virga traxit ab Orci*
*Nocte, suum possunt dicere Mercurium;*
*Nec satis hæ laudes, sed quas præscribere certas*
*Haud licet, à grata posteritate feret.*

# IN LAVDEM
# IOANNIS TOMCI MARNAVITII.

## Epigramma.

*ILlyris ingentes animas, insignia Regum*
*Nomina, deformi passa perire situ:*
*Illyricus patrij relegens monumenta decoris,*
*Tomcus ab informi vindicat illa situ;*
*Tomcus, quem patrijs Hami iuga claudere saxis,*
*Nec poterit tumida mergere Sauus aqua:*
*Cui licet acceptas vitæ, Illyris imputet auras,*
*Plus tamen Illyridi, reddidit ille suæ:*
*Namque illi fæcunda dedit caput Illyris vnum,*
*Non vnum Illyridi, reddidit ille caput.*

Petrus Alix Prior S. Mariæ Magdalenæ Salinensis,
& Cantor maior S. Mariæ Magdalenæ Bisuntinæ.

# DE AVTHORE ANAGRAMMA
## & Epigramma ad Lectorem

IOANNES TOMCVS MARNAVITIVS

## Anagramma.

SVMMVS HONORE IN ATAVIS, CANIT.

## Epigramma.

*VIctrices terris, cæloque extare triumphos*
*Gentis sydereæ cernere dum ecce licet*
*Agnosce è tenebris prodijsse in luminis auras,*
*Hæc studio Tomci peruigilique manu.*
*Diues Auis claroque trahens è sanguine nomen*
*Consimiles meritò tollit ad astra Viros.*

Georgius Michlianus Arbensis Can. Dalmata.

## Epigramma.

*SI pandit Verbo Verbi secretà Ioannes,*
*In Verbi recubans hauserat illa sinu.*
*Tu modò nec Diuus, Cælo neq; lapsus ab alto,*
*In Terris Cælos pandis, et Astra litas?*
*Nempè suum reddis Superis pro munere Censum,*
*E' Terris Cælo Numina, Vota DEO.*

## Aliud in eundem.

*AEolus Australis Neptunia Regna fatigans*
*Perflet Hyperboreas peruius Orbis aquas.*
*Consurgat Boreas tumidus, super Astra sonorus,*
*Concutiens gemino Marmora salsa sono.*
*Pandite Flammigeros Vulcania Turba Triumphos,*
*Nectite Thyrrigeri vinula Flora Rosas.*
*Sarmatæ fatidico peragas Pæana Cothurno,*
*MARNAVI laudes, quò potis? ore canas.*
*O' nimiùm felix Tellus, TE PROLE? Videsnè*
*Viuat vt in Nato, quæ iacet inter Auos?*
*Nobilis Illyridis spectata Gloria Gentis.*
*Tu Patriæ decor es; Gloria Roma Tibi.*

## Aliud in opus eiuſdem Authoris.

*CLauditur exiguo Cælorum Machina libro,*
*Immenſas moles Chartula parua tegit.*
*Dic mihi quis maior labor eſt; Augere minora,*
*Magna vel in paruo continuiſſe ſitu?*
*Maxima Corporibus magnis vis inſita; paruo*
*Maior at Ingenio, quod leue magna premit.*
*Nunc igitur magni ſileant miracula Mundi,*
*Dignius in paruo conſidet Orbe labor.*

## Aliud in opus eiuſdem.

*PAnditur è Cælo, ſummaque Tonantis ab Arce*
*Regia Progenies, Imperijque Duces.*
*Aurea nexilibus radiantia ſceptra ſmaragdis*
*Cæſaridum ſoboles, Numina clara micant.*
*Fulgida puniceis criſpantia ſerta Corallis,*
*Pictaque lacteolis Tempora grata Roſis.*
*Grande opus aggrederis quiſquis pia Numina Cæli*
*Ingeris in Terras. Eſt Domus alta Dijs.*
*An forſan ſordent Caeleſtia Regna Beatis?*
*Sed magè ſordebat Terra caduca nimis.*
*Non ſordet Caelum, figunt cùm lumina Terris,*
*Vt ſordet Tellus, ſidera quando videns.*
*Ergò age, Caelicolas cernis cùm linquere Caelos.*
*Dic, quia ſunt Homines Deliciae Superum.*

Albertus Priamus Tridentinus Collegij
Germanici & Vngarici Alumnus.

IN LAVDEM AVTHORIS

GASPARIS SILLÆ PANNONII,

Ode.

*PVlchris tumescens fluminibus velut,*
*Vastosque terram corpore detegens,*
*Non sinit in reliquos benignis*
*Pontus currere riuulis:*
*Partes Soli. sed splendor vt omnium*
*Florum, Viarum, Ruris, & Arborum*
*Assiduis famulatur vndis,*
*Donans continuum decus.*
*Nunc ecce Tomcus ductus amoribus,*
*Plenusque sacris fluminibus, nouum*
*Exhibet è gremio decorem*
*Cunctis: O mare prosperum?*
*Qualem decorem, qualia commoda*
*Languentis orbis? iuncta leporibus*
*Flumina scilicet, O benigna?*
*REGALI fata sanguine.*
*Quae nos infertos conijciunt bonis,*
*Virtutis almae congeriem struunt.*
*Abripiuntque viae salubri,*
*Iungunt tumque POLO et DEO.*
*Gangis tumescat iam licet India*
*Gemmis; & auro luxuriet Tagus;*
*Turbidus Hermus ouet, superbi*
*Auro pauperiem leuans:*
*Post tale munus plus tamen esurit,*
*Vel forte Circes de dape pascitur,*
*Nam sitis, esuries & auri*
*Est, vt Tartara praeparet*

*Felicis omen tu capis vnicus*
*MARNAVI, nunc omnis tibi plausitet,*
*Plausibus atque nouis, triumphans*
*Plaudat Dalmatiae Chorus.*
*Turgesce semper fluminibus sacris,*
*Sacratus addet, quò tibi Lucifer*
*Æthereis decorata gemmis*
*Serta, & sydereas sedes.*

# PETRI VRSINI DALMATAE EX COMITIBVS PAVPVENSIBVS.

## Ad Authorem.

*Est virtutis opus Regum de sanguine nasci,*
*Nec virtus, Regum scribere facta, minor.*
*Illa per ingenuae consurgit stemmata prolis;*
*Regales animos Regia scripta petunt.*
*Marnaui vtramque assequeris: nam stemmata Regum*
*Concedunt Ataui: pectora scripta notant.*

## Eiusdem ad Eundem.

*Quis Reges melius scribat, quàm Regia proles?*
*Marnaui ista quidem gloria sola tua est.*
*Quis sacros Proceres, quàm sacro nomine clarus?*
*Haec quoque Marnaui gloria certa tua est.*
*Heroas patrios, patriae quam vera propago?*
*Haec quoque Marnaui gloria vera tua est,*
*Ter felix fueris, Marnaui, sydera cum te*
*Splendorum triplici conditione beant.*

SCIPIONIS MARCHIONIS SANCTACRVCII

ROMANI.

# Ad Authorem eundem.

*MArnaui patrios post longa obliuia Reges*
*Mirante, ad lucem, posteritate, trahis.*
*Ast illi regnant Cælo. Calonè vocare*
*Forsan erit vetitum? non prohibent Superi.*
*Non prohibent superi, sint vt regnantibus omen,*
*Exemplum sceptris, metaque certa Duci.*
*Felicem ad metam celeres iam currite Reges,*
*Sic vestrum pariter nomen & omen erit.*

# REGIAE SANCTITATIS ILLYRICANAE FAECVNDITAS.

## Ode.

Marci Tomci Marnauitij Siccensis Canonici.

*EN Cælo soboles prodita, & indita,*
*Fæcunda Illyriæ Regibus edita,*
*Cuius temperie, Regia Romuli*
*Annis innumeris aurea sæcula*
*Experta, æthereis iunxit honoribus*
*Palmas, quas domitum vix dederat solum.*
*Non tales titulos Scipiadum labor*
*Non Bruti studium, flammaue Mutij,*
*Vel durum Coclitis pectus Ethruriæ,*
*Auro seu melior pauperies sua*
*Fabriti, soboles digna Quiritium.*
*Pompeiusvè potens triplici adorea,*

*Aeternumque manens Caesareum decus.*
*Vel quisquis Latiae nomina gloriae:*
*Martis praesidio, Palladis artibus,*
*Seris exhibuit posteritatibus;*
*Romanae patriae contulit inclytos:*
*Quales intrepidus siue Philippides*
*Pro Christo, proprij sanguinis immemor,*
*Illi vel similis Regius Hadrius.*
*Vel forti Decio nata Cyrillia,*
*Aut magno Diocle nobilis Arthemis,*
*Praeclarumque genus mascula Licinis.*
*Ipsi seu Decio iuncta Tryphonia,*
*Aut Regi Diocli clara Serenia;*
*Constantiuè pio Dardana gloria,*
*Augusta Imperij perpetui parens,*
*Ter felix Helenes vsque propagine,*
*Eius vel soboles Maximus omnium*
*Regum, quos decorat Romula purpura,*
*Constantinus, honos, & pater aurei*
*Saecli, Christiadum libera gloria.*
*Seu compar auiae, parque patri pio*
*Constanti resonans nomine et omine*
*Fastu sidereo Virgo superbiens.*
*Hanc ipsam referens siue puellula,*
*Et caelum Placidis moribus exhibens,*
*Postrema è triplici stemmate Caesarum,*
*Terris quae sapiens aethera praetulit,*
*Vel quem coniugio caelibe nobilem*
*Romanae obstupuit scœna potentiae*
*Princeps pacis amans, nomine Martius.*
*Vel quod non oriens sol, neque decidens*
*Vidit, posthabitis fascibus imperI.*

*Pastor*

*Pastor Glycerius littore in Hadrio*
*Sacrato imperio continuit greges;*
*Quem tellus genuit Thraca Tiberium*
*Et caelo peperit diua bènignitas.*
*Terris clara cohors, clarior aethere*
*Pelleus iuuenis non domitis Gethis,*
*Prostratoque solo culmine Persico,*
*Indorumque mari limite praestito*
*Insessum solium post Babylonium*
*Palmis Aemathiam sic patriam extulit,*
*Irene Cotio stemmate prodita,*
*Vt Thracum, Macedum, regna potentia*
*Exornat niueis Virgo nitoribus,*
*Necnon sanguinea nobile purpura,*
*Princeps faeminei sanguinis hostia.*
*Non ipsa armiferae Pannoniae plaga*
*Iactabit Batones serior vltimos,*
*Proles Vngaridum siue recentior*
*Bellonae studijs nota per aethera,*
*Laudes, quas peperit Martis honoribus;*
*Vt iactat Stephani nomina maxima,*
*Quo calis soboles inditur Vngara,*
*Emrici Angelici lilia candida,*
*Vel Vladislauij pectora fortia,*
*Seu Elizabetae gloria stabilis,*
*Moresque innocuae Margaris aureos.*
*Iactent Dalmatiae vix domitum genus*
*Augustos numerent fascibus Ausonis,*
*Iuan plùs Boico fulget in angulo,*
*Maxentis gladio, Virgo Valeria,*
*Fasces effugiens, seu soboles Probi,*
*Quàm sceptro Latij, stemmata Claudij*

*Cari,*

*Cari, siue Probi, siue Valerij.*
*Aris quàm melius Glycerius forum*
*Permutat, recubans littore Dalmato,*
*Oppressor solij testis Iulius.*
*Maesi Dardaniae praeualidi incolae,*
*Et patres Gethici roboris inclyti,*
*Seu priscae potius pignora Thraciae,*
*Aut demùm soboles Serbica Bulgara;*
*Orphei progeniti carmina comprimant,*
*Martis progenie neve superbiant;*
*Nec iactent Latiæ funera gloriae.*
*Haec cuncta exuperat facta Tiberius;*
*Atque is, quem pietas nomine Martio*
*Exutum, aethereis moribus induit.*
*Eoaque potens Stephanus infula,*
*Et sacrae Sophiae Sabba decus pium*
*Cedat Sydereis terra nitoribus.*
*Phœbi lampadibus terrea lumina,*
*Cedant Danubio stagna recentia,*
*Cedat fluxa palus Oceano mari.*
*Tandem terra ruit, stant sacra culmina.*

## AD REGIAE SANCTITATIS ILLYRICANAE FAECVNDITATEM.

### Ode.

### EIVSDEM.

O *Vos, quos solijs Regia caelitum*
*Aeternùm imperitans extulit aureis*
*Diuis nobilitans conditionibus*
*Terrestrem patriam lumine dextero.*

*Affectu*

*Affectu patrio cernite ab aethere.*
*Huc vestri generis progeniem, licet*
*Terrarum imperio cernere diuitem,*
*Tollentem solium limine patrio,*
*Seruantem populos patris amoribus,*
*Constantine parens, effigiem aspice*
*In Diua sobole, Dædala quam manus*
*Non finxit minio, siue coloribus*
*Indis, ipsa tui sed genij sacra*
*Regalis Pietas, cælituum arbitra,*
*Format sydereis sola tenoribus.*
*Teque ipsum soboli restituit tuæ,*
*Atque ipsam sobolem restituit tibi:*
*Ad terras reuocans aurea sæcula;*
*Fernandi en Pietas ferrea tempora*
*Claudit perpetuùm carcere tartaro,*
*Soluens sydereis vincula moribus.,*
*Terras exhilarans legibus aureis.*
*Assurgit parili tramite filius*
*Post patrem, parili pectore, nomine,*
*Addictus patrijs nutibus æquè ita,*
*Nutus ipse tuos vt genitor colit.*
*Iam sceptro iuuenis temperat Illyrim*
*Sacrata rutilans Angelica infula:*
*Immortale decus Vngarici soli.*
*Terrarum Domini quæ nihil obtinent*
*Gazis nobilius, vel magè sanctius;*
*Mores conueniant vt decori sacrò,*
*Sacratumque decus moribus optimis*
*Hic tu consimiles, vt tibi posteros*
*Ex sponsa Maria consimili sibi*
*Ortu, mente, pijs dotibus, indole,*

Humani

*Humani generis perpetuo bono*
*Edat: iunge preces cum Procerum Choro*
*Facundæ Illyridis, Maximè Principum,*
*Proles excipiat progeniem piam*
*Dum Sol flauicomis fulget honoribus,*
*Dum campi viridi gramine gestiunt,*
*Vectigal fluidum flumina dum mari*
*Soluent, stabit humus, terraque germinans*
*Vernabit rosea cyclade discolor.*
*Irenæ auxilijs intereà recens*
*Rex priscum è tenebris Emathium decus*
*Fernandi studijs restituat patris,*
*Et Thracum merito regna Philippidis,*
*Antiquæ ad reuocet culmina gloriæ.*
*Præcedent Crucibus signa nitentia,*
*Sacratasque Aquilas, post tua numina*
*Sacratis gladijs, ipse Tiberius,*
*Et quem nobilitant nomina Martia;*
*Hic tu Diue parens mœnia Byzia*
*Fœdari vlterius barbarica lue.*
*Haud impune feres; condita sed Cruci*
*Conseruanda Cruci mœnia proteges.*
*Hinc pergrata tibi patria Dardana*
*Soluetur, rigido compede nunc grauis;*
*Et confecta malis Serbica, Rascica;*
*Finem constituent sceptra doloribus,*
*Surgent Pannoniæ, Dalmatiæ simul*
*Sceptris praegrauidae, laudibus inclytae;*
*Clades restituent barbaricis dolis;*
*Europam instituent in noua gaudia.*
*Accurret Stephanus pectore Regio,*
*Et Vladislauius bellicus assecla*

*Emricus, iuuenes Iuan & Hadrius,*
*Assurgent precibus, Glycerius sacer,*
*Fratresque, ipse Probus, Metrophanes pij,*
*Amborumque simul Domitius parens.*
*Successorque throni Basilides pius,*
*Infensusque Arabi Sabba Simonides*
*Iunget vota parens maxima Cæsarum.*
*Hinc altrix Helenes stirpis amoribus,*
*Et Constans auiæ delicium suæ.*
*Votis vota sequens alma Tryphonia*
*Coniunget sobolis vota Cyrilliæ.*
*Addet vota comes clara Serenia*
*Matrem nata colens Arthemis aurea;*
*Par trinum generis gentis olympicæ.*
*Claudetur numero nobile triplici.*
*Fundent pectoribus vota pijs simul*
*Virgo, quæ Placido nomine, moribus,*
*Gaudet Cæsareo stemmate triplici,*
*Et quæ Pannonium, Theutonicum genus*
*(astis et viduis conditionibus*
*Quàm sceptris melius sacrat Elizabeth.*
*Et Regale decus candida Margaris*
*Fernandæ sobolis proxima stemmata.*
*Sæclorum nouitas surget ab integro,*
*Terris barbaries ferrea desinet,*
*Atque anni repetent aurea saecula.*
*Parebunt Solymae Bethlemiae quoque,*
*Terrae: tùm Sinai sacra cacumina*
*Carmelus, Libanus, caelituum choros*
*Agnoscent iterum sub nemore inuio,*
*Iordanis latices feruidus aduena*
*Securus capiet, rubraque littora*

*Lustrabit, pauidus nullibi ab hostibus.*
*Tandemque hospitibus gratus, & incolis*
*Exultans repetet patria litiora,*
*Fernandi celebrans imperia aurea,*
*Fernando sobolem perpetuo auream*
*Exorans, atauis consimilem suis*
*Ipsi persimilem Magne Parens tibi:*
*En dant vota preces, en Procerum Chori*
*Faecundae Illyridis: restat vt vnicus*
*Accendas precibus iam grauioribus*
*Regnantum Domini pectora olympica,*
*Fernandum ad decora assueta fauoribus:*
*Votis astra sonant: sacra Cohors preces*
*Iungit. iunge preces Magne parens tuas,*
*Iunges namque tuis, quas tibi iunxeris:*
*Natos ditat Aui gloria Posteri*
*Priscos nobilitant perpete gloria,*
*Sic clarus genitor gloria filij,*
*Et patris sapiens gloria filius,*
*Sic te, sic sobolem respicit vtraque,*
*Sic quam das soboli, das tibi gloriam.*
*FERDINANDA PARENS EST TVA GLORIA.*

# Pio Lectori Author. S.



EGIAM Sanctitatem Illyricanæ fæcunditatis collegimus, non ex maiori parte Europæ, & magna Asiæ, qua Illyricæ linguæ vsus patet amplissimè, quàmuis sermonis nota, nationes distinguantur, sed ex ea tellure, quam Romani Imperij maiestas, Illyrici nomine censuit, maiestas, inquam, non adolescentia, vel ætas adulta: nam sicuti videre est apud Liuium, & Florũ, quo primùm tempore Romani vltrà superum mare arma protulerunt, eam terræ portionem, quæ Plinio, & Pomponio teste, circà Labeatem paludem iacet, quam Illyricus fluuius inibi, Antonino in suo itinerario notus, interfluit, Scodra vrbe nobilem, tanquam à Dalmatia, & reliquis regionibus eiusdem linguæ, diuersam, hoc nomine appellarunt. Adulta verò Romana potentia, Suetonius, dum maximam partem Illyrici per Tiberium sub Augusto debellatam scribit, totum, inquit, Illyricum, quod intrà Italiam, Regnumq; Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interq; Danubium flumen, & sinum maris Adriatici patet, perdomuit. Plinius, Pomponius item, & Appianus, amplioribus terminis dilatant, illud itaq; Illyricum hic intelligimus, quod vergente ad senectutem Romano Imperio, Valerianus Imperator apud Trebellium Pollionē, ad Zosimionem epistola, dum Claudium Illyricianæ gentis, Ducem Illyrici factum scribit, amplioribus describit limitibus, cum ait: Dux factus est, & Dux totius Illyrici, habet in potestatem, Thracios, Mæsos, Dalmatas, Pannonios, Dacos exercitus. Illam denique Europæ portionem, quam Sextus Rufus vir Consularis sub Valētiniano, adhuc ampliori sepsit ambitu. cum decem & septem Illyrici recensuit prouincias, sex postremas iurisdictione tantùm Illyrico adscribendo, vtpotè maiori ex parte Græcanicas. maximo verò finium termino Illyrici indigena, & proindè optimè omnibus alijs, paucis licet, ob oculos posuit D. Hieronymus, in Epitaphio Nepotiani, & Epistola ad Geruntiam siue Ageruchiam. dum Illyricum à Constantinopoli ad Alpes Iulias producens, prouincias à Valeriano numeratas, & à Rufo, sed clariùs aliquantulum, omnes eas, nostras, hoc est Illyricas, vt in nostris Dialogis de Illyrico docuimus, appellat: qua ratione Illyricum, totam eam terræ plagam accipimus, quæ inter Pōticum, Aegæum, & Adriaticum maria, Danubium fluuiū seu Istrum, & Græciā, atque Italiam regiones, clauditur. Historias porrò huiusce fæcunditatis, grauissimorū scriptorū, & Vniuersalis Ecclesiæ, vt plurimùm, authoramento sacratas, suis authoribus, qua decuit sinceritate adscribimus, ita vt admodum pauca de nostro, vbi veritatis illustrandæ necessitas id exegit, addiderimus. Irenæ vitam planè admirabilem, & cui vix similem promptuaria sanctæ Ecclesiæ proferant, vberiorem: fortè aliquis

optaret

optaret testimonijs, nos qui totam eius historiam ex ingenti volumine Antonij Beatilli, breuioribus perstrinximus, ne tædio essemus Lectori, hunc ipsum ad eiusdē Beatilli eruditissimas explicationes, & notas diligentiæ eximiæ, quas ille nō ex angularibus, & quibuscūq; , sed exgrauissimis Scriptoribus, antiquissimis Menologijs & Martyrologijs, in primis verò ex antiquo Liciēsis Ecclesiæ Breuiario, quo trium lectionū, peculiari officio, anniuersaria illius memoria celebratur, remittimus. quā in rem, sententiam Petri Canisij, magni anteriori æuo viri, ab eodem Beatillo citatam, dum Irenæ gesta miranda percurris pie Lector, memoria teneas oro; In Sanctorum, inquit ille, miraculis admittendis, & confirmandis, neque nimiùm faciles, neque rursus, plùs æquo difficiles, ac morosi esse velimus. etsi enim omnia, quæ in hoc genere leguntur, eiusdem non sint ponderis, & auctoritatis; tamen quia charitas non est suspicax, & temerè aliena iudicare prohibet Christus, minùs in eo quidem erit periculi, si à bonis probabiliter narrata, & à doctis non reiecta, recipiantur, quàm si eadem fastidioso, & contentioso, perfractoq; animo repudientur. Hæc habe, & aue.

---

# CATHALOGVS NOMINVM
## REGIAE SANCTITATIS ILLYRICANAE.



REGIAE

# REGIAE SANCTITATIS ILLYRICANAE FOECVNDITAS.

AVTHORE IOANNE TOMCO MARNAVITIO COLLECTA.

## VITA S. IRENAE VIRGINIS ET MARTYRIS.



REGIA sanctitatis Illyricanæ fœcunditas, vtpote nationis illius propago, quæ prima ex gentibus ad Christi caulam, ductore gentium Doctore Paulo, est aggregata; ne Iudaico populo nobili Protomartyre sexus masculi Stephano, liberali prodigalitate sanguinis effundendi pro Christo, minus prōpta videretur; debuit, vt præstitit, fœmineæ conditionis primitijs cælo oblatis, ijsq; prosapiæ regalis insigniri; ex antiquissima nimirū, & Illyricæ sobolis parente, gente Thracum, à Tyra Nœui nepote, Iapetis filio, teste Hieronymo denominata; Illustrissima inquā Virgine Iræna Licinij Principis filia, cuius Licinij pater Cotys Rex, Tacito, Suetonioq; celebris, illius Cotys per Rhemetalcen filium nepos extitit, cuius nobilitatem Ouidius, Elegia nona, libri secundi, de Ponto: exaggerans hæc ait

*Regia progenies, cui nobilitatis origo*
*Nomen in Eumolpi peruenit vsque Cotis.*

& paulo post eadem Elegia

*Hoc tibi & Eumolpus generis clarissimus author,*
*Et prior Eumolpo, suadet Erichtonius.*

vt per mille & centum annorum ſpatium, perpetua maximorum Regum ſucceſſione, protomartyris noſtræ nobilitetur origo. apud antiquiſſimos eoſdemq; grauiſſimæ notæ ſcriptores. Hæc itaque patre Licinio, filio Cotys Regis Thraciæ; regnante in hac regione per ea tempora, Sedecio natu maiore Licinij fratre; in Macedonia, cuius maxima pars cum Thraciæ portione parebat Licinio, matre vero itidem Licinia, Theſſalonicam gentis Vrbem primariam, & poſterioribus ſæculis omnium Eccleſiarum Illyricarum primatem, natale ſolum habuit, vndequadrageſimo primi Chriſtiani ſeculi anno, quinquennio poſt Chriſtum Regem Regum, æterni Patris cæleſti ſolio exceptum. vt obſeruat Antonius Beatillus, qui eruditiſſima pietate, nuper integro volumine vitam eximiæ virginis eſt proſequutus. quoque facem præferente, in præſenti hiſtoria ſumus progreſſuri. vnicā prolem eam parentibus extitiſſe, ac ſi natura ex eadem radice, melius, vel æquale ſaltem germen amplius emittere poſſe diffideret; idem eſt author. ne ergo nobilitati generis bonisq; fortunæ, corporis etiam præſtantia deeſſet, ea pulchritudine membrorum excelluit, vt ſpectatores in admirationem attraheret; acceſſit ijs perſpicacitas, ac mira velocitas ingenij; cui exercendo, ciuis Theſſalonicenſis Apellianus nomine cura parentum præficitur; Chriſtianæ quidem religionis; ſed principibus hoc nomine prorſus ignotus. ne quoque in ſinu parentum, delicijs & aulæ blanditijs puellæ indoles vlla ex parte quid detrimenti poſſet accipere, extructis in Vrbis pomerio ampliſſimis ædibus, eas ætati teneræ ad omnem virtutis excellentiam efformandæ, rebus omnibus inſtructiſſimas, pro domicilio filiolæ, magiſtro, ac nobili eius famulitio aſſignant. vix quinquenniū exceſſerat Penelopa; hoc enim nomen à parentibus impoſitum gerebat; ſapientia ſupra ætatem inſignis, cum Licinius intra deſtinatas ædes, quas octuaginta ſignis auro conflatis exprimētibus Deos inanes ætatis illius exornarat; vnicam filiam incluſurus, euocatis tota Macedonia prouincia præcipuis quibuſcunque Dynaſtis, per viginti dies integros, eos regijs delicijs, ſummaq; ludorum celebritate

detinuit; quibus exactis Penelopam magna nobilissimarum matronarum caterua; ipsaq; Licinia parente, eiusdemq; Liciniæ sorore, socia puellæ futura comitante, ad limen ædium adductam, Licinius sic affatur: En mea progenies amænissimo viridantium hortulorum ambitu exterius, summorum Deorum præsidio fultas interius ædes aspicis, insigni opere structas; eas tibi, & Apelliano moderatori tuæ teneræ ætatis exornaui, quibus assiduam tibi sociam, cognatam meam, matris tuæ sororem, cum tredecim puellis, solatio seruitioq; non diu duraturo assigno; hinc virtutibus aucta, breui connubio magni Regis iungenda. ad hæc Penelopa tanquam sagitta icta, vbertim illacrymando, maxima coronæ adstantis admiratione talia reddidit: hic igitur sepulcro ante diem, ab eodem qui me ad vitam extulit, inferri debeo; dulcissimæ genitricis orbanda aspectu? hoc ne regio nasci stemmate profuit? tu verò dilectissima parens ferrene poteris me immaturam adhuc tuis oculis subtrahi? satius erat nunquam nasci, quàm ad eiusmodi miseriarum statum adduci. si in hostiles barbarorum manus incidissem, quid infelicius accidere potuisset mihi quæ inspectante genitrice, totq; præstantissimis Principibus, specie boni, cæcis occludor carceribus? quibus verbis matri licet, omnibusq; alijs commiserationem lacrymis attestatam elicuisset, nihilominus Licinio patre in sententia persistente, Apelliani curæ commendata, subit ædes, Principibus ad sua redeuntibus. illa postquam aliquandiu quieuit, agente moderatore, facilitate ingenij, & indolis dexteritate, mirum in modum in disciplinis, & bonis artibus profecit. vrgebat Apellianus pro viribus vt cum eruditione regia indole digna, teneriori ingenio Euangelicæ doctrinæ suauitatem instillaret, assiduis à Deo precibus exposcendo, vt conatibus eius pijs, æternæ benignitatis adesset fauore. nec interea dum puellari saluti studet, Christiana industria quibus poterat extra palatium, ita tamen ne res Licinio innotesceret, haud exiguo operæ pretio defuit. duodecimum annum ætatis agebat Penelopa, cum magistri precibus æquè ac studio, splendoris æterni radius ei affulsit; profundæ noctis silen-

tio ijs aliquando tota mente intēta quæ ab Apelliano ſæpius audiuerat, per feneſtram orientali plagæ oppoſitam, Columbam ramuſculum oleæ roſtro præferentem, cernit inuolare, quo ramuſculo aureæ menſæ impoſito, ſtatim auolat; mox eadem planè feneſtra Aquilam ibidem roſtro, coronam varijs raræ fragrantiæ floribus intextam geſtantem inferre, eademq; eidem menſæ impoſita, repente euaneſcere; dum Virgo rei ſucceſſum contemplatur & ſtupet, additur ſtupori maior occaſio. miratur enim teterrimi corui ſpecie alitem per feneſtrā occiduæ parti expoſitam irruere, ſerpentemq; peſtiferum vnguibus illatum, ſupra ipſammet exponere menſam: hinc ſtupore timoreq; pariter acta, ad Apellianum accurrit, remq; totam eo quo contigerat ordine promit; inſtat & vrget magiſtrum pro ingenita ſibi prudentia, quid res viſa portendat, explicet quantocyus. ille perpendens animo, tandem aliquando regiæ ſobolis ad Chriſtum adducendæ occaſionem adeſſe, ita fertur loquutus. Noueris ò Princeps puella inſtare tempus quo æternæ mentis numen ac pietas, illuſtratura mentem tuam radijs veritatis, rem à te mihi expoſitam, oculis cordis potius quàm corporis tui ſpectandam nuper exhibuit. Columba igitur quam vidiſti, argumentum eſt diuini ſpiritus, qui vt veritatis omnimodæ doctor credenda, & agenda præcipit hominibus: hinc oleæ ramuſculam afferri tibi voluit, immenſæ indicium pietatis, quâ vbi (vt ſpero) ſordes animi ſalutari lauacro ablueris, eundem eſt animum inuncturus. Aquila porrò quæ ſuprema alitum Princeps habetur, religionē Chriſtianam omnibus alijs longè ſupremam demonſtrat, & cum præuia diuini ſpiritus pietate, tu quoque Chriſtianæ religioni ſis adhæſura, ea raræ fragrantiæ florum corona tibi ſe exhibuit, vt noſcas te lauacro ſalutari Chriſto regeneratam, fauore ipſius, pretioſiſſimum caſtioris vitæ theſaurum toto vitæ ſpatio integerrimè ſeruaturam; inde poſtmodum illa corona in cælo coronanda, qua eos qui inter homines illibati pudoris extitere ſeruatores, verus Deus redimire conſueuit. nec terrearis teterrimi Corui, cum ſuo ſerpente, portento, in bonum & felix omen cedet:

etenim

etenim malum dæmonem æternum humani generis hostē præsignat Coruus, qui statim atque vero Deo inter Christianos nomen dederis, quò te ab religionis arreptæ pietate retrahat, pestiferos Regum, Principumq; mundi serpentes in te concitabit, ij varijs cruciatuum adinuentis, immania sæuitiæ suæ contra te eructabunt venena. verum enimuerò illius erga te fauore propitio; qui vt hæc tibi edisseram præsens mihi suggerit, vel inuito, delusoq; tartareo hoste, te semper in certamine victricem futuram, quoadusque præclarum & gloriosum triumphum cælo inferas, fore cōfido. & ne me gratis hæc tibi suspiceris proponere, Aligerum cælo ministrum, à supremo rerum omnium moderatore, intra paucos dies, instructorem Christianorum arcanorum, ad futurum tibi spondeo. interea diuinæ cognitionis lumen intra penetrale cordis haustura, luci veritatis Euangelicæ admittendæ, animi tui domicilium habeas exornatum. recreatur sermone magistri Penelopa, non tamen Christianæ adhæret pietati: quippe cuius secretiora arcana nondum perceperat, quæ tamen mira dispositione illius Dei, qui iuxta sacrum illud oraculum, potens est ex lapidibus suscitare filios Abrahæ, haud diutius dilata percepit. at Licinius abiecta omni spe diuturnæ sterilitatis experimento prolis vlterius suscitandæ, quieti posteritatis consulturus, re cum grauioribus aulicis communicata, vnicam filiam iam duodennem filio cuiusdam Principis Antonini nomine, ditioni suæ proximi copulare deliberat. quamobrem vna cum vxore Virginem adit; eidem longa verborum serie quid deliberasset aperit. illa quæ paulo ante, qualia præmia virginitati manerent cælo parata, ab Apelliano magna mentis alacritate cognouerat, dubia quid parentibus responderet, quibus optaret contraire nullatenus, deliberando maximi ponderis negotio, octidui inducias obtinet, parentibus, alijsq; qui aderant prudentiam puellæ admirantibus: at quo expeditior interea Penelopa de re proposita, posset cogitare, Apellianus cum famulitio, paucis exceptis iubetur ædibus excedere. in eiuscemodi ergo solitudine dum vtriusque vitæ statum, conditionemq; examinat, inops

consilij ad Deorum inanium inani conatu opem confugit. quos post diuturnam expectationem mutos experta, Deum quem Christianos colere ab Apelliano didicerat, consulendum decreuit. fenestram igitur orienti soli expositam, qua Columbam, Aquilamq; inuolare animaduerterat, adit; ibi oculis in cælum fixis, iunctisq; in modum supplicantis manibus: Christianorum inquit, ò Deus, quem vnicum, admirabilẽ rerum conditorem audio, en ipsa opus manuum tuarum, sicuti cælum ipsum & quicquid amplissimo eius ambitu continetur, ex nihilo produxisti, te qua humilitate pietate valeo deprecor, mentis meæ tenebras discutias, vt ea quæ Apelliano magistro noui, an certa sint, præsertim an pudoris integritas connubiali vinculo sit anteferenda, clara luce aperias, voluntatisq; tuæ certum interpretem, & ignorantiæ meæ depulsorem aliquem, ex Angelico famulatu tuo, mihi rerum tuarum ignaræ subministra. vix effata: lapsus cælo pulcherrima specie planèq; diuina venustate minister adest, qui postquam se ab illo quem Christianorum Deum implorarat, votis eius adimplendis adesse significauit, excellentiã virginalis conditionis, & quã longè nuptialibus tædis hac ante staret, exposuit, & Deorum inanium impostura detecta, vnius trini veri Dei rationem, æterniq; verbi humanis artubus induti, erga homines pietatem in terris exhibitam, reliquaq; ad Christianam religionem spectantia, fusè declarauit; insuper in posterum pro Penelopa, Irenam appellari debere significauit, ab eo tempore quo ex schola Doctoris gentium discipuli Timothei opera, fonte salutis ablueretur, quem ad eius ædes, iam tum Thessalonicæ degentem se deducturum promisit. sicq; instructam, mira iucunditate animi gestientem puellam cælum repetens dimisit. agebatur cum hæc fierent felicissimæ primæ Christianæ ætatis annus primus supra quinquagesimum, quo tempore concluso & soluto maximo omnium Hierosolymitano Apostolico Concilio, eiusq; authoritate conuertendis ad Christum gentibus Paulo demandata prouincia, peragrante illo Phrygiam & Galatiæ regionem, cum æternæ benignitatis consilium eò tenderet vt

Illy-

Illyrica gens, amplitudine sua, inter omnes alias nationes per Asiam Europamq; maxima, prima ex gentibus effuso per Christum sanguine mercaretur, vetitum fuit Paulo, & socio eius Silæ à Spiritu sancto, vt ait S. Lucas in actis Apostolicis, loqui verbũ in Asia, sed & vlterius in Mysiam progredi eodem spiritu obstante prohibentur. Troadem ergo deuenientes vrbem maritimam Antigoniam alijs dictam, visio per noctem Paulo ostenditur: vir Macedo stans, & deprecans eum vt in Macedoniã transeat, Macedonibus opem laturus. Ita explorato diuinæ voluntatis imperio, per Samothraciam profectus est, Neapolim, mox Philippos, primam partis Macedoniæ Coloniam: vbi prædicata veritatis via, post lustratam Amphipolim, & Apolloniam vrbes Macedonicas, iam Thessalonicæ agebat. hic dum magno animarum Christo lucrandarum fructu Paulus Apostolico perfungitur officio, Timotheo quem ex Asia sibi socium adsciuerat, egregiam operam nauante, Angelo duce Timotheus ad Irenam intra eius ædes, iuxta sponsionem pridem factam, introducitur. cuius aduentu ac eloquio mirum in modum exhilaratur puella. mox rogat vt Pauli quoque videndi sibi copiam concedat: audit virginem Timotheus, Paulumq; introducit, quo doctore Christianis instituta disciplinis, mutato Penelopæ nomine in Irenam, secundum Angelicum præceptum, ex Ethnica fit Christi virgo, Timotheo eam sacris vndis eluente, mox ad persecutionum procellas imperterrito animo, pro æterna felicitate assequenda tolerandas animatam, muneri suo exequendo ædibus, nec multo post Thessalonica quoque recessit. purgata sacris vndis Irena, superniq; numinis afflata splendore, agnouit demum quam grauiter errasset, Idolis cultum Deo vero debitũ exhibendo. hinc Christiana planè generositate æstuans, arreptis eorum simulacris, confractisq; ijs extra ædes proijcit, ijsdem insultando eiusmodi verbis: En Ethnicæ superstitionis Deorum potentiam, vt se tueri nequeant ab iniuria; quod si verè Dei estis, vt veritate orbati homines vos prædicant, vestro malo medicinam adhibere. id si præstare nequaquam potestis, multo mi-

nus hominibus ad veſtram opem confugientibus adeſſe poteritis auxilio. expirant interim octidui induciæ à patre obtentæ. adit filiam Licinius cum coniuge, reliquaq; turba aulica. hic priori repetito ſermone, ne plura proferret Irenæ intercessit alacritas. illa enim magna animi orisq; conſtantia, ſe Chriſti ſeruitio addictam, & eidem iam deſponſatam, ſponſos quoſcunque alios faſtidire, iureq; nefas inexpiabile cenſere, Regi Regum Deo pactam fidem violare; didiciſſe certo experimento præterea, Idola ad ſui tutelam in ædibus pridem collocata, dæmonum ſimulacra non Deorum, ſecus enim iniuriam à vili fæminuncula illatam; non paſſuros inultam. lætandum ipſis parentibus, ſine vllo ſumptu, abſque moleſtia & labore ſobolem ſuam cernere vero Deo matrimonio iunctã reſpondit. dum hæc aliaq; in hanc ſententiã ediſſerit Irena, incredibile eſt quo Licinius ardebat furore, cum ſe deluſum omni ea ſpe, quã de filiæ nuptijs conceperat excidiſſe prorſus animaduerteret; verum diſſimulata ira, retrocedit ad vrbem, paulo poſt etiam filiam eo traducturus, eandemq; Chriſti memoria animo eraſa, ad vota ſua, vt ſibi perſuaſum habebat, traducturus. vt ergo domum attigit, mittit qui ſtatim filiam ad ſe adducant, exequuntur iuſſa ſatellites; illa capiendi ducendique, omni ſolicitudine depulſa, cæleſtiq; tantùm contemplationi mente intenta, libertatem concedit, lætaq; Theſſalonicam petit. verum enimuerò cum humani generis hoſtis præuidens quantum augmenti ad res Chriſtianas eſſet acceſſurum, ſi ea quæ in priuatis ædibus Irena patri de Chriſto expoſuerat, ad ipſius adducta tribunal, tota vrbe ſpectante replicaret, congreſſum filiæ cum Licinio modis omnibus impedire ſibi proponit: humanam ergo mentitus faciem fit obuius extra vrbem Virgini, monet ne patrem iratum vllatenus adeat, ni certum capitis adire velit diſcrimen. cui illa: ignoras inquit me Chriſti ſponſam, nil carius à parente meo quàm mortem optare, amoris erga meum ſponſum declarandi gratia. apage ergo, mortem non timeo, tormenta quibus à patre affici poſſum non horreo. Chriſto deuota, illius exemplo, libenter moriar. hinc dæmone ſe præ nimio furore

rore detegente, & multas minas ingeminante, Virgo plura loqui prohibet, veriq; Dei authoritate iubet repente illum vrbem ingredi, perq; omnes vias Thessalonicenses quousque ad Regem perueniat alta voce proclamare: Penelopā spretis inanibus Dijs, Christianam esse, idcircoq; non amplius Penelopam, sed Irenam vocari. paret dæmon & iuxta virginis præscriptum preconis instar rem omnem exponit. sistitur illa patri, nouitate rei, rabie furoris, insano simili, & in hæc verba prorumpenti: Quid est quod de te audio? ecquis te insanus eo adduxit vt venerabilium Deorum maiestate calcata, infami nota nostræ gentis perditissimi mortalium cultui adhæreres, qui facinorum impiorum enormitate, à suismet gentilibus turpissimo Crucis supplicio est extinctus? quis te mente motam ignoti hominis superstitionem antiquissimo, omnibusq; gentibus communi Deorum cultui præferre debere adegit? ergo te mihi dolorū acerbissimarumq; pœnarum futuram materiem in lucem edidi? ædibusq; tui tantum gratia omni splendore extructis, educare curaui? sed facessant verba, querelæ secedant, quorsum tempus frustra contero? vtrumuis eligas. vel funesta hæc tua reijcienda superstitio, vel vita ijs cruciatibus qui Deorum perduelles spectant concludenda. ijs à Licinio ingenti furore prolatis, Virgo omni qua potuit modestia, ita respondit, vt originem, modum, authorem sibi in Christo sponso deligendo, & nomine Irenæ pro Penelopa amplectendo, diffusa pacataq; oratione, exaggerata Deorum inanium dementia, declararet. at pater maiori excandescens æstu, minisq; minas addendo inauditæ acerbitatis vindictæ, de filia, ac reliquis Christianis sumendæ solicitus secedit. moxq; immani deliberatione, Thraciæq; Regibus familiari sæuitia iam ab eo Diomede qui Troiano bello inclaruit, ferocissimis Equis proterendam destinat. verumtamen paternis visceribus, in ipso consilij sui ad effectum perducendi procinctu, amore vnicæ sobolis emollitis, maluit experiri vtrum suasu & consilio prudentissimarum matronarum, à Christo, & mortis contemptu abductam, ad Idolorum affectum posset pellicere. adhibet matronas & genere,

nere, & prudentia præstantissimas, animo filiæ expugnando. at vbi easdem quarum industria filiæ sibi lucrandæ spem conceperat, ab eadem ad sponsi cælestis venerationem traductas agnouit, eo furore corripitur, vt statim destinatam pridem filiæ mortem publicaret. vincitur itaque manibus ac pedibus, & proterenda Equorum vnguibus, ad statutum locum adducitur; adstat immanis parens indigno filiæ supplicio rabiem immanitatis expleturus, innumera circumfusus populi multitudine ad inauditum spectaculum affluentis; prosternitur à feralibus ministris Irena, ferocissimarum belluarum greges in stratam solo concitantur, vrgentur, solicitantur: res mira, vix Virgo mente cælum pulsauerat, aduolat Angelus, belluis incusso timore, Virginem vinclis exoluit. ferunt vnam belluarum vehementi impetu in Licinium actam, vnico morsu dextra eius dentibus à reliquo corpore auulsa spectante vniuerso populo mortuum reliquisse, vocibusq; humano sono conceptis, Virginem laudibus extulisse, beatamq; iterato vocitasse, magna turbæ adstantis admiratione Irenæq; lætitia. mortuo itaq; repentino casu Licinio, solutam periculo Irenam supplex populus aggreditur, precibus instat, Christi amore obtestato, parenti mortuo opem ferat aliquam; illa tum populi rogatu, tum filiali erga genitorem affectu, elata voce, oculisq; ad cælum versis ita precatur: Christe Iesu mi Domine, qui sororum precibus Lazarum ex tumulo ad vitam reuocasti, me quoque supplicem pius exaudi, consuetaq; benignitate, ita te erga parentem meum digneris agere, vt ipse vitæ redditus, vniuersaq; multitudo circumfusa, te verum Deum agnoscant. admirandam precum efficaciam, vix extrema verba Virgo protulerat, ingenti omnium stupore, assurgit Licinius, & ex obscuris mortis tenebris, vitali luci, integræq; sanitati restituitur. inde clamore magno nullum præter vnicum Deum Christianorum, qui generis humani amore, mortalibus artubus indutus, grauissima tormentorum genera, ipsamq; mortem tulerat adorandum exclamat. tum in amplexum filiæ corruens, longa oratione, propositi ab illa arrepti consilium, prosequitur laudibus,

dibus, eidem faustas imprecationes repetendo, idolorumq; cultu detestato, vt sibi cui vitam impetrarat, erratorum quoque veniam obtinere velit deprecatur. mox cum vxore Christianæ pietati aggregata, anteactæ vitæ piacula salubri pœnitentiæ fructu expiaturi simul, intra ædes ante sexennium filiæ educandæ extructas sponte includuntur. mortui Principis, & ad vitam filiæ precibus reuocati casus, tria millia multitudinis ad fidem Christianam amplectendam attraxit, Virgine illam necessarijs Christianæ legis præceptis instituente. quam sequenti die Licinius ex Vrbe euocat, seq; cum vxore Christianis rebus edoceri flagitat, quod dum illa omni adhibita diligentia exequitur, adest repente Angelus cælo demissus, qui eorum propositum de Christi fide susceptum, magnis effert laudibus. eius aspectu & alloquio summopere recreati, Christiano ritu sacro fonte expiari voluerunt. hinc Licinius datis ad fratrem Sedecium in Thracia regnantem litteris, quibus expositis Christianæ pietatis acceptæ causa, fineq; sese omnino Dei seruitio deuouendi, abdicata omni sæcularium rerum sollicitudine, Regnum ei liberè sponteq; resignat. ille fratris litteris acceptis, maximum Dijs generiq; suo iniuriam Licinij facto inustam arbitratus, ira turbatur; euocat itaq; vndique milites, & magno instructo exercitu, fraternum Regnũ adepturus, eosq; qui ad partes Christianas transierant oppressurus in Macedoniam properat, vbi à Thessalonicensibus tanquam Regni legitimus successor & hæres excipitur. verùm vbi fratrem minimè adesse videt, causamq; sui secessus intelligit, de nepte inquirit, eam cum Christianam penes Apellianum magistrum agere, indefesso studio propagandi Christi fidem didicisset, maiori ira cõcitus, Apellianum ad se adduci imperat. qui interrogatus à Rege de nepte, rem omnem Christiana ingenuitate fatetur. tum Sedecius ad quemdam aulæ suæ Principem Platum nomine versus; Fac, inquit, Penelopa quantocius ad meam sistatur præsentiam. paret ille, aduocatur Virgo, cui Sedecius: agedum ineamus inter nos consilium; absit, inquit illa, vt consilio iniquitatis me immisceam. ex consilio ergo iniquitatis sumus,

mus, ait ille, efficiam ſanè vel malo tuo diſcas quam indignè mihi reſpondeas, ſimulq; ſceleris in parentes admiſſi pœnas luas. tum Irena: Chriſtianam me eſſe optimè noſti. noueris quoque me nunquam ad inſaniam inanium Deorum tuorum redituram, quoad vero minas cruciatuum, nil dubito me veri Dei quem cum Chriſtianis vnicum adoro, de omnibus à te æquè ac alio quouis tormentis incutiendis, auxilio triumphaturam. experiamur ergo, ait ille, an qui manus eorum per quos Cruci fuit affixus, nullatenus euitare valuit, te meis poſſit tormentis eripere. dat itaq; Platoni negotium, Virginem in profundiſſimá foueam, ſeuiſſimorum ſerpentum examine plenam immittat: ille rem omni celeritate exequitur. at Irena vbi imam foſſam attigit, oculis ad cœlum de more elatis: Amantiſſimè, inquit, dulciſſimèq; mi ſponſe, qui Danielem à Leonibus, & pueros à fornace Babilonica liberaſti, me quoque indignā ſponſam, ancillamq; tuam, pro gloria laudeq; ſanctiſſimi tui nominis à feris animantibus illæſam præſerua. Sedecius ibi præſens cum orantem virginem audiuit: iam ait videbimus vtrum Chriſtianorum Deus ſit re vera Deus, & an pertinacem hanc puellam valeat à ſuis ſeruare periculis. cum repente tota multitudine admiratione defixa, aduolat Angelus, ſerpentes ſternit; animumq; Virgini ad perferenda quæque tormenta adauget. illa gratijs actis, magna promptitudine animi aduerſis omnibus perferendis exhibet ſeſe. quatriduo, vel vt alij volunt tertiodecimo die à patruo immiti intra foueam detinetur Irena, vt quam venenata ora ſerpentum non confecerant, fames extingueret: ſed illa abſque vlla læſione vel offenſa, imò multò pulchrior quàm antea extrahitur. Sedecius qui primo illo ſpectaculo ſerpentum examinis extincti deluſus, domum ſe receperat, accepto rei quæ poſtea contigerat nuncio, licet ingenti furore agitaretur, ne tamen plebem facti miraculo ſtupefactam ad aliquam ſeditionem concitaret, quatridui ſpatio adhuc à Virgine moleſtanda abſtinet, magno Chriſtianorum gaudio, qui Tyrannum exatiatum iam tormentis exiſtimabant: ſed breui gaudium mærore, timoreq; mutatur: noua tumet ira

Sedecius

Sedecius iubetq; Virginem adduci; interea Apellianus, iram Principis metuens, se subtrahit: interrogat neptem Princeps: num iam tandem serio resipiscens, conculcandorum Deorum, adorandi Christi Crucifixi gratia, consilium abiecerit, vel immemor vitæ Deorum beneficio nuper à morte præseruatæ, malit priorem retinere insaniam? hortatur inde velit sui ipsius misereri, Deos adorando; secus se necessario & in eam, & in eius asseclas crudelissimo tormentorum genere sæuiturum. Tum Virgo: Qui fieri poterit ne ego eum verum Deum agnoscam & colam, qui cæli terræq; conditor extitit; quique meæ salutis ergo morti sese in ligno Crucis obiecit; colamq; mutam, ac surdam Deorum turbam nec sibi nec alijs vnquam profuturam? auertat æternus sponsus à meo capite talem insaniam; te porrò mihi amantissimum, ne permittas oro animam tuam ad sui conditoris similitudinem effictam, ob cultum vero Deo debitum, auro argentoq; conflatis imaginibus à te delatum, inferorum flammis perpetuo perire. Ergo inquit ille, nobis audes talia suadere? experiaris efficiam quomodo talis audacia sit punienda: iubet satellites, exemplo terroris alijs incutiendo, virginis pedes extemplò secare, illi præsente Rege iussa faciunt. verùm cum nulla vis humana contra diuinam valeat potentiam, orante Irena, more solito adest Angelus, restitutisq; puellæ pedibus vulnera sanat: quo facto vt populus in admirationem, ita Sedecius in furorem rapitur. hinc Platus Regi suadet, rotæ molari Virginem alligare, donec assiduo rotatu fractis membris conficiatur: approbat ille consilium; quod etiam absque mora exequutioni mandatur: verùm Irena sponso cælesti confisa: cuius amore libenter omnia perferebat, vt diuina sibi ope adesset orauit. nec irritæ recidere preces; spectante toto populo iterum Angelus aquæ decurrentis impetu inhibito, omnia ligna in necem Virginis adaptata comminuit. incredibile dictu quantã voluptatem inde circumposita multitudo cæperit, ex quorum numero, octo millia Christo nomen dederunt: Sedecius idcirco magis ac magis furore exardescens, compellat Virginem, edicat qua arte rotas confregerit?

 gerit?

gerit? ad quem illa magna animi constantia: proterue dæmonum satelles, quorsum bellum infers Deo, cuius nutui parent vniuersa? consule me suadente rebus tuis, salutari Christi lauacro ablutus, vt hac ratione diuino perfusus lumine, erratorum veniam à Deo obtineas. mox ipsius aspectu perpetuo beandus in cęlo. tum Sedecius immani furore flagrans: afficias inquit me quantumuis iniurijs, petulantiæ tamen tuæ, ipsius amissione vitæ pœnas expertura, manus meas minimè effugies: quę vox vbi ad omnes adstantis multitudinis aures penetrauit, ita in Regē pro tuenda Virgine turba exarsit, vt Regia extrusum, & ipsa Vrbe Thessalonica, saxorum grandine, populari conspiratione appetitū, miserandum in modum confecerit. extincto infelici exitu Sedecio, regni proceres Saborium mortui Regis filium ad sceptra hereditario iure debita sumenda inuitant, plebis factum accusant, & quid fieri velit interea, consulunt. ille rei successu percepto, vlciscendæ patriæ necis percupidus, magnis copijs ingreditur Macedoniam: ab obuijs populis vbique tamquam Regni heres exceptus. Thessalonicam pergit. Regis aduentantis iram Thessalonicenses veriti, portas omnes vrbis occludunt, vitam Regio furori omni industria laboreq; subtracturi. cuius rei gratia populari agmine Irenam consilij inopes adeunt. illa quæ spem suam non in armis, non ciuibus, sed in diuina opę collocarat, magna mentis constantia portas reserari iubet, apparatum omnem armorum̄ interdicit, supplici tantum oratione ad Deū m cunctis indicta. parent illi vocibus Irenæ, respirantes ab hostili metu, orationi incumbunt: interim instructis aciebus ad Vrbem Saborius aduolat, iamq; nullo obstante portas subiturus, Irena cum ijs qui Christo nomen dederant, muros Vrbis conscendit, vbi genibus positis in hunc modum fertur orasse. Benignissime sponse animæ meæ, cuius amore ego & mecum plebs hæc vniuersa extremo versamur in periculo, tu qui Ionam omni spe salutis destitutum, in ventre Ceti potenti manu mortis eripuisti faucibus, Susannam vrgente iniquo duorum senum iudicio, humano spoliatam auxilio, supplicio imminentis mortis exemisti, tu idem Domine atque

mi Deus, vnica votorum meorum meta, supplicem exaudi, populoq; extrema omnia timenti mala; vt præter te neminem vniuersi conditorem, seruatoremq; existimet, benigna ope adsis. vix hæc Irena; res mira; repente tam Sabocius, quam vniuersus eius exercitus, in ipso Vrbis ingressu, Deo precibus Virginis annuente, lumine oculorum orbantur. quo facto territi omnes, iteratis vocibus exclamant: Magnus Christianorum Deus, nec vllus vltra illum Dominus: mox Virginem demissa supplicatione orant, fundat preces ad Deum, ablatam lucis vsuram impetret, se lumine oculorum recepto, Christianam quoque pietatem recepturos spondentes: illa miseratione tantæ multitudinis, sine mora, repetitis precibus, optatam lucem orbatis obtinet; illuminati oculis, illuminati mente lauacro Christiano iuxta sponsionem pactam vt aliqui voluere; ita maior pars eatenus à sponsione resiluit, quoad quid beneficij accepti particeps Rex esset facturus patuisset, proprio popularis ingenij effectu iuxta illud Poetæ:

*Principis ad nutum totus componitur Orbis*
*Vtque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.*

Verum ille malo obduratus Pharaonis instar, nil de furore sæuitiaq; contra Irenam concepta remittit: quamuis enim insigni beneficio lucis cum exercitu accepto, paternæ necis iniuriam ciuibus Thessalonicensibus condonasset, Irenæ tamen placari noluit, neq; iniuriam vt aiebat Dijs, generiq; suo illatam vt aboleret, potuit adduci: hinc Vrbem ingressus, Virgini adesse iussæ vtramque exprobrat iniuriam; addens ni patriam religionem resumat, acerbitate suppliciorum certo sibi esse moriendum. cui illa: quorsum inquit hæ minæ, nomine humano indignæ? audes mihi iniuriæ nomine religionem illius exprobrare Christi Dei, cuius pietate amissam oculorum lucem modo recepisti; æquam scilicet mercedem in gratiam Dei de te, exercituq; tuo optimè meriti rependendo. age mortalium immanissime, sæuias quibuslibet in hoc meum corpus cruciatibus à nece inferanda non abstinens, animam meam tui iuris futuram, numquam certo certius habeas: istac fixum animo, nemo præter

veri Dei æterniq; Filium, neminem adorare: actus ira Saborius patris sui pridem satellitem Platum aduocat, mandat huic, plantas pedum Virginis clauis acutissimis suffigere, alligatoq; ad collum ingenti arenæ sacco, illam ad incessum vrgere. peragit mandata Platus, clauis suffossam, arenaq; onustam, magno impetu per Vrbis vias ferales ministri Virginem agunt, demum Vrbe proturbant, nec tamen Saborij Platiq; vota succedunt; vbi enim ad locum à Tyranno præscriptum stetit Irena, licet amore cælestis sponsi, alacri animo, & sine vllo turbatæ mentis argumento hactenus omnia aduersa perferret, quo tamen Christianos extremo mærore sui causa tabescentes recrearet, pro alleuandis tormentis Dominum deprecatur, illicoq; spectante supra quinquaginta millium promiscuæ religionis turba, accurrit Angelus, clauos pedibus, saccum collo eius excutit: eodem ipso tempore decem millibus eorum qui tot miris euentibus emolliri noluerant, hiatu terræ absorptis. vnde tantum terroris incussum est cæteris, vt absque vlla mora triginta mille Christianam religionem amplexati, cum incolumi Virgine Christi nomen laudibus efferentes, ad Vrbem repedarint: nec ideo immanis animus Saborij flectitur vlla ex parte: quinimo Regia erumpens, amenti similis Vrbem lymphatus percurrit, & vt quem obuium habet, de crudelissimæ necis modo Virgini inferendæ interrogat: ast vbi omnium aures suis postulatis obstructas inuenit, propriæ vitæ timens, reliquias impij exercitus, magna parte vindice Deo iam terra absorpto, colligit, tutioremq; se futurum extra Vrbis mænia inter armatas acies quam intra Vrbem & multitudinẽ Irenæ adhærentem ratus, in campum processit: verùm enim vero aduolat Angelus, armatos ad vnum prosternit, & quasi dedignatus adeo impio Regi manus inferre, simulati vulneris minitatione illum in fugam solum agit, is dum latebras fugitando inquirit, obscurumq; quendam locum penetrare tentat, à dæmone obuiam repetè facto extinguitur; reuocato in memoriam exemplo Sennacheribi Regis Assyriorum, qui postquam Angelica manu centum octuaginta millia suorum cæsa vidisset, fugaq; Ni-

niuem

nitem Regiam Vrbem terrore actus petijsset, dum se manum Angelicam euasisse credit, filiorum gladio infelix occubuit. sublato horrendo casu Saborio, omniq; insectatione Tyrannica soluta Virgo, apostolico zelo Macedoniam peragrando, innumeros ad Christum adtraxit, quos postmodum adueniente Timotheo ab Apostolo ad illas partes transmisso, sacro fonte ablui curauit. quo comite postquam parentes in ædibus olim sibi structis, magno rigore viuendi, ad expianda vitæ prioris errata degentes inuisit; eosq; pio affecit solatio, eorum famulitium ex triginta tribus ministris constans, cum quinque millibus aliorum, qui Principum visendorum studio ad easdem ædes accesserant, corũdemq; exemplo Christianam fidem amplexi fuerant, Timothei opera salutari lauacro Christo peperit. quo ad Apostolum redeunte, ipsa peragratis alijs regni partibus, Christi nomen vbique circumferendo, Thraciam antiquum solum patrium ingreditur, Bizantiumq; adiens, idolis indicto bello, multa à Zeusippo Tyranno, ac ciuibus Bizantinis nomini Christiano infestissimis aduersa pertulit. quibus cum superior euasisset, tandem permissa est negotium religionis libere promouere, breui magna ciuium parte Christo adducta. hinc Mesembriam Mæsiæ proximam Vrbem petijt, vbi multis pro Christo affecto cruciatibus, & ab ijs Angelica opera liberata, omnem ferme Vrbem ad Christum traduxit. quare Apostolico muneri animarum cęlo inferendarum auidissima, totis viribus intenta, intra patrij soli fines contineri non potuit, quin ad vlteriores quoque gentes Christi gloriam transportaret. transit ex Europa in Asiam, vbi dum magno operæ precio desudat, in quadam Vrbe Bythiniæ, Gallica siue Callinica appellata, Dynasta Numerianus, quem & Numerium scribunt, accepto Virginis ad Vrbem cui præerat aduentu, simulq; bello quo in idola inuehebatur, vt Christianã religionem incolis inculcaret, aduocat Irenam: quis esset, & quorsum eo accederet, interrogat. illa consueta sua constantia, Regum Thraciæ Macedoniæq; prolem, Christo omnium conditori creaturis adducendis officio addictã, se adesse respondit. Numerianus eius

dicendi libertatem moleste ferens; si vere vt iactitas ait Regia proles existis, cur adeo vili indignitate deprimeris, vt posthabito Deorum nostrorum venerando cultu, adhæseris fidei hominis ignauissimi, qui vt passim fertur, in scelerum pœnam Cruci fuit affixus? hæc ne tibi digna regio sanguine, quē te esse fateris, existimas? hanc igitur optionem non Deo, sed mortalium perditissimo inseruiendi, missam facias, ijs omnibus obsequijs quæ regiam sobolem addecent, præmij loco mihi obseruanda colendaq;, secus merito cruciatuū supplicio peritura. hisce verbis nil territa, sed sponsi ope magno spiritu aucta, idola detestando, superstitionem gentilium irridere, Christum attollere, Numeriani minas nihili ducere pergit. ille maiori ira feruescens, æneo Boue, Phalaridis olim Siculi inuento, illam includi, igne subiecto iubet. quam cum in cineres redactam putaret, restincto igne, Boue reserato, magna omnium admiratione, viuam, & dulcissima cum sponso colloquia miscentē intuetur. stupet ille, verum casu aliquo, non diuina vi ignem torpuisse sibi persuadens, maiorem igni vim adhiberi, alioq. consimili Boue Irenam intrudi imperat. sed eadem vi Virgini adsistente, huius quoque machinæ irritus redditur effectus. perstat nihilominus pertinaci consilio perdendæ Virginis Tyrannus. tertium eiuscemodi metallum mandat adhiberi, adauctisq; flammis illam includi. vix obscuras illas latebras Virgo subierat, ficta Bouis imago gradus statim promouet, & vbi longo incessu huc illucq; prodijt, illæsam demum exponit; sed vt admirandus omnino casus maximam spectatorum partem Christo adiecit, sic Numerianum immani furore exæstuantem, neci dedit. comprobato Euangelico oraculo, Christum positum in ruinam, & multorum resurrectionem. antequā tamen æternæ mortis tenebris oculos perpetuo moriturus occluderet, iamq; horrores inferni adiens, extremæ vocis furore, potestatis suæ Vicario mandat, nullatenus Virginem viuam patiatur, sed quouis tormentorum genere ad mortem adigat. quibus effatis æternitate pænali cruciandus extinguitur. Vicarius Caudo qui & ab aliquibus Vbaldus etiā dicitur, Irenæ præcipit

si mor-

si mortem vitare malit, spretum Deorum cultum repat; illa pij propositi tenax, nunquam se violaturam ait illam fidem, quam sponso Christo semel obligarat. pergeret porro ille, quæcunque vellet tormenta congereret, vitam quoque si libet & licet, extingueret. Caudo cum nulla acerbitate tormentorum læsam recogitaret hactenus Virginem, cruciatum excogitat, cuius sæuitiem iudicio suo nullo modo posset eludere: itaq; cum falsa gentilium persuasione, non rem creatam ignem, vt alia elementa, sed magnæ potentiæ numen aliquod certo teneret, præsertim cum per ea tempora Magicas imposturas, quarum ream Irenam censebat, tali supplicio plectere more fuerat iam receptum; toto corpore validissimis funibus constricto, flammis illam deuouet. sed cælestis sponsus, sponsam suam nouis fauoribus prosequitur. expedito superno ministro, flammantem globum extinguit, vincula quibus adstringebatur dissoluit, simulq; flammis numen nullum inesse, Virginemq; à Magico dolo procul abesse palam edocet. aderat spectaculo Caudo, finem rei præstolaturus, innumera ferme multitudine obuallatus, quare tantæ rei successu commotus; tam ipse quàm reliqua turba lætis vocibus ingeminant, verum Deum omnium authorem, vnicum illum esse, quem Christiani colunt & prædicant, Christoq; nomina dantes piorum numerum maxima accessione adaugent, fama rerum gestarum proximas prouincias, ipsamq; in primis Bythiniæ Vrbem primariam Nicæam peruagante: erat tunc temporis Nicææ Princeps Prusorum Saborius nomine, Numeriani fortè successor, hic auditis quæ Irenæ opera contigerant, cupidus illius extinguendæ, mittit qui eam Callinica Nicæam ad se perducant: cui adductæ ijsdem fermè verbis quibus pridem alij, ni Dijs adhæreat, extrema minitatur omnia. illa itidem vt semper alias minas irridendo, vnius Christi Dei numen extollit, multisq; præterea in inanes Deos prolatis, ijs omnibus cruciatibus subeundis exhibet sese, quos Tyrannica vis excogitasset. edoctus ille quot genera tormentorum Virgo passim elusisset, breui compendio illam morti dedere decernit, mandat ad publici supplicij

locum produci, ibiq; capite plecti; sistitur loco supplicij assignato Irena; ponit genua, se simulq; omnes qui suo vel exemplo vel consilio Christianæ religioni se addiderant, enixè Deo commendat. quibus actis, vnico per carnificem vibrato ictu, caput à reliquo trunco dirimitur, obstupescentibus ijs quos ipsa Christo pepererat, pariter ac mærore ingemiscentibus. sed mærore non diutius piorum animos afflicturo. cum enim Tyrannus truncū, caputque, ne Christiani illud subtraherent, per custodes defodi mandasset, ecce sub meridiem adest omni inspectante populo cælo missus Angelus, qui disiecto tumulo ipsam integro corpore viuam, & elegantiori specie quam fuerat, educit. mox ijs qui eius opera ad pietatem accesserant Virginis laudes exponit, & qualis merces illos in cælis maneat ob veræ religionis studium, enarrat, promissaq. perpetuo Dei auxilio ijs qui tantæ virginis memoriam essent culturi, euanuit. illa porrò tormentorum, ipsiusq; mortis triumphatrix, reliquos longiori sermone ad constantiam in fide, tormentorumq; pro Christo perferendorum contemptu, corroborat. tum eo ipso tempore quo admirandæ rei casus ad Tyrannum defertur, Virgo ramum oliuæ manu præferens Regi præsens sistitur, stupentiq; timore discusso, excellentia Christianæ religionis exposita, eandem suadet amplectatur. is visu, audituq; rerum mirabilium commotus, cælesti afflatu consilijs accedente, dictis Irenæ animum accommodat. denique rebus omnibus è sententia Virgini succedentibus, euocato Timotheo Ephesiorum Episcopo Nicæam, publica pompa Saborius cum multis alijs, salutari fonte lustratur, bimestri tempore ab Irena vitæ restituta ad Saborij lauacrum intercedente: cuius ac Timothei bona venia paulò post Virgo Macedoniam repetijt, magna indigenarum, qui omnia quæ contigissent pridem acceperant, alacritate excepta. hic adit ædes sui pridem domicilij, quibus post diuturnum vitæ rigorem patrem comperit obijsse, quare matris superstitis solatio Angelica fermè conuersatione diu in illis substitit. demum cum eidem quoque valedixisset, Ephesum iter intendit. quo itineris procinctu, ferunt

runt eam nube cælo lapsa fuisse abstractam, Liciumq; Vrbem Italicam inter Salentinos nobilem fuisse delatam, vnde annunciato ibi Christo, eiusdem nubis vehiculo Ephesum fuisse relatam, ingenti Timothei lætitia; cuius authoritate cum Apellianum Smirnensibus Episcopali authoritate iam præsidentem, aduocasset, magna animi iucunditate aliquot dies inibi cum illo transegit. ad extremum eodem sexq; alijs comitata, vrbē egressa, ad sepulchrum marmore structum processit, quo suo iussu aperto, cum omnibus valedixisset, eosq; de constantia in fide seruanda, aduersisq; pro illa libenter perferendis monuisset, in illud descendit, datoq; negotio illius obstruendi Apelliano, & nonnisi post quartum, vel, vt alij volunt septimum diem illud reuisendi, ibidem in pace conquieuit, quarto nonas Maij, licet tertio natalis eius anniuersaria memoria recolatur. Apellianus sepulta Virgine cum socijs ad vrbem reuertitur, sciscitanti populo de Irena, rem totam prout contigerat aperit. illi tanquam communis parentis orbati præsentia, nimio dolore turbantur; & licet primo & sequenti die, vt Apelliani mandatis obtemperarent, à sepulchro inuisendo abstinuissent, contineri tamen nequiuere, quo minus post alterum diem populari impetu ad tumulum accederent, quem vbi præter spem apertum, operculo ad latus abiecto, & sine corpore inuenissent, incredibili mærore perfusi recedūt. ferunt aliquos gentiles Virginis qui fortè Ephesi tunc aderant, cum Apellianus Virginem obijsse denunciauit, desiderio sacri eius corpusculi ad natale solū deferendi, sequenti die, tertio nempe nonas Maij, ad sepulchrum inscijs omnibus aduenisse, extractoq; illo, fragrantiam miram redolente, nauiculæq; imposito, maxima celeritate Thessalonicam detulisse, vniuersa ciuitate ad nuncium aduecti corpusculi ad littus effusa, quod magno honore exceptum, ædiculæ mox pro eorum temporum conditione extructæ, illatum deponunt. innumeris interea ægris attactu corpusculi, sanitati restitutis. contigit obitus eius extremis annis Imperij Claudij senioris, primi Christiani sæculi annum quinquagesimum tertium circiter. vt idē Bea-

 tillus

tillus initio à nobis laudatus obseruat: qui quamuis videatur primatum martyrij inter mulieres Theclæ sanctissimæ concedere, cum tamen hæc sub Nerone tabulis Ecclesiasticis noscatur quieuisse in Domino, Irena verò sub eius antecessore Claudio, titulus protomartyris melius huic quàm illi conuenire videtur: adde quod licet sancta Thecla multa pro Christo tulerit, vt flammas, serpentes, & bestias, sanguinem tamen nunquam fudit vt Irenam fecisse multoties vsque ad capitis abscissionem vidimus: vt etiam si aliquo modo posset Theclam tormentis pro Christo ante Irenam fuisse affecta, sanguinis effusi palmam Irenæ concedamus est necesse. eius reliquiæ vt insequentibus sæculis ad Liciensem vrbem fuerint translatæ, eademq; vrbs eius fuerit communita patrocinio, vt passim Orbi Christiano nomen eius inclaruerit, magnis Basilicis extructis eius gloriæ per Imperatores ac Reges, à tribus præsertim Illyrici sanguinis Principibus, Constantio Magni Constantini filio, Martianoq; ac Iustiniano; vtq; per orbem terrarum casibus admirandis, illius memoriæ dicata templa steterint, plurimaq; alia ad gloriam sanctissimæ virginis pertinentia contigerint, pius Lector ex eruditissimis elucubrationibus præfati Antonij Beatilli, nobilissimis notis illustratis, ad satietatem poterit intueri. quæ idcirco omittimus, ne ea quæ vir eruditissimus summa maturitate ac diligentia Societatis Iesu alumno condigna explicauit, iterando, pium Lectorem tædio inurbanius afficiamus.



VITA

# VITA S. TRYPHONIAE CONIVGIS DECII IMPERATORIS.



RENAM Virginem fæminei sexus protomartyrem, non solùm, sed si tormentorum eius genera spectemus, omnium sexus eiusdem fortissimam, ac proinde dignam quæ primitias gentium Illyricæ sobolis, prima cælo inferret, Augustalis aulæ itidem primitiæ, Tryphonia, Decij Illyrici genere, sed Romani Imperatoris vxor, pari pietate, impari licet certamine prosequitur. quam cum aliqui velint in patria religionem Christianam hausisse; incunabula adolescentiamq; Illyricanæ Ecclesiæ breuiter vt attingamus suadet necessitas. Illyricam gentem primam omnium aliarum ab Apostolo, Ecclesiæ membrum sub capite Christo effectam, iam in Irenæ vita ex Actis Apostolicis agnouimus. hinc idem Apostolus Epistola ad Romanos, testatur se ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuisse Euangelium Christi: vnde sanctus Hieronymus dum scribens ad Marcellam verbum Dei totum vbique fuisse docet: Versabatur, inquit, cum Thoma in India, cum Petro Romæ, cum Paulo in Illyrico. Petrus porrò Damianus sermone de S. Petro & Paulo: Respice, inquit, Paulum totum Illyricum peruagantem, suscitantem mortuos, subuertentem templa deorum; hoc idem Gregorius Nyssenus, sermone de sancto Stephano, hoc Dorotheus Tyri Episcopus, hoc Theodosius magnus apud Socratem, hoc Ioannes Octauus Epistola ad Regem Bulgarorum, hoc Illyricanæ Ecclesiæ certa, perpetuaq; testatur traditio, vt in opusculo de

Vinea Domini in Illyrico, Deo dante, fusius hæc omnia sumus ostensuri. successere Paulo Lucas Euangelista in Dalmaticæ Ecclesiæ cura, Lino Petri successore teste, sicuti & Titus eodem Apostolo secunda ad Timotheum attestante. per reliquas autem prouincias Illyrici, ex eiusdem Apostoli schola, teste Dorotheo in synopsi, rem Christianam promouerunt, Andronicus, cuius meminit Apostolus ad Romanos, Pannoniarum Episcopus, Vrbanus Macedoniæ, Hermes Dalmatiæ, Clemens Sardicæ, Cæsar Dyrrachij, Carpus Berhoeæ in Thracia; ex Petri autem schola, Marcus Euangelica clarus historia, in ea parte quam Dalmatiam supra mare, prope Carnos, stylus Ecclesiæ Romanæ appellat, suam impendit operam. Domnio Salonarum condidit Ecclesiam, vt alios ommittam complures vtriusque Apostoli alumnos, vt mirum non sit Illyricos eiuscemodi magistris primi subsellij, vt aiunt, tantum in Christiana pietate profecisse, quantum illustrissimorum Heroum agmina in Illyrico, tabulis Ecclesiasticis testantur; ex quibus merito Tryphonia inter Augustales lares prima tantorum doctorum labores illustrauit. quam tamen ne prolixiori stylo posteritati admirandã proponamus, scriptorum penuria est in causa. eam in inferiori Pannonia natam inter fluuios Sauum & Drauum apud Bibalim locum Sirmio proximum, forte hodie Diakouum, throno Cathedrali Bosnensis Ecclesiæ præclarum, propius ad Saui ripam accedens, Decij mariti natale solum, eiusdemq; adhuc priuati consortium sortitam par est credere; quinimò multo tempore antequam ipse Regni sceptra capesseret id contigisse; soboles iam virilis quam in societatem Principatus assumpsit, suadet. quem anno supra millesimum tertio vel quarto, vt alij volunt, ab Vrbe condita, à Christo nato ducentesimo quinquagesimo tertio, tertio item ac decimo post Iulium Maximinum, quem primum ex Illyricis Augustum Romanus orbis agnouit, Romanæ rei, ab Illyricana militia præpositum vel inuitum & reluctantẽ constat ex pluribus authoribus, ex Leto præsertim, ab ineunte ætate, vt idem ait, spem optimæ indolis præbuit Decius, in quo

virtutes

virtutes cum ætate creuerunt, ad amplissimas dignitates, non ambitio, non empta suffragia, non corruptæ amicitiæ, sed boni mores perduxere. hinc ad Imperium assumptus, plurimis domi, forisq; præclarè gestis, à Senatu Romano; Marci Traiani Decij prænomine est honestatus. thermis eius nomine in Auentino ædificatis. Eutropius tamen illas à Decio extructas contendit, qui biennio in Regno exacto, bello Gothico in Illyrico suorum fraude, cecidit cum filio, vt scribit Letus; Victor qui eum triginta menses imperasse tradit, annos quinquaginta vixisse, scribit filium audacius congredientem, cecidisse in acie, patrē cum perculsi milites ad solandum Imperatorem multa præfarentur, strenuè dixisse: detrimentum vnius militis parum videri sibi; ita refecto bello, cum impigrè decertaret interijsse, pari modo. idem prædicat Decium virum artibus, virtutibusq; multis instructum, placidum & communem domi, in armis promptissimum, nec dubium eum plures etiam laudatores habiturum fuisse, si à piorum sanguine abstinuisset. sicut abstinuit à Tryphonia, quam facilè errarunt, qui filij eius vxorem crediderunt, quod Hereniam Salustiam Augustam appellatam inueniant, vt Onuphrius Panuinius, ex qua asserit Decio natos fuisse duos filios, Q. Herennianum Etruscum Messicum Decium, & C. Valentem Hostilianum Messium. & Herenniam Etruscillam, tum quia Decius post Tryphoniam Herenniam duxisse potuit, vel etiam viuæ superinduxisse, sicuti posteriori tempore Constantius Helenæ sanctissimæ coniugi Theodorā superinduxit; tum quia Herennia filij Decij Herēnij potuit esse vt re vera fuit Augusta, nam eundē, & fratrem eius Valentem Augustos fuisse, ex numis antiquis, ex quibus etiam Panuinius Salustiam excitat, apparet. & quidem Herenniam potius Herennij Etrusci, quàm Decij patris fuisse vxorem, inde potest colligi, quod cum ipsa Salustia, Barbiana, Orbiana, sit appellata, prænomen tamen Herenniæ à marito Herennio accepisse videtur, item quia Herennia Etruscilla Augusta, quam Volusiani Principis postea fuisse coniugem, Lelius Pasqualinus, Fuluius Vrsinus, Goltzius, alijq; veterum nu-

miſmatum examinatores tradiderunt, Herennij Etruſci filia videatur, & Herenniæ, ex nomine ipſo Herenniæ Etruſcillæ. accedit authoritas veterum ſcriptorum Chriſtianorum, & Acta S. Laurentij, ex quibus Tryphonia vxor Decij Imperatoris perhibetur. eam ſanctiſſimo fine quieuiſſe certum eſt, ſed quo tempore omninò incertum. extat tabulis Eccleſiaſticis dies eius anniuerſaria decimoquinto Kalendas Nouembris, Lucæ quoque Euangeliſtæ; Dalmatici Apoſtoli conſecrata. Decij ſtemma ex antiquis monimentis ſubijcimus.

Decius Auguſtus
S. Tryphonia Auguſta

Q. Herennius Etruſcus Meſſius Decius. C. Valens Hoſtilianus Meſſius. S. Cyrilla.
Herennia Saluſtia Barbiana Orbiana.

Herennia Etruſcilla.
Voluſiani Auguſta.

Porrò Q. Herennium filium fuiſſe Decij, præterquam in Cæſaribus Illyricis fusè oſtendimus, clarè conſtat ex lapide vetuſto nuper Romæ effoſſo, & amore quo ergá nobiliora vetuſtatis argumenta afficitur vir Illuſtris D. Franciſcus Gualdus S. Stephani Eques, cuius eximio ſtudio multa me in cognitione rerum antiquarum debere fateor, ad angulum domus verius Muſæi ſui, ſub Balnea Pauli, publicæ eruditioni ab ipſomet expoſito, tenoris eiuſcemodi.

Q. HERENNIO ETRVSCO MESSIO DECIO
NOBILISSIMO CES. PRINCIPI IVVENTVTIS
COS. FILIO IMPER. CES. C. MESSI
Q. TRAIANI DECII PII FELICIS INVICTI
AVG. ARGENTARII ET EXCEPTORES
ITEM Q. NEGOTIANTES VINI SVPERNAT
ET. ARIMIN
DEVOTI NVMINI MAIESTATIQ. EIVS

VITA

# VITA S. CYRILLAE VIRGINIS ET MARTYRIS.

PATRE Decio Meſſio Marco Traiano, & matre Tryphonia, Cyrilla eſt progenita: multo antequam parens ſceptris Romanis moderandis adhiberetur, magnis tamen iā militaribus muneribus perfungeretur. quippe quem à Maximino Principe iuſſu Tyronibus exercendis præfuiſſe certum eſt. eam Sirmij editā eſt credibile, cuius Vrbis agro Bibalēſis vicus, patris natalis locus proximus habebatur. feliciſſimo totius Illyrici, ne dicā Europæ ſolo, tribus maximis amnibus irriguo, ac proinde fertilitatis, & amœnitatis admirandæ. vt tellus nobiliſſima iure merito primam Virginem Auguſtalis ſtemmatis, proprio cruore Chriſto vero Deo conſecrato, purpurandā, extuliſſe glorietur. eam (vtpotè) in ſpem maximarum rerū, patre ſemper ad maiora properante, eiuſdē cura, piæq; parētis diligentia regijs moribus educatam, non eſt ambigendū. Romam vel paulò ante Imperium, vel patre imperante tranſlatā crediderim, vt mirari non deſinā quo fundamento nixus magnæ eruditionis ac pietatis vir Antonius Gallonius (ſicuti alias noſtrates) eam Romanis virginibus nuper adſcripſerit. magnitudinē animi, virtutisq; eius præſtantiam, licet inde cognoſcere, quòd Virgo tenella, patre primo ac fratribus, mox & parente Tryphonia orbata, in alieno ſolo conſtituta, & famæ ſuæ ſplendori, & animæ ſaluti egregiè conſuluerit: cum præſertim ſucceſſorum Decij mores, & tempora, turbulentiſſima, contigerint. Decijs enim, idem cuius fraude ceciderunt, ſucceſſit Tribonianus Gallus cum Voluſiano filio; ſed detecto ſcelere, exercitu vltore pœnas dedere perfidiæ. quare

P. Licinius Valerianus quem Decius sexagesimum annum agentem exercitui ducem præfecerat, mox Censoria dignitate exornatum in Vrbe ad bellum properans reliquerat, subrogatur. hoc quoque bello Persico ab hostibus capto, Gallienus mortalium ineptissimus, excidio Romani orbis patri successit. præterquam quòd enim illius socordia per triginta tyrannos imperium distractum, dilaceratumq; fuit, inter quos ad maius dedecus fæminea vis ausa est Orientis imperium sibi vindicare, idem Gallienus muliebribus illecebris addictus, superiorem Pannoniam Marcomannorum Regi concessit, vt eius filiam quam insano amore deperiebat, obtineret. sed eiusmodi monstro Cecropij Dalmatarum Ducis opera sublato, Claudius Dalmata, Gallieni morientis sententia, & omnium assensu, Reipublicæ gubernacula capessit, statimq; primo Tyrannis, mox barbaris, imperij ceruicibus submouendis, vir inter alias virtutes summo Principe dignas, eximia castimonia insignis, eduxit exercitum. rebusq; vbique è sententia gestis, barbarisq; inaudita, fortè ab orbe condito, clade concisis, morbo post amplissimas victorias contracto, cum nunquam in Vrbe quieuisset, decessit apud nationales Illyricos. hæc paulò fusius exposui vt quanta veritatis iniuria, Romanorum Regũ mitissimo Claudio, suæ gentis, & Principis filiæ interitus imputetur, æquus Lector agnoscat. sicuti enim eam sub Claudij imperio victimam Deo sacratam non iuerim inficias, ita victimæ authorem Claudium absentem ab Vrbe, nullatenus agnosco. hinc quæ Claudio regnanti tribuuntur, Vrbano eius Prætori in Christianos sæuienti persecutione à Valeriano Censore, imperãte Decio excitata, & sub eodem Principe continuata, adscribenda censerem. Cyrilla ergo post tot rerũ Vrbis & orbis agitationes, suorum tutela solatioq; destituta, agente Deo pupillorum amantissimo tutore, Iustini sacerdotis Romani pietate, Christianis rudimentis instituta, post septimum ieiunij diem pro more eorum temporum, salutari lauacro abluitur. hoc Augustalis Virginis factum tanti momenti fuit apud alios, vt triginta sex Prætoriani milites, qui etiam sex & quadraginta fuisse dicuntur, cum

vxoribus ac reliqua familia, Iustinum adeuntes, prostrati coram ipso, datis Christo nominibus, ea est vis exempli regij, sacris vndis expiari petierint: quos ille ad Dionysium summum Pontificem adductos voti compotes effecit. ijs ad Prætorem delatis, causaq; tantæ rei explorata, iubet Cyrillam, militesq; cum liberis comprehendi, ad templum deduci, dijsque immolare; illi derisa iussione, detestatoq; idolorum cultu, in carceres detruduntur. tum aduocata Virgine eam sic affatur: Quid est nobilissima puellarum quod originis Augustalis oblita, tam facile à maiorum tuorum indole degeneras? eorum Deorũ religione posthabita, quos prisci progenitores tui sacrosanctè coluerunt? posthabeo detestor illos, Virgo respõdit, quod in illis non Deus, sed dæmones coluntur, qui demum cultores suos ad æterna inferorum pertrahunt supplicia, Christianisq; legibus adhærendo perpetuo Iesu Christi veri Dei famulatui me deuoui, Sacrifices, ait ille, ò puella immortalium deorũ nostrorum numinibus, maritum stemmate tuo consimilem, ditissimũq; assequutura. assequuta sum, ait Virgo, hactenus sponsum nobis Christianis tantum notissimum, tanta dignitate excellentem, vt simul Deus & homo existat. quo responso ira concitus Prætor, ipsam capite plecti imperat. abducitur, mactatur, truncum cadauer deseritur: at Iustinus sublatum corpus penes sanctissimæ parentis reliquias illud tumulo tegit, in Cæmeterio quod Cyriacæ appellatur. cum eodem tempore & Prætoriani milites extra portam Salariam securi percussi, cum familijs, nobile satellitium, Augustali Heroinę æternitatis triumpho cælum scandenti, ouanti turba præstitissent. quorum reliquias idem Iustinus cum alijs fidelibus insequenti nocte pio sepulchro donauit. hinc eorum atque Cyrillæ anniuersariam memoriam, Christiana pietas, eodem die, quinto Kalendas Nouembris recolit perpetuò. incidit triumphalis eorum gloria in septuagesimum tertij sęculi annum, præsidente Romanæ Ecclesiæ throno Dionysio, Romani Imperij sceptra tenente Claudio.

# VITA S. QVIRINI MART. FILII PHILIPPI AVGVSTI.



RÆCLARE sanè fæminei sexus omni æuo admiranda virtus Regia incunabula Illyricanæ hactenus illustrauit Ecclesiæ: Iam verò adolescẽte pietatẽ Illyrica, quid virilis indoles ex ijsdem Augustalibus penetralibus erumpens, audeat pro Christo, poscit ratio, & augustorum augustissimi Dei gloria, maiestatis suæ radios super Illyricanam gentem præ alijs expandens, intueamur. Prodit itaq; ex Iulijs augustalibus stemmatibus Quirinus, Marci Iulij Philippi, primi ex omnibus Romanis Principibus Christo deuoti, Imperatoris filius, & ex Regiæ sanctitatis Illyricanæ fæcunditate masculæ virtutis principibus. Philippum patrem plerique scriptores Arabem appellant, Bostrensemq; vrbem illi natale solum adscribunt. nos Illyricum habemus non tantùm quia Georgius Cedrenus, illum ortum scribit, Bostris Europæ vrbe, vbi, inquit ille, & vrbem condidit, à se Philippopolim dictam, quam Philippopolim omnium scriptorum constanti testimonio vrbem Thraciæ à Philippo Augusto nomen sortitam, sicuti Philippos aliam eiusdem regionis, à Philippo Macedone, extra dubium est, non tantùm inquam ob hanc causam, sed etiam quia Marcus Iulius Licinius quinquaginta annis post Philippum Romanus Imperator ex Illyrica sobole, genus & originem suam ad eundem Philippum retulit, vt inter alios Pomponius Lætus testatur; non relaturus si re vera talem relationem, & ea tempestate recentissimam, certam non habuisset. quamobrẽ prænomina quoque Marci & Iulij ipsum sibi adsciuisse credibile videtur. præser-

præſertim cum vniuerſo orbi pateret, Daciam Illyrici prouinciam Licinij patriam ab Arabia, toto vt aiunt cælo ſegregari. ſicuti & Arabas ab Illyrico genere; cuius generis occaſione aliquos eruditos viros erraſſe exiſtimo, dum ex quattuor Quirinis Illyricis, Aquileienſi nimirum Præſule, altero Laureacenſi, ac noſtro Quirino Philippi filio, vnicum Sciſcianum Epiſcopum martyrio clarum ſub Maximiano Galerio conflant. vt nuper vir alioqui præſtantiſſimus Matthæus Raderus in volumine de Sanctis Bauariæ egregie edito ſcripſit. Quirinus igitur noſter à tribus alijs, alius omninò, licet nationis eiuſdem, medio tertio ſæculo Chriſtiano, nobile gentis Illyricæ ſydus illuxit, parētibus Marco Iulio Philippo, vt diximus, & Marcia Ottacilia Seuera, magnę pietatis & pudicitiæ fęmina, adeò vt numiſmata ipſius effigie cuſa, apud nos extātia, altera facie Pudicitiam ſculptam exhibeant. Quirini vitã cum Ethnici more ſuo tegant ſilentio, veteres Chriſtiani ſcriptores, ſumma breuitate perſtringant, eam nos ex Metelli Monachi Tergeſcenſis, circa annum Domini millesimum ſexageſimum ſcribentis, amæniſſimis per ea tempora Muſis, Quirinalium titulo inſcriptis colligemus. ea tantum ex ijs delibando, vt à breuitate longe non aberremus; quibus ſerie vitæ fortiſſimi Chriſti Athletæ poſſimus exhibere. Metellus itaque dum eum ſtirpe Cæſarea editum, Regij ſplendoris pro Chriſto contemptorem deſcribit, eiuſcemodi carmen concinit;

O Flos purpureus. tu Roſa nobilis
 Martyr conſpicuus, teſtis idoneus,
 Stirpis Cæſareæ germen amabile
 Aulæ Sydereæ clarus in ordine.
Pro Chriſti poſitis nomine faſcibus
 Regni delicias ac diademata
 Spernens, diuitias cunctaq; terrea
 Regnum perpetuum ſanguine poſſides.
Fortis qui rigidas ſpernere Cuſpides.
 Inſtantem gladium temnere quiueras,
 Acer cui ſoli gloria ſorduit,

Et

Et ius imperij pro nihilo fuit.
Præpollens animi celſus acumine,
Secreuit placidis fluxa manentibus,
Hæc ex arbitrij culmine deſpicit,
Hæc quærens auido pectore ſuſcipit.
Margarita nitens, & pretio bona,
Spreuit patricij muniaq; nominis,
Vix prætexta togæ ſerica ceſſerat,
Loricam fidei mox tener induit.
Ad bellum properat quod malè ſuſcitat,
Indignata pijs ira tyrannica,
Regnant orbe furor, atque malignitas.
Virtus, Iuſtitia, ſunt quaſi crimina.
Stat lex, culpa ſedet, arbiter eſt reus
Plectit pœna probos debita noxijs,
Vt colliſa magis clarius emicet
Iuſtorum bonitas & patientia.

proſequitur inde fuſiori carmine præfata exagerare, pangendiq; ſtylo condigno vitam ſanctiſſimi iuuenis, opē eius implorat; quæ breuitati ſtudentes, vitæ tantum exponendæ neceſſarijs intenti, libenter omittimus. idem in ſequentibus etiam carminibus obſeruaturi. Ode itaque ſecunda deſcribens Imperatorem Philippum milleſimo anno vrbis conditæ Chriſtianum principem regnaſſe ita canit.

Iam ſatis terris ratione verbi
Qua Deus dignans habitare terris
Corporis noſtri ſibi membra finxit
Virgine matre.
Grandinis duræ pater ille miſit
Cuius excedens vtero perenni
Perſtat Ætnæis glacies ruinis
Irreſoluta.
Dexteram cælo validus rubentem
Extulit, cornu Crucis explicatam,

Et

Et micans hasta bene fulgurante
Perculit orbem;
Terruit gentes, graue ne periret
Sæculum, Paulus noua iura monstrans,
Creditum Petrus pecus egit agnos
Ardua pasci.
Credulum ligno genus inde priscis
Hæserat diuæ requies Columbæ
Et sacris limphis animæ natare
Purificandæ;
Tempus annum millesimum notabat
Roma quo se cana caput coronat,
Læta plenum conditionis æuum
Percelebrandæ.
Verticem Regina Deo superbum
Fronte matura reuerenda flexit,
Principis cedente domo Philippi
Sub iuga Christi.
Nec tamen liquere manus heriles
Regios gestus, habitus prioris,
Curiæ flos, officiosa membra
Compserat aulæ.

Mox describit pacem Ecclesiæ datam per Philippum Imperatorem, & Origenem maximum Ecclesiasticum scriptorem litteras ad eundem Philippum dantem; & Augustam Seueram quam Christianam effectam Genouefam fuisse dictam, alteram à Virgine eiuscemodi nominis sanctitate apud Gallos clarissimam. subnectit huic Ode mox aliam mortem Philippi Augusti, & Philippi Cæsaris eiusce filij exprimentem; cuius extremis carminibus hæc de Quirino patri, fratriq; superstite.

Horum sceptrigena de stirpe resedit aureus flos
Quirinus infans, septimum sub annum
Ætatis crescens, & congenitus thoro paterno
Sibi recondit hunc Deus pusillum,

Seruans

Seruans tutamen patriæ, miseris dedit leuamen,
Quiritibus, qui Dux fidei fuisset,
Nobilium Romana tribus sequeretur vt propinquos,
Fidesq; digno teste vera firmet.

Describendo inde persecutionem Decij, narrat quomodo Quirinus septennis in morte patris fratrisq;, postea viginti annis sub sex Regibus vitam protraxerit.

Primores odijs fulminat ignes
Fædo more ferox inuidet omnibus,
Præ se ferri sibi posse.
Quos formidat eos premit.
Natus Pannoniæ finibus vltimis
Ciuis Dalmatici limitis hic erat;
Romanam pietatem
Nescit barbarus insolens.
Multis oppositus namq; potentibus
Dum per magna furit, paruulus effugit
Qui credens adolescit
Clara nobilis indole.
Orbatus patre iam fratreq; Regibus,
Vitæ lustra suæ bis duo iunxerat
Septennos super annos,
Quos viuo patre duxerat.
Sex mutant eadem tempore Cæsares
Regnandi vicibus; quattuor editi;
Prima solus & ima
Regnarat medijs duo.
Mensem quindecimum Decius imperat.
Gallus sedecimum cum socio tenet.
Ter quinum Gallienus
Annum cum patre cæperat.
Quo capto quomodo Catholicos premens
Bellis Arsacides imparibus petit
Seruans vnius arcem
Pacem Christicolis dedit.

Tandem

Tandem barbarici victor ab hostibus
Donatur statua Claudius aurea
Insectando fideles
Gessit sceptra biennio.

tum baptismum Quirini & Seueræ matris ita describit:

Septennis lauacrum puero Regius
Tantis mysterijs nobile suscipit;
Demum matre volente,
Primo tunc ea credidit.
Olim barbarico more Seuerior
Vt nomen tenuit ethnica manserat,
Sed cum pignore dulci
Christum serior induit.

Quirini captiuitatem sequentibus carminibus exaggerat.

Claudius insigni satiandus cæde Quirini
Hunc quæri iubet atque teneri,
Facturus procerum cætu seu plebe timorem
Damnat vinctum nobiliorem.
Ille catenatus Regis stetit ante tribunal,
Iesum confessus manifestè.
Natiua sibi libertate fidem decorabat
Vnde minus firmos solidabat.
Possessis nudatur agris, censu spoliatur,
Omnis abit res quam tenet hæres.
Iuris materni prænobili atque paterni,
Innocuo nam crimen opes sunt.
Rex primo blanditur, hic in Domino stabilitur,
Nec facili leuitate mouetur.
Rex prædira minatur, hic optat quo patiatur,
Nec tanto terrore grauatur.
Aulam fortis habens in petræ robore structam
Fert tuto vim pectore cunctam.
Ventorum pluuiæ, niuis, imbris, grandinis, auræ,
Nulla prorsus turbine motus.

Ingenuè

Ingenuè perstabat, eumq; negare negabat
Quem certis didicit documentis.
Non flexum verbis, mox verbera conficiebant
Dimissum crebro repetebant.
Cæsum postremo dum posset vincere nemo
Intra castra domo latet atra.
Trans Tyberim ductus numeroso milite tutus
Temporibus multis ibi clausus.

Quirino in carceribus quæ officia detulerint Marius Persa Christianus cum Martha & filijs exponit:

Trans Tyberim castra
Exeuntes inueniunt egregium Quirinum,
Carcere vinculatum;
Procidentes in faciem, martyris os salutant.
Illachrymant ouantes
Osculantur vincula, passim pia membra mulcent,
Officio fideli;
Abluere rite pedes pro Domino ligatos.
Elluuiæque sacra
Se beandos vertice, necnon vultibus, imbuere:
Inde dies per octo
Sumptibus largis lacerum verbere corpus almum
Continue refotant,
Intimis affectibus hoc ex eo luere semper
Quem fidei tenore
Nouerant indigna pati nobilitatis altæ.

Agens porrò de pluribus pro Christo coronatis hæc de Quirino ait:

Claudius at cruentus
Præcauens ac præmetuens ne si causa quæuis
Eriperet Quirinum
Quem sciebat nobiliori, Cæsareaque stirpe
Clarius enitentem
Curiæ earum studijs & veneratione

Omnibus esse primum,
Ne fauorem fortè Senatus adipisceretur
Iure propinquitatis,
Aut amor communis eum præualeat tueri
Iudicij parentis,
Vitat hunc exanime rursum dare proferendum,
Sed sequenti nocte
Clanculo mandans iugulandum Tyberiq; mergi.
Ah scelus? imperata
Lictor implet barbarus; & de carcere noctis hora
Eijcit innocentem,
Ac supra ripam fluuij decapitat latenter.
Abstulit vnda Tybris
Dulce corpus Topaceo nobilius monili
Ad Lycaoniæ rus
Insulæ; Christo duce manans retinetur illic,
Vltima iura donec
In sepultura si tamen piè redderetur
Summa dies ei stat
Quinquies dum quinta subit reddita Martia lux.

Hæc Metellus pluraque alia de martyris inuictissimi triumpho, post cuius pompam, sacrarum eius reliquiarum translationem ab Vrbe Roma in Noricum, more suo decantat. innumeraq; fermè eius miracula nunquam defessa musa proponit. vir æterna laude dignus, vel ex eo, quòd qua tempestate humanior litteratura passim conticuerat, politioribus disciplinis per barbariem tenebrarum exilio damnatis, ingenti poemate, eoq; pro temporum conditione satis amæno, sanctissimi iuuenis laudes est prosequutus. & sanè progenies Principis qui primus ex Augustali ordine Euangelium non erubuit; quique millenariam ætatem Vrbis Christo consecrauit, progenies inquam quæ sceptrorum Cruce permutandorum, in omne æuum posteris principibus prima viam aperuit, haud alio quam Augustali, triumphaliq; stylo celebranda erat: illud tamen in maximæ pietatis æque at-

que eruditionis ſcriptore obſeruandum, quod paulò ante dum Cyrillæ vitam retulimus, animaduertendum duximus. nimirum ea quæ per miniſtros Claudij Romæ contra pios, & præſertim contra Quirinum impiè ſunt actitata, Claudio mitiſſimo principi nequaquam adſcribi debere, cum ſatis conſtet eum vindicando à Tyrannorum oppreſſione Romano Imperio, belloq; Gothicò præſertim intentum, perpetuò poſtquam Reipublicæ præfectus eſt, ab Vrbe fuiſſe diſtractum. Et vt miracula ſanctis Martyris prolixitatis euitandæ gratia libens prætereo, pium Lectorem ad Quirinales fontes apud Metellum vberrimos remittendo, ita illud quod in memetipſo ſum expertus, ne ingratus omnino erga martyrem optimè de me meritum videar, quo minus breuiter hic perſtringam minime audeo. Sæuiente initiò anni 1629. inſolita à multis annis aſperitate Romani cæli hyeme, cum per plurimos menſes, doloribus ſiniſtræ partis corporis totius, præſertim cruris, & quæ ab eo vſque ad extremos pedis digitos protenduntur, quibuſdam ſubinde protuberantibus vlceribus laboraſſem, vbi primum de ſancti martyris vita Illyricanæ Regiæ ſanctitati adijcienda deliberaui, nullis medicamentis adhibitis, vtpotè quæ inutilia diu fueram expertus, repente morbus omnis, longæuusq; dolor ita abſceſſit, vt incolumi tota parte corporis cum ipſo crure, pedeque, reliquiæ doloris ad penultimum digitum pedis confluerent, magno illius exercendi impedimento toto quadrageſimali tempore, ita vt accendentibus ſacroſanctæ Dominicæ paſſionis ferijs, de adeundis ſacris ædibus prorſus deſperarem; verùm enimuero eo ipſo die quo acerbiſſimo dolore, digito ſupramodum exulcerato, vulnereq; ad oſſa articuli hiante, extremam lineam vitæ Quirini ducebam, miraq; hominibus, cæterisq; animantibus beneficia per eum collata perlegebam, lectulo me compoſiturus, guttula luſtralis aquæ, digiti hiantis morboſum articulum illino, ſimulq; Dei opem Quirini meritis imploro, res mira, qui plurimas retrò noctes, vel inſomnes, vel vrgente dolore nunquam quietas tranſegeram, il-

lam iucundissima quiete, ad adultam vsque diem, traduxi. expergefactus demum, digitum intueor, magnaq; admiratione, & gratiarum actione simul, nullo vel minimo cicatricis indiculo apparente, ac si nunquam pedis digitiuè dolore aut vlcere doluissem, sanus ad hanc vsque diem exilio: ipso peruigilio diei passionis Dominicæ, eiusdemq; sancti Martyris triumphali palma insignis, quem diem æternum pridie idus Aprilis, mihi memorandum præfati scriptoris carminibus, sanctissimi Martyris vitam claudendo meminisse iuuat.

Vides vt alta stes vice Martyrum
Quirine, nec iam sustineas onus
Vitæ laborantis, geluque
Flumina transierint soluto.
Dissolue frigus pectoris, vt loco
Sacro reponam digna tibi patri
Ode canens lætus pedestri
Carmina laude tua referta.
Bibet in æuum vitæ Sorech merum
Quadro Crucis prælo super effluens,
Carmina Iesu proximus tu
Perpetua frueris dieta.
Deo pius des omnia nunc tua
Qui strauit æquor turbinibus graue,
Vt pace te prompti serena
Magnificent famuli patronum.
Tui decus palàm meriti patet
Die suprema, qua petis æthera
Primordiali dignitate
Quæ nitet anteferenda festis.
Maria Christum concipit hac die,
Deus Cruci suspenditur hac die,
Inferna vicit, strauit hostem
Israel à Pharaone soluit.

Deo

Deo pater natum pie victimat,
Pie ſub iſta, qua ſimul omnia,
Priſcæ ſalutis, & nouæ ſunt
Myſtica primitus inchoata.
Polos petis teſtis ſacer hac die
Reliqueras qui terrena mente regna,
In curia cæli receptus
Officio frueris ſuperno.
Sedes ibi fautor pius omnium
Bona fide tu vota ferentium
Afflictiones & labores
Aſpiciens, releuansq; plebis.
Memento noſtri te memorantium
Salute dona laude pias tua,
Largire pacem, ſolue nexus,
Atque Deo iunge tuos per æuum.

Hæc de Quirino Auguſtali gemma cælo terriſq; illuſtriſſima, cuius triumphum poſt Cyrillæ virginis gloriam ſubiecimus, non quia certo habeamus eum poſt ſacrã virginem ſub eodem principe ſacra laurea donatum, ſed ne filiolam à pia matre ſeparaſſe videremur.

# VITA
# S. HADRIANI MART.
## FILI PROBI AVGVSTI.



QVAMVIS virilis virtus pietatis Illyricę primatum Christianæ palmæ inferiori sexui concesserit, numero tamen triũphantium præstans illum assecuta, longè præcucurrit. pro tribus enim Heroinis Irenæ, Tryphonia, ac Cyrilla, præmisso suæ cõditionis antesignano Quirino, ex vnica domo quadrigis Aminadab tartaro terribiliores prodeunt, quattuor Aureliæ Valeriæ familiæ Heroes. horũ primus Quirino in omnibus persimilis, & fermè gemellus Hadrianus inde tamen præclarior quod Ethnico parente progenitus, spontè ad Christi vexillum aduolauit; vbi Quirinus in sinu parentũ pietatem hausisse lætatur. Hadriani nihilominus splendori hoc defuisse dolemus, quod præclarum eius certamen, scriptorum parcimonia plura subtrahẽte, non ea qua Quirini pompa produci potest. Adest itaque Hadrianus optimi simul patris vnica soboles; Dalmaticæq; virtutis immortale honestamentũ. & in quo Quirino coniuncto, nescio quid magni patris Abrahami prærogatiuæ simile, liceat obseruari. quemadmodum enim felicissimæ posteritatis amplitudinem inde ei diuina benignitate contigisse cognoscimus, vnde vnicam sobolem, nullo posteritatis respectu, præcordijs humanis omnibus alijs rebus carioris altissimè insitæ, iubenti Deo offerre minimè hæsitauit; ita Illyricę genti duobus maximorum principum filijs superstitibus, nulla amplissimæ in terris maiestatis continuandæ cura solicitis, Deo oblatis, per ducentos & vltra annos, Illyricam sobolem in Romanæ potestatis apice, continuata fermè serie succedentem,

terra-

terrarum orbis est admiratus. Pater Hadriani Marcus Aurelius Valerius Probus fuit, Dalmatico sanguine Sirmij progenitus, parente Maximiano viro militia claro. mater à quibusdã Claudia, Claudij Imperatoris Dalmatæ soror traditur. sed re vera vt ex antiquis numis apud Stradam, accuratissimum antiquitatis censorem est videre, Iulia Procla dicta, extitit. Cum Valerianus Imperator Probum iuuenem adhuc Tribunum contra leges constituisset, facti causam reddens in epistola ad Miltuium, apud Vopiscum hæc habet; Miraris fortasse quod ego imberbẽ Tribunum fecerim, contra constitutum D. Hadriani, sed non multum miraberis si Probum cogitas adolescentem, verè probum, nunquam enim aliud mihi cum eum cogito nomen occurrit, quod nisi nomen habuit, potuit habere cognomen. ita ille. idem Vopiscus talem fuisse Probum ait, vt illum Imperatorem Senatus optaret, miles eligeret, Populus Romanus acclamationibus peteret. Quinquennali imperio talia gessit, vt Vopiscus cum Traiano, Hadriano, Antonino, Augustoq; comparatum eisdẽ præferat. idem refert: cum imago Probi in Veronensi situ, ita fulmine icta esset, vt eius prætexta colores mutaret, Aruspices responderunt: huius familiæ posteros tantæ in Senatu claritudinis fore, vt omnes summis honoribus fungerentur, sed neminem ait visum, eo quòd vt ait, posteri Probi vel odio, inuidiæ, vel timore, rem Romanam fugerunt. & in Italia circa Veronam ac Benacum larem posuerunt. hæc vt Ethnicus scriptor, & claritudinis cum æternitate duraturæ, Christianæq; amplitudinis nunquam interituræ, prorsus ignarus. cum vt aliàs in Notis Valeriæ nobilitatis ostendimus, Ethnici, cultores Christianæ pietatis indignioribus appellare nominibus cõsueuerint. Quam porrò perpetuus veritatis osor diabolus, Deo permittente, per Aruspices suos summas dignitates posterorum Probi principis diuinauerit, præter Hadriani gloriam, Probi fratris Domitij, huiusq; filiorum Metrophanis & Probi sanctissimorum Byzantinæ Ecclesiæ Episcoporum trina continuata successione mox ostendemus. præter decem præstantissimos horum gentiles & affines,

affines, quos in opusculo Aureliæ Valeriæ nobilitatis nuper edito expressimus. Hadriani igitur ortum, & quoad tempus & locum itidem, peculiari infortunio gentis nostræ, scriptorum taciturnitate prodere pluribus non licet, vti nec reliquę vitæ seriē. patre Probo inaudita victoriarū celeritate, & felicitate, à Vopisco descripta, plerunque longè absente, & à Christianis, proprio Romanorum principum horrore, non alieno; si Domitium fratrem principis Christianitatis magistrum per ea tempora cogitemus; Christianis moribus ab eodem patruo institutum fuisse, par est credere; & fortasse Sirmij, vrbe illa tempestate pietate Christiana nobili; adeò vt etiam Monasticæ vitæ disciplinam, in ea viguisse; Sirenus eiusdem professionis vir, paulò post Maximiano principe pro Christo ibidem martyr dubitare non sinat. vnde Christianus orbis tantæ excellentiæ scholam, ante Macarios, & Antonios, primitiæ gentiū Illyricanæ Ecclesiæ acceptam referre debeat. mortuo principe Probo, eum cum suis ad Benacum lacum, vt ex Vopisco habemus, amore vitæ quietioris secessisse constat: cum Sirmiensis ora, vti & reliquum Illyricum, assiduo Getharum, aliorumq; transdanubianorum hostium incursu, nullam requiem obtineret; sed Domitio ad Byzantinæ Ecclesiæ sedem euecto, eidem progressu temporis adhæsisse non dubitandum. verum enimuero cum Probo, Carus Dalmata, huicq; Numerianus & Carinus filij successerint, tum Diocletianus cum collega Maximiano, inde Constantius & Galerius, Illyrici generis omnes, rebus præfuerint, tempestate Christianis aduersa, quinimmò, Maximiani Herculij & Galerij odio in pios, valdè cruenta, quòd Hadrianus cum Domitio patruo, ac patruelibus, triginta fermè annorum spatio, quietem agere sit permissus inter Christianos, præter consanguinitatis vinculum quod inter Diocletianum & Probum Valeriæ gentis prolem intercesserat, vt in opusculo de Valeria nobilitate edito attigi, eam quoque causam fuisse reor, quoniam vt Vopiscus ait, ij planè omnes quos enumerauimus Principes ex Probi disciplina prodiere: verba eius sunt: Duces præclarissimos instituit, nam ex ijs qui post ipsum imperauere, Carum, Diocletianum,

Herculium Maximianum fuisse &c. ita ille. vnde etiam omnes Valerio cognomine cum posteris insigniri voluerunt, cum Diocletianus gentili prærogatiua etiam illud habuerit. at quod tot Principũ beneuolentia præstitit, Licinij cruda rusticitas, & rustica cruditas eis ademit, ęternitatis tamen fęnore, & gloria splẽdoris ab Aruspicibus gentilium magis diuinata quàm perspecta. hic enim nẽpe Licinius à Galerio Maximiano, cui etiã Armentarij cognomen est additum, extincto filio Seuero, Cæsareis insignibus exornatus, vtpote strenuis laboribus & officijs eidẽ acceptus, & primo vt Illyricus, Illyrico, mox orienti prędectus, homo omnium pessimus sicuti scribit Victor, & inter alia, adeo litterarum ignarus, vt nec decretis subscriberet, inhumani pectoris virus Maximiani ingenio adulaturus, in Christianos illis in partibus agentes euomuit, præsertim verò Nicomediæ, vbi principatus sui maiorem partem exegit. causam immanitatis euomendæ, fortè inde accepit, quod paulò ante Maximinus Galerij filius pari potestate à patre cum Licinio præfectus Orienti, Licinij vel filiam vel sororem, incertum, Augustam suam, à Catherina nobilissima Christi Virgine cælesti sponso conciliatam, Alexandriæ vt suo loco dicemus morte affecerat. verùm vt ex Græco Menologio licet colligere eo loco quo certamen Hadriani breuibus refertur, Licinius accepto prætextu Christianos insectãdi, re vera autem impatiens societatis in Regno, quod non capit duos, contra Maximinum collegam, Romanosq; exercitus eidem adhærentes sæuire cæpit, quamobrem Hadrianus, cum furorem hominis in Deum, ipsosq; Romanos exercitus debacchantem, pro ea sanguinis nobilitate, & reuerentia, qua à decem Romanis principibus, hactenus in precio habitus, & obseruatus fuerat, temperaturus, suæq; religionis hominibus consulturus, Licinium Nicomediæ agentem, ex primo adiret Byzantio, eidẽq; exprobraret, vt habet Menologium græcum, quod Romanos exercitus vastaret, prætextu Christianæ persecutionis, diuersis tormentorum modis Licinij impij iussu, capite truncatus est. eiusmodi fermè verbis Romanum quoque Martyrologium agonem Herois

Augu-

Augustalis describit. dum ait. Nicomediæ passio sancti Hadriani filij Probi Cæsaris, qui Licinio persecutionem in Christianos exprobrans, ab eodem iussus est occidi, cuius corpus Domitius Byzantij Episcopus, eius patruus, Argyropoli sepeliuit. ita ibi. cum alibi plura reperire nequeamus, die septimo Kalendas Septembris. hæc de Hadriano, martyrum nobilissimo. de cuius patre Probo, si veteres censuerunt ob morum præstantiam debuisse dici Probum etiamsi tale nomen non habuisset; Hadrianum, non Hadriaticæ tantum oræ, & regionis, quàm Hadrius insidet mons, decus, sed verè Aureum pro Aurelio, & dignam sobolem telluris illius, quam alia occasione Poeta auriferam terram appellauit, dicere possumus ac debemus. simulq. de illo concludere quod alter Poeta in aliam cecinit sententiam, carmen nempè perennitati virtutis eius aptissimum. & ære perennius Elogium.

Sed locum virtus habet inter astra,
Vere, dum flores venient, tepenti;
Et comam syluis, hyemes recident,
Vel comam syluis, reuocabit æstas,
Pomaq; autumno fugiente cadent.
Nulla te terris rapiet vetustas.
Tu comes Phæbo, comes ibis astris.

# VITA S. METROPHANIS, PROBI EIVS FRATRIS, EORVMQVE PATRIS DOMITII, BYZANTINORVM EPISCOPORVM.



QVOD circundata varietate, & sacris fæcunda prodigijs Christiana tulit nunquã religio, apud vllam gentem Christo renatam, vt Romani præstantissimi Principis fratrem, pro Cæsareo diademate contempto, sacræ infulæ decore radiantem; nobili biga sanctissimæ prolis, sibi in eiusdem sacrati culminis maiestate succedentis parentem, in altera Romani imperij arce, & mox Romæ æmula contemplaretur, Regiæ sanctitatis Illyricanæ fæcunditas, in Aurelio Valerio Domitio, Probi Imperatoris germano fratre, eiusdemq; filijs Probo nempè ac Metrophane, Byzantinæ sedis Episcopis, exhibuit cælo, terrisq; spectaculo gratissimo. quorum vt vna eademq; origo, pietas, dignitasq. extitit, ita vna eademq; narratione exponuntur. & vt à patre incipiamus: Natus est Aurelius Valerius Domitius, Dalmatio sanguine, sicuti Victor de fratre eius Probo principe, testatur, in Vrbe facilè Sirmio, fraterno natali solo; patrimonium illi moderatum teste Vopisco in Probo, affinitas non magna fuit. patrem habuit Maximinũ, qui cum ordines honestissimè duxisset, apud Ægyptum vita functus est. ita ille: fratre Probo Romanæ militiæ à teneris annis addicto, eum Christianam pietatem in Illyrico per ea tempora, vt in Hadriano attigimus, nobilem, tenuisse, colligi potest ex Zonara, qui Tomo 3. in vita Constantini scribit, Domi-

tium ob Christianæ religionis professionem, Roma Byzantium profectum, in Episcopatus speculam euectum fuisse. adde quòd, vt legimus in Menologio græco, sub die quarta mensis Iunij, memoriæ Metrophanis dicata, Domitius Byzantium profectus, diutiùs ibi est commoratus cum Tito eius Vrbis Episcopo, & ad Ecclesiasticos honores, antequàm ei in sede successisset, est promotus, non alio nisi Christianæ perfectionis merito; quem Titum sedisse viginti quinque annis scribit Nicephorus, ita vt & Probi, & aliquot antecessorum eius, Aureliani nempè Claudij, Valeriani & Decij temporibus Byzantinæ præfuerit Ecclesiæ, necessariò fatendum erit, eum multò ante Christianæ professionis extitisse, sacerdotale enim primò; mox Episcopale meritum talia suadent. hinc quod in Valeria nobilitate de Caio Pontifice obseruauimus, magis ac magis efficitur credibile, Aurelios nimirùm Valerios, pietatem in patria haustam, Romæ quò ad famam Claudij sui gentilis & affinis confluxerant, tanquam in virtutis theatro, egregium illius specimen edidisse. vxorem Domitij silentio scriptorum Ethnicorum profundissimo, Christianis quoque nil de ea scriptis consignantibus, incompertá habemus: & quidem Ethnici ne Domitij quidem meminere, dum Maximianum eius parentem filio, filiaq; tantum relictis obijsse tradunt, cum tamen de posteris Probi, vt vidimus, confusè meminerint. cur porrò Domitius & patre militia claro, & fratre, qui, vt in Hadriano vidimus, à primis annis, Tribunatu nobilis; nulla Romana dignitate sicuti nec Hadrianus honestatus legatur, illud crederem fuisse in causa; quod qui Christianam profiterentur religionem, ab honoribus politicis omninò abhorrebant: ita habemus apud Origenem lib. octauo contra Celsum: longè à moribus Christianorum abfuisse, præfecturas ambire: at cum Zonaras scribat Domitium Roma ob Christianæ religionis professionem profectum; potuit hoc contigisse, eo tempore, quo sæuiente circa Claudij tempora persecutione à Valeriano pridem excitata, Cyrilla ipsa Decij Principis filia, immortalitatis palmam arripuit. Byzantium vbi accessit, à Tito Vrbis Epi-

scopo

ſcopo exceptus, diu apud illum verſatus, ad Eccleſiaſticos eſt honores promotus: quo vita functo, in Epiſcopalem ſpeculam eſt euectus, vt ait Zonaras: quod autem ſpectat ad tempus quo ſedere cœpit, cum omnes ſcribant eum Hadriani nepotis corpus ſepulturæ mandaſſe, ac proinde perueniſſe ad Imperium Licinij, qui cœpit imperare Conſtantini anno ſexto, Chriſti trecenteſimo ſeptimo; Domitius autem ſcribatur à Nicephoro in Chronico, viginti quattuor annos, & ſex menſes in Epiſcopatu exegiſſe, huius primordia vel ſub finem imperij Probi, vel ad initium Cari neceſſario erunt reponenda; hoc eſt circa annum Chriſti ducenteſimum octuageſimum quartum: vnde naſcitur illa difficultas, qua ſi Metrophanes eius filius anno Chriſti trecēteſimo ſeptimo vt ex Socrate, Sozomeno, Cedreno. probat Baronius, poſt tertium ſedis annum ſenio confectus Alexandrum ſibi ſubſtituendum curauit, eius frater Probus, & anteceſſor, nullatenus duodecim annis à Nicephoro ei aſſignatis ſedere potuit, niſi ſex tantummodò; ita vt vel apertiſſimi erroris ſit arguendus Nicephorus; vel ita anni Probi ſint intelligendi, quatenus ſex annis ſolus poſt Domitium patrem ſederit, ſex verò cū patre iam ſenio confecto in partem laboris ab eodem cooptatus tranſegerit, atque ita duodecim annis fuiſſe dici poſſit Epiſcopus. vtcunque ſit; & vel extremo Probi, vel initio Cari imperatorum, quod negare Hadriani ſepultura vetat, Domitius præſulatum Byzantinū poſt Titum inierit, magno Illyrici nominis ornamento vidit Chriſtianus orbis, imperio principū præſtantiſſimi fratrem, virtute pietatis eminentiſſimum, in nobiliſſima Chriſtianæ maieſtatis ſede Byzantina ſucceſſiſſe, & ad viginti quattuor annos in illius adminiſtratione perſeueraſſe: ſed illorum temporum familiari infortunio, cum adeo diuturni præſulatus vel minimum quid geſtorum ex ſcriptoribus haurire concedatur: animi tamen conſtantia in ſene decrepito, & in nepotem indigna morte ſublatum, pietas, qua Conſtantinopoli Nicomediā adijt, omniq; formidine quam ei Licinij furor incutere potuiſſet, depoſitā, nepotis corpus ſu-

 ſtulit,

ſtulit, Argyropolimq; tranſlato, Chriſtiano ritu parentauit, ſanè admiranda fuit. huius eximij operis, vitæq; ſanctiſſimè exantlatæ meritò mox eum remunerandum ad cælos euocatum quieto fine fuiſſe, certum eſt, at quo certo tempore, nil certi audemus affirmare.

Succeſſit Domitio Probus filius, vt patrui nominis & probitatis hæres, ita paternæ pietatis & alumnus, & continuatus poſſeſſor. eum ſi patris, & Metrophanis qui ei ſucceſſit longam ſenectutem ſpectemus, in Illyrico natum nequaquam ambigemus, matreq; facilè in patria fatis concedente, patri vbicunque terrarum fuiſſet, adhæſiſſe. indèque moribus Chriſtianis exc ultum, ſibi viam ad præſulatum ſtrauiſſe ſacerdotij, in quo patri diutius, & fortè ijs ſex annis, quos inter duodecim eius Epiſcopatus adnumerat Nicephorus, coadiutor, egregiam nauauit eperam, ſex alios patri vita functo ſucceſſor, Byzantinam Eccleſiam difficillimis temporibus adminiſtrauit, Licinio nempè in Chriſtianos ſæuiente. vt autem poſt longas ærumnas aliqua felicitate Chriſtiana deguſtata, ad æternitatis gaudia, triũpho de impietate acto, cælum conſcenderet, contigit vt ante extremum ſuæ ſedis annum, inſtauratæ felicitatis decimum tertium ſupra trecenteſimum, Licinius immanitate in Chriſtianos vel compreſſa, vel diſſimulata, ſimul cum Conſtantino, cuius ſororem Conſtantiam iam duxerat vxorem, Chriſtianæ religioni & libertati edicto publico conſuluerit. atque ita Probus qui patris ſedem trecenteſimo octauo anno Chriſtiano, excepit, quartodecimo quarti ſęculi, illam Metrophani fratri reliquit. cum ijs temporibus quibus cum patre ac germano vixit, vtpotè qui ad extremam ſenectutem peruenit, ſeptuaginta quattuor annorum ſpatio Illyricana gens vigintitres, immò vigintiquinque, ſi duo Philippi cõcedendi ſint noſtratibus, principes Romanis faſtis illuſtres habuerit, Iulios nimirum Maximinos duos, Decium cum duobus filijs, Claudium, Quintillum, Criſpum tres fratres, Aurelianũ, Probum, Carũ cum duobus filijs Carino ac Numeriano, Diocletia-

num,

num, Maximianum Herculium, Maximianum Galerium, cum duobus filijs Seuero, ac Maximino, Constantium & Constantinum filium; Maxentium cum Romulo filio; & Licinium.

Metrophanes post patrem Domitium Probo fratri in Byzantina sede subrogatur; quartus à Cedreno numeratus illius sedis Episcopus. ex successione verò Byzantinorum presulum à Nicephoro in Chronico descripta, post Andream Apostolum, quem scribit primum Byzantij sedem posuisse, decimus octauus. Cedreni tamen magis in hac authoritati, quàm Nicephori assertioni deferendum censerem, cũ Gelasius Romanus Pontifex, Ecclesiam Byzantinam, nequaquã Apostolicam, sed parochiã Heracliensis Ecclesiæ fuisse, litteris ad Episcopos Dardanię datis ostendat. quibus accedit id quod Curopalata, qui sub Palæologis principibus, sub occasum Constantinopolitani scribit Imperij, Patriarcham Constantinopolitanũ non ab alio quam ab Heracliẽsi Archiepiscopo consueuisse ordinari: rationẽ reddens eandẽ quam Gelasius ad Dardanos. Metrophanis sedes incidit in annum Constantini Principis nonũ, Christiani quarti sæculi, vt dictum est, quartum decimum. quo tempore Christiani edicto Constantini, & Licinij faustæ pacis libertate, quietẽ agebant. etenim Maximinus quoque qui in Oriente imperabat, infestissimus Christianis, vel inuitus à Constantino & Licinio adactus, pro Christianis rescripserat: cuius rescripti paulò post pœnitens, cum duorum principũ iram in se concitasset, collatis signis, ingenti clade affectus Tharsum fuga petijt, vbi rescriptum, metu regnantium principum expressum, statimq; abolitum, à regnantium Rege horribili morbo percussus, immanitatis tandem iusta pœna agnita, detestata impietate in Christianos exercita, lege latà pro illorum immunitate, firmauit, & miserandum in modum expirauit, vt apud Eusebium est videre. eo mortuo Licinius qui hactenus & beneficijs Constantini delinitus, & Maximino hoste non contemnendo viuo, cognato Principi vtcunque adhæserat, & in eius gratiam, Christianæ libertati detulerat, sublatò hoste, ad ingenium immane redijt paulatim, demùm in apertam hostilitatem contra Con-

stantinum prorupit, bello inter eos sextodecimo anno quarti sæculi exardescente. Ethnici scriptores, vt Zosimus & Victor culpam in Constantinum reijciunt; Eusebius, more suo, longa verborum digressione Constantinum purgat, Licinijq; male sedato ingenio causam tribuit. Nicephorus in Chronico bellum hoc à Constantino contra Licinium motum fuisse scribit, propter Metrophanem Byzantij Episcopum, causam tamen propter quā ob Metrophanem moueretur pius princeps, non explicat: quarè, vt ego conijcio, illa fuit, quia nimirùm Licinius, qui vbi primùm à Galerio dictus est Cæsar, licèt Illyrico fuisset præpositus, mox tamen eiusdem voluntate Orienti iussus est præesse; Galerio in Illyrico regnante, sublato porrò Maximino, & Galerio iam mortuo, minimè contentus libero Orientis imperio, & Constantini gloriæ impatiens, in Christianos, qui omni conatu de se optimè meritum Constantinum tueri pro virili ope adnitebantur, perfidæ mentis conatum exacuit, præsertim contra Illyricos, qui teste Sozomeno, sub Constantino degentes, liberè res suas agebant, accepto prætextu, quod Illyricum cui ipse initio sui principatus præfuerat, ad suam pertineret ditionem, hinc absente Constantino, traijciens ex Asia in Europam, Heracleæ vrbe primaria, Christianis bellum infert; vbi Ammonem Diaconum, cum quadraginta Virginibus quas ille in fide erudierat, vt habet Romanum Martyrologiū, morte affecit: itaq; cum in proximum Metrophanem vel ab eo impietatis redargutus, vel odio gentis Valeriæ, cuius sanguine sacrilegas manus pridem fœdarat, vellet insurgere, is verò tanquam pastor Christiani ouilis in illis partibus sibi, suisq; prouincialibus consulturus, cum Constantini opem imploraret, pius princeps & Christi causæ, & sancto præsuli, & populis, quos post tyrannidem Maxentij fortiter à Gethis & Sarmatis, tanquam suos protexerat, deesse cum non posset, postquam, vt par est credere, Licinium quibus potuit, vt cognatum & hactenus inter Christianos profitentem rationibus, ab immanitate reuocare non potuit, contra eundem, imò potius contra impietatem expediuit arma, salutari triumphaliq;

phaliq;

phaliq; signo crucis semper victricia. quo bello primo in Pannonia profligatus Licinius, mox in Thracia, pacem, intercedente vxore Constantia, à Constantino obtinuit, ita tamen vt orientali principatu contentus, ab Illyrico & à Christianis insectandis abstineret. sed ille iterum resumptis viribus, redintegratoq; bello Constantinum aggressus, cum terra, mariq; pugnasset infeliciter, apud Nicomediam Constantino se dedidit, salute tantum pactà, dignitate & insignibus imperij resignatis, vnde Thessalonicam, priuatam vitam acturus, Constantini iussu, secedens, cum iterum res nouas moliri cæpisset, interfectum ferunt: alij vt in Constantino videbimus, in Gallias relegatum difficillimo morbo oppressum, ingemiscentem scelera anteactæ vitæ, & verum Deum à se reprobatum, confitentem, excessisse tradunt. Metrophanes itaque Constantini opera pacem assequutus, respirauitq; verùm enimuerò cum senectute prægrauante se minus aptum pascendo gregi bonus pastor agnosceret, Alexandrum presbyterũ substituendum sibi procurauit, ita tamen vt in ijs quibus valeret, pastorali muneri minimè deesset. quem sibi laboris socium quarto præsulatus anno admisit, quarti sæculi decimo octauo: nec solùm socium laboris, sed vt habet Menologium Græcum, diuina reuelatione, tam eius, quàm Pauli qui post vigesimumquintum annum in eiusdem Alexandri locum sufficiendus erat, sanctitatem prædixit. at cùm Nicephorus decem annos illum sedisse scribat, sex reliquos exactos post Alexandri substitutionem computare illum voluisse est credibile: quos tamen ego aliquantulum longiores inde colligo, quia illum Nicænæ Synodo superuixisse, ex pluribus habeo, ex eodemq; Nicephoro inprimis, qui post notatum tempus sedis eius: Cum, inquit, ob decrepitam ætatem in Synodo Nicæna considere non posset, eius vicem Alexander presbyter suppleuit: ita ille. Author verò orationis de Concilio Nicæno à Lipomano tomo sexto relatus, testatur Alexandrum presbyterum Constantinopolitanum, vicem gessisse sui pontificis in Concilio. Metrophanes enim, inquit, sanctus non aderat, tum propter profundam senectutem, quàm propter

aduersam

aduersam valetudinem. ita ille. denique citatum Menologium hæc de eo habet. Hic senio & morbo grauatus Nicænam magnam Synodum adire non potuit, sed vicarium misit, primum inter presbyteros Alexandrum, quem & successorem suum habuit; hic ad summam senectutem prouectus, magno Constantino Imperatori, sacræ Synodo, Patribus cum illo reuersis, Regiæ vrbi, & Ecclesiæ benè precatus, requieuit in Domino. hæc ibi: at cum Nicæna Synodus anno vigesimo quinto illius sæculi sit celebrata, excessisse decimum sedis annum, Metrophanem, vltrà Nicephori notam, fateri cogimur, eò magis quòd absoluta etiam Synodo, sacræ Pompæ, qua Byzantium in amplissimam Vrbem sui nominis, excultam Constantinus, cum per Patres quorum magna pars in Nicæna Synodo consederat, Deo, Deiparæq; dicasset, idem Metrophanes interfuisse, & præfuisse legatur; qui & Imperatori, & Patribus, & Vrbi, & Ecclesiæ sit benè precatus. vt aureæ libertatis & maiestatis Christianæ, fundatores & conditores, Christianus orbis post trecentesimũ annum perpetuæ iactationis & squalloris, non nisi Aurelios Valerios, aureorum sęculorũ felicissimo omine instauratores Metrophanem nimirum & Constantinum, Valerio cognomine, & Aurelia consanguinitate clarissimos valuerit agnoscere. extat Metrophanis anniuersaria memoria in Romano Martyrologio, eodem die, quo Græco quoque Menologio nobilis, quarta nimirum Iunij. eiusçemodi verbis.

Constantinopoli sancti Metrophanis Episcopi, & confessoris insignis.



VITA

# VITA S. ARTHEMIAE V. ET M. F. DIOCL. IMP. ET S. SERENAE MATRIS EIVS.



VREÆ pietati Aureliæ gentis Probi Principis, ipsis quoque prophanis oculis stemmate præclaræ, proximè accedit, sanguine, patria, Augustali maiestate, affinis, numero tamen sacrorum Heroũ, & virtutis eminentia, longè maior, ex Diocletiani imperatoris, Caijq; patruelis eius, apostolici supremi throni gloria clarissimi, laribus emicans, aureis notis exprimenda sanctorũ Decuria; at cum eius gloriam, & imagine, & peculiari opusculo, titulo, Vnicæ Aureliæ Valeriæ Salonitanæ Dalmaticæ nobilitatis, spectandam orbi iam proposuerimus, ommissis octo alijs, earum tantummodò breuiter hic intra regiæ sanctitatis Illyricæ fecunditatem, memoriam referemus, quæ ex Augustali terreni Regis palatio, ad æterni Principis aulam, pietatis gradibus conscenderunt, Arthemiæ filiæ, & Serenæ vxoris Aurelij Valerij Diocletiani Augusti. patrem hic habuit Aurelium Valerium ciuem Salonitanum, Dalmatam; prima stipendia sub Claudio fecit, per gradus inde Aureliano principe, ad maiora progressus, sub Probo gentile consanguineoque, primas militiæ dignitates adeptus, post Carum Numeriano eius filio successit, ab exercitu assumptus

ad

ad imperium, quod ipsi, adhuc gregario militi, fuerat prænunciatum. cum enim apud Tungros in Gallia, vt ait Vopiſcus, militaret, & aliquando cum Druide quadam cauponariam exercente, rationem conuictus ſui quotidiani faceret, atque illa diceret: Diocletiane nimium auarus es, nimium parcus, ioco non ſerio; Diocletianus reſpondit: non ero parcus cum imperauero. Diocletiane iocari ait noli, nam Imperator eris cum Aprum occideris. qui, vt erat altus, riſit, & tacuit; ſemperq; exindè in venationibus Apris interficiendis ſtuduit. ſed cum plures ſubindè Imperatores ſuccederent, aiebat: ego ſemper Apros occido, ſed alter vtitur pulpamento. verùm cum poſt mortem Numeriani principis ab Apro ſocero interfecti, quæreretur, quis daretur Reipublicæ bonus princeps, Diocletianũ omnes Auguſtum appellarunt. virum, vt idem ait, inſignem, callidum, amantẽ Reipublicæ, amantem ſuorum, & ad omnia, quæ tempus quæſierat, paratum. qui ſtatim educto gladio Aprum percuſſit, ſubdens: tandẽ Aprum occidi. ita illc.. factum exercitus, Senatus Populusq; Romanus, approbauit viuente licet Carino Cari filio, & fauore Illyricanorum, Gallicanorumq; prouincialium, quibus præerat, imperante, quo poſt triennale bellum extincto, Diocletianus habenas imperij ſolus obtinuit. ſed mox Maximianum collegam Regni adſciuit. vxorem Serenam, prophanis ſcriptoribus ignotam, vtpotè Chriſtianam, ante imperium duxit, ex eaq; filiam, Valeriam ſuſcepit, quam poſtea, Maximiano Galerio deſignato in imperio ſucceſſore, cum maſculæ prole caruiſſet, vxorem copulauit. Arthemiam, poſtquam ad imperium eſt euectus, ex eadem Serena progenuit. hæc in patria nè apud Salonas, vel Romæ potius Chriſtianæ pietati adhæſerit, non ſatis liquet. hoc certum, vt oſtendimus in Valeria nobilitate, Diocletiano conſcio illam religioni ſtuduiſſe; hinc poſt mortem Valeriæ filiæ, cum Suſannam Gabinij fratris Caij Pontificis, patruelis ſui filiam, viduo Maximiano Galerio vellet vxorem dare, vbi Chriſtianam à nuptijs Ethnici principis abhorrentem didicit, Serenæ dedit negotium, vt puellam in Palatium aduocatam, ad nuptias ineun-

das

das cum Maximiano inflecteret, at cum post multos dies, marito rem vrgenti, illa respondisset, se nihil posse proficere cum Virgine, quæ Deum sibi sponsum præoptarat, Diocletianus iussit puellam ab ædibus Augustalibus, ad paternam domum remittere, eo consilio, quod suo loco explicuimus. Ferunt Serenam digredienti Virgini, eandem diuinæ prouidentiæ tutelam deprecatam fuisse, quæ priscæ quondam Susannæ innocentiam protexisset, & illustrasset; quin imò, cum mirandis successibus, qui Maximiano vim Virgini illaturo contigerant, turbatus Diocletianus Reginam adijsset, deq; Christo multa cum ea disputasset, inania contendens omnia, quæ de illius aduentu diceretur, Christianamq; religionem superstitionis arguisset; Serena tanta prudentia, & animi magnitudine ad omnia ab imperatore obiecta respondit, vt validissimis rationibus marito superato, pudorem ei offunderet, ille cum se verbis eius, & rationibus refutandis imparem cerneret, mutato sermone, conqueri cæpit, quòd tanti illa non fuisset, vt Susannam ad nuptias cum Galerio contrahendas adigere valuisset; aït illa magna animi constantia: elegit, inquit, Susanna siquidé quod melius est, cuius rei idem filius tuus adoptiuus testis habetur, qui cælesti fulgore eam ambiri, atque Angelica tutela custodiri, non denegauit. ita illa. vndè hallucinari eos, est necesse, qui Serenam occultè, & inscio marito fidem Christianam coluisse contendunt. eadem, statim atque Susannam ad Virginitatis lauream, martyrij coronam adiecisse accepit, tanto successu læta, noctu ad ædes Gabinij, intra quas secretò Virgo percussa fuerat, accessit, eiusq; sacrum corpus proprijs manibus curauit, sanguinemq; ibi effusum, suo velamine extersit, repositoq; illo in arca argentea, intra penetralia palatij, magna pietate adseruádo, diu, noctuq; furtiuis precibus deinceps inibi perorauit. corpus porrò Susannæ ipsa suis manibus, aromatibus delibutum, & linteis inuolutum, in crypta ad sanctum Alexandrum, in arenario deposuit. felicitatem Christianam huius Augustæ, dignam planè sua ingenti in Deum pietate extitisse minimè ambigemus, si vnius anni spatio, Caium Romanum Pontificem, cum fratribus,

bus, Gabinio presbytero, ſcriptore eruditiſſimo, Claudio tribuno, Maximo tribuno itẽ, & Comite rei priuatæ Diocletiani principis, necnon Præpedignam Claudij vxorem, eorumq; communes filios Cuthiam & Alexandrum, cum Suſanna Valeriæ ſuæ familiæ lucentiſſima octo ſydera ad cælum præmiſiſſe ante ſe perpendamus. tantum à vero abeſt, quod Petrus de Natalibus ſcribit, eam mærore ex ſanctæ Suſannæ indigna nece concepto, paulò poſt obijſſe. conſtat enim ex pluribus inde ſecutis, Auguſtam multis annis à Suſannæ martyrio fuiſſe ſuperſtitem, & de promouenda re Chriſtiana ſtudioſiſſimam, vel ex vnius Marcelli Papæ Actis. quin & mariti animum ad Chriſtianorum fauorem eò deduxiſſe, vt nullus ex Ethnicis Regibus res Chriſtianas tantum, quantum ille, promouerit, ſi alioqui ſemper ei minus addicto, Euſebio eorum temporum ſcriptori, alijſq; poſteriori-bus, quos citato opuſculo produximus, eſt fides adhibenda; ea occaſione præſertim, qua Cyriaci Diaconi opera Arthemia vnica principis filia, à malo dæmone agitata, mentis & corporis eſt aſſecuta ſalutem. hanc adoleſcentulam cum preces & lachrymæ piæ parentis vnicæ ſoboli inhiantis, paternæ impietati, & Valeriæ ſororis infauſtæ conditioni ſubtrahere conarentur, humani generis antiquus hoſtis, maternorum viſcerum pium exulceraturus affectum, virgineum inuadens corpuſculum, furialiq; præſidio circumſeptum, ſibi vindicat; ignarus quòd paulò poſt, in illo Deo dicandum ſacrarium turpiſſima fuga ſpectaturus eſſet. tantæ rei nouitate Diocletianus mirum in modum perterritus, eò doloris deuenit, vt aliquando inops conſilij per diem integrum à cibo abſtineret, at vbi defuit humana induſtria, patris miſericordiarum benignitas adfuit. redierat ex Africa tunc temporis Diocletiani collega Maximianus, cognomento Herculius, &, vt is qui ferociores animos in Chriſtianos perpetuò geſſit, multa millia Chriſtianorum Thermis Romæ extruendis damnatorum adduxerat, hos duriſſimo operi addictos, ij qui ea tempeſtate in Vrbe præcipua pietate eminebant, Cyriacus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, cum Largo & Smaragdo, facultatibus, à Thraſone viro

pio

pio Maximi Tribuni & Comitis opum ſecreto diſpenſatore, ſibi ſubminiſtratis, labore non minus quàm inedia afflictos. Chriſtianæ pietatis officijs dum recrearent, à ſatellitibus piorum inſectationi intentis, carceribus mancipantur. verùm cum ad illos concurſus eorum fieret aſſiduus, qui morbis opprimebantur, Cyriaco diuina ope illos ſanitati reſtituente, quadam die cruciatibus inſolitis ad agitatam puellam princeps accedens, malus dæmon per os puellæ occlamitare cæpit, ſe niſi Cyriacus adſit Diaconus, minimè ex corpore Virginis egreſſurum. iubet itaq; Diocletianus hominem perquiri & aduocari; eductum è carcere rogat, vt filiæ afflictæ opem ferat, accedit ad puellam Cyriacus, dæmonemq; ijs verbis affatur: In nomine Domini Ieſu Chriſti Crucifixi, exi, vt vas mundum efficiatur ſuperuenienti Spiritui ſancto, hæc dæmoni; Puellæ verò: Crede filia, crede, in Deũ patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius, vnicum Dominum noſtrum. ad hæc illa magnis vocibus exclamat, dæmone impellente: O Cyriace ſi hinc me eijcis, ego te in Perſidem vſque compellam. Cyriacus magis ac magis perfidiæ Colubrum vrgens, eaſdem voces ingeminat. In nomine Domini Ieſu Chriſti exi, quibus exire compulſus, Arthemia ſtatim in has voces prorupit: per ipſum nomen Dei te adiuro ò Cyriace vt me baptizes, quia video procul Dominum quem tu prædicas, & quia fortè alliſione dæmonis humi ſtrata iacebat, adnitentibus Largo & Smaragdo Cyriaci ſocijs, eleuatur à terra: requieq; ei conceſſa eo die, ſequenti luce ex Chriſtiano inſtituto Cyriacus puellam Chriſtianam legem edocuit, mox allatam aquam cum ritè ſacraſſet, præſente Serena Auguſta matre, illam lauacro Chriſtiano expiauit, maximo piæ matris gaudio. quæ ab eo die in poſterùm iugiter expiatæ recentèr filiæ illud repetebat: vt nimirùm Chriſtianam religionem amaret: Diocletianus inopinata filiæ ſalute cognita, Cyriacum & ſocios omnimodæ libertati aſſeruit, argumentoq; grati animi, eidem de filia optimè merito, domum in Vrbe, non longè à Valerijs ædibus aſſignatam donauit, multiſq; alijs beneficijs in dies, Serena agente, auxit. incidit

F Arthe-

Arthemiæ ſalutare lauacrum in Chriſtianæ fauſtitatis exortæ poſtremum tertium ſæculum, quarto verè aureo exoriente; poſt triumphum Caij Pontificis, aliorumq; eius domeſticorum anno quarto. ex quo tempore Arthemia in ſinu, & ſub educatione ſanctiſſimæ matris, tantum profecit, quantum vitæ eius, glorioſa martyrij conſtantia præclarus exitus comprobauit. vix tertius annus poſt Auguſtalem virginem ſaluti mentis æquè ac corporis reſtitutam ad ſinem tendebat, adeſt nuncius, à Perſarum Rege Sapore ad Diocletianum, cum litteris, quibus Imperatorem deprecabatur, vt Cyriacum Diaconum, in Perſidem pro cura filiæ ſuæ Iobiæ à dæmone cruciatæ tranſmitteret. ille ab Vrbe abſens, Serenæ Auguſtæ, Romæ cum filia agenti, negotium Cyriaci in Perſidem pro voto Regis, & legatorum, mittendi cõmittit. hæc ſignificata voluntate mariti Cyriaco, in nomine Domini eum iter aggredientem, cum ſocijs, vehiculis, naui, cæterisq; neceſſarijs rebus inſtructum, regia liberalitate deſtinat, ad Saporem. apud quem re feliciter ſuccedente, breui Romam reuertitur. quem redeuntem, Diocletianus magno honore affecit. Serena cum filia ingenti alacritate in domibus, eidem ab Imperatore donatis, excipientibus ſanctum hoſpitem. nec multò poſt, duobus nempè menſibus, Diocletianus vigeſimum imperij annum agens, cum ſummo quietis otijq; deſiderio teneretur, eo quod ſe ſatis Reipublicæ inſeruiſſe dictitaret, depoſitis habenis imperij, Regno ſeſe abdicauit; atque in villam propè Salonas, in littore maris Dalmatici extructam, priuatam vitam ducturus recepit. magno quidem animo, & exemplo inaudito, ſed multò maiori, & quod fidem excederet, niſi decennalis obſtaret experientia, vt poſt ampliſſimam in Vrbe maieſtatem ſpontè depoſitam, nec prouinciarum precibus, nec Senatus Romani legationibus, nec ipſo Collega inſtante, & Regnum cum illo depoſitum reaſſumente, adduci potuerit, vt Regiæ ſplendorem ruſticanæ quieti anteponeret; illud ſubindè repetendo, tunc ſibi lætos affulſiſſe ſoles, cum in patria ſua, manu propria olera à ſe comedenda ſerere inceperat. ſucceſſere Diocletiano Maximia-

nus

nus Galerius; Herculio Maximiano Chlorus Conſtantius, iam pridem generi & ſucceſſores adſciti. At Serena cum Arthemia pietatis officijs intenta manſit in Vrbe, ibiq; ſanctiſſima vita digno fine neceſſitatis humanæ debitum ſoluit: eâ luce, quæ ſupremæ cæli Reginæ tranſitum ad immortalitatis thronum, proximè conſequitur. ſed quo anno incertum habetur. veroſimile, & pietate ſua eximia condignum cenſeo, eam quæ tot laniénas piorum, ſuorumq; inprimis fuerat contemplata, diuina benignitate eouſque vitam protraxiſſe, donec Conſtantini, bono generis humani nati, & Chriſtianæ religioni ab indigna oppreſſione in libertatē vindicandæ à Deo datum Imperatorem agnouit. recolitur à Chriſtiano orbe quotánis eius memoria die nuper memorata. Morte matris Virgo Arthemia nihil de magnanimitate Chriſtiana, Regio remiſit animo: quin pietatis dux & magiſtra, tantum in Vrbe profecit, vt eius virtus Galerij Maximiani animum, Chriſtianis infeſtiſſimum, ad mortem inferendam, vnicæ ſoboli viuentis adhuc principis à quo ille principatum acceperat, accenderit. eum enim ferre non poſſet, vt Virginis Auguſtalis exemplo & Cyriaci opera Chriſtiana fides in Vrbe, maiora in dies ſumeret incrementa, Cyriacum cum pluribus alijs mortē aſſecit: tum ſororem Arthemiam aggreſſus, vbi nec minis nec tormentis, illam à pietate Chriſtiana dimouere potuit, capite truncatam, terris iam nobilem, cælo nobiliſſimam intulit: ſed ei demum tanta impietas magno ſtetit, eas etenim pœnas per Euſebium fuſè deſcriptas ab irato Deo in corpus eius immiſſas, totius orbis admirationa perſoluit, quibus volens nolens; damnatam à ſe, & omni impietate exagitatam Chriſtianam religionem, lege lata publicè approbauerit; ſceleriſq; ſui immanitate damnata, vitam & Regnum diro fine amiſit, vniuerſa eius poſteritate cum amicis & adhærentibus, à Licinio quem ad imperiũ, imò potius ad carnificinam in pios continuandam ferum & immitem extulerat, jure meritò funditus exciſa. vt Chriſtianam gloriam quam trecentorum annorum ſpatio omnium Ethnicorum principum violentia conculcare, & excindere fruſtra tenta-

uerat, innocuus Arthemiæ sanguis, immaniter effusus, tanquam alterius innocentis Abelis, voces ad Deum emittens, ex ipsius Tyrannicæ impietatis ore, legibus approbatam extorserit. corpus Arthemiæ Marcellus Pontifex. cuius Actis hactenus institimus, & Lucina pietatis inclytæ fæmina, iuxta Susannæ reliquias condiderunt, vnde postea ad Ecclesiam sancti Sylueſtri in campo Martio à Paulo primo Pontifice conditam, translatum, ibidem requiescit. contigit Arthemiæ triumphus circa extrema Marcelli Papæ tempora. Dies natalis eius idem cũ anniuersaria memoria Cyriaci Diaconi & sociorũ, sexto idus Augusti tabulis Ecclesiasticis recẽsetur, cum re vera decima septima dies Kalendas Aprilis, mortalitatem eorum immortalitate commutarit. & hæc quidem Marcelli Papæ Actis innixi tam hic quàm in opusculo A. Valerię nobilitatis dę Arthemię interfectore Maximiano Galerio scripseramus, verùm cum eodem prorsus tẽpore quo hęc typis imprimenda dabantur, cõtra Taddęũ Donolã Hispellensem somnia calamum stringere cogeremur quo Felicẽ sanctum Episcopum & Martyrẽ publico latrocinio eiusdem Taddęi Spalatensibus ablatum, Hispellensibus asserebat, restitueremur Illyricis, Maximianum Galerium nequaquam in Italia iurisdictionem exercere potuisse cognosceremus, Arthemiam à Maxentio non à Maximiano interfectam fuisse nobis innotuit, quippè qui non solùm Marcellum Romanum Pontificem impiè sustulit, sed tribus annis integris Marcello Ecclesiæ clauum tenente Romæ tyrannidem dirissimam, & Christianis grauissimam exercuit, ita vt Arthemia, quæ sub extrema tempora Marcelli martyrio fertur coronata Maxentium potius quàm Maximianum carnificem habuisse sit fatendum. præsertim cum Card. etiam Baronius Marcello acta mendosa deprehendat, & pro Maximiano Marcelli interfectore asserto Maxentium reponendum valida ratione demonstret. ita vt Arthemiæ sanguis innocuus & de impietate ethnica cum Maxentio extincta, triumphauerit, felicius quàm de Maximiano, & assertori Christianæ libertatis Constantino, viam amplissimam ad triumphos aperuerit.

# VITA S. LICINIAE AVG. M. MAXIMINI IMPERAT. VXORIS.



LICINIAM Valerij Maximini, Maximiani Galerij filij Augustam, orientalibus aris offert Illyricanæ sanctitatis fæcunditas, vt ea quæ iam satis orientales oras sacro Regio cruore ab Heroe Hadriano pro Christo effuso, ab impura labe impietatis abluerat, Ecclesiæq; sanctæ faciem, dissipatis tenebrarum nubibus Augustali sobole Euangelium minimè erubescente, sed ipsam Crucem diadematibus sceptrisq; præferente, speciosam præ filijs hominum, per Hadriani patruum ac patrueles, spectandam terrarum orbi proposuerat; orientales iam sordes, ipsasq; Ægyptias impuritates, vndè omnia impietatis inquinamenta fluxerant, feliciùs sacro regio sanguine impietati finem impositura, expiaret, quàm olim Israelitica soboles captiuitatis suæ compedes effractura, belluino cruore domorum postes illinierat. vt enim Hadrianus alterum, ita Augusta, pariter postem alterum orientalis plagæ postquàm sanguine pio sacrarunt, sobolé hæreditatis Dei longa captiuitate gemiscentem in libertatem vindicarũt. & quidem iure quodam suo, Romanum Imperium libertatem filiorum Dei ab Illyrica gente reposcere videbatur, cuius virtute, paulominùs quàm integro sæculo iam ab externo barbarorum impetu, internaq; Tyrannorum violentia, se prisca libertate, & Heroicorum Regum moderamine beari gaudebat; vt Augustis, Vespasianis, Traianis, Antoninisq; datis obliuioni, præstantissimam Illyricanam indolem in suo solio veneraretur. Liciniam

Augustá, adeò rari sunt, qui scriptis suis posteritati communicare curauerint, vt nomen quoque ipsius ignotum habeamus, eam tamen hoc nomine appellatá inuenio à Marulo nostro, quatenus vel soror, vel filia Licinij Imperatoris habita sit, licet aliquis illam Hercullij Maximiani sobolem, sed nulla scriptoris authoritate contenderit. eam Galerius Maximianus, cum post mortem Seueri Cæsaris filij sui, Licinium ad fasces extulisset, vt eum Maximino filio arctiori vinculo coniungeret, vnico superstiti nato copulare curauit, atque eidem Licinio, tutori quodammodò potius quàm collegæ, Maximini orientale imperiũ, cui hic præerat, administrandum commisit. præsertim quia Valens quidam nomine, eo anno Imperiũ orientale inuaserat, cui reprimendo, nedum debellando minus aptum filium optimè norat Galerius, vtpotè magis cupiditatibus explendis, quàm militiæ administrandæ idoneum; hinc cum Maxentio, qui Romæ imperabat, vt ait Eusebius lib. 8. cap. 27., tanquam cum fratre, in omni scelerum genere sui simillimo, amicitiam animo simulato contraxerat. ita ille. qui pluribus illius mores ad omnẽ turpitudinem comparatos describit. moxq; meminit mulieris Christianæ, quæ ex Alexandrinis nobilissima, splendidissimaq;, eius animum libidine furentem, & lasciuientem intemperantia, magnitudine altissimi animi deuicit, quæ quamquam alijs rebus, vt opibus, generis splendore, & exquisita doctrina insignis fuit, tamen ista omnia præ pudicitia posthabuit. ita ille Catharinam nobilissimam Christi Virginem describens. cuius admirabili exemplo, & pia industria, Augustam Christo lucrifactam septimo anno quarti sæculi, eodem die cum Catharina salutis suç magistra, cælestem thalamum petijsse, tradit Baronius. certamen Catharinæ descriptum habetur incerto authore apud Metaphrastem, à Zacharia Lipeloo Carthusiano politiori stylo relatum; hic vbi Virginis intrepidum animum contra Maximinum, miram in confutandis pluribus Philosophis, ijsdemq; ad Christum adductis, sapientiam descripsit; subdit, quomodò Maximinus, in furorem actus, iusserit Catharinam spoliatam, boum neruis crudelissimè cædi, cæsamq; in carce-

carcerem abduci, eius inuisendæ, ait, desiderio flagrans Augusta, Porphyrio duce belli adhibito, carcerem ingreditur, viso Virginis vultu, tàm vehementer animo exhilarata est, vt ad eius pedes procideret, fusisq; præ gaudio lachrymis, tum demùm se Imperatricem verè beatam prædicaret. cui Catharina: Profectò beata es, verè beata, cui ipsa, Angelos immortalem video afferre coronam, quam post diem tertium, martyrio redimita, à Christo, æternùm regnatura accipies. illa verò trepidante, & suppliciorum atrocitatem toto corpore perhorrescente: Catharina eam confirmans, nihil cruciatus ijs timendum esse docuit, qui Christum in certamine adiutorē haberent. Porphyrius audito Christi nomine, breui colloquio cum Virgine transacto, cum ducentis militibus suis Christo nomen dedit, sicuti & Augusta. verùm cum Catharina tertio die è carcere educta, quatuor rotis, serris & clauis acutissimis munitis, discerpenda è carcere producta, & machinæ esset imposita, rotis Angelico opere confractis, illa mansisset illæsa, plurimiq; eo successu ad Christi fidem accessissent, Maximinus, immani furore succensus, dum noua supplicia in virginem excogitat; adest Augusta, eiusmodiq; verbis Imperatorem affatur. Absolue quæso magni Dei famulam, quam vt vides tormenta superare non possunt. re vera enim erras toto cælo, & planè desipis, si existimas te Deo viuo & vero potentiorem esse. audiens hæc Imperator, confestìm vniuersam mentis suæ rabiem, in coniugem conuertit, eamq; abscissis prius crudeli sanè spectaculo, mamillis capite truncari iussit. illa verò accepta sententia, læta dixit: Martyri Catharinæ. ora pro me. & Catharina: Vade, inquit, in pace, æternùm cum Christo regnatura. atque ita datis ceruicibus, palatij terrestris tenebris relictis, splendoribus sanctorū ædes ornatas adijt; succedente Porphyrio, cum militibus, ipsaq; aliorum duce Catharina. hinc in deteriora Maximinus prolapsus, post ingentes Christianorum strages editas, insidias ipsi Constantino structas, à Licinio fusus, fugatusq; & Tharsum exercitu amisso compulsus, furiosa bile, vt inquit Eusebius, inflammatus, multos prophetas & sacerdotes deorum,

quos iam pridem ipse in summa habuerat admiratione, & quorum oraculis impulsus, bellum susceperat; tanquàm præstigiatores, veteratores, denique salutis ipsius proditores, trucidat; deinde Christianorum Deo gloriam tribuens, legem pro eorum libertate, accuratissimè plenissimèq; constituit, & extemplò lethali angore cruciatus, absque vlla temporis dilatione decessit è vita. ita ille, libro nono: vbi pluribus portentosi, horrendiq; eius morbi, & mortis modum describit: quæ septimo ab Augustæ triumpho anno, quartodecimo quarti sęculi, illi contigere. Dies nulla peculiaris Augustalis Heroinæ triumpho dicata habetur ab Ecclesia, cum eam tanquam vnico curru cum illustrissima Christianarum Virginum Catharina, cælo illatam veneretur, adstante nimirùm Regina à dextris eminentissimæ Christi sponsæ, in vestitu deaurato proprij splendore cruoris, circumstante mirabili varietate satellitij inuictissimorum militum, cum eorum Duce Porphyrio, & fortunatissimorum Philosophorum sapientissimo Senatu; eadem die, pari sorte, in eodem cælesti Capitolio, raro diuinæ gloriæ incremento triumphantium.

VITA

Sanctus Constantinus Magnus Imperator iuxta Græcos Sanctus 21. maij. Pater Theophilus Raynaudus ex Societate Jesu in suo tractatu, cui titulus: Tituli specialiter colendi, aliquem Sanctum. fol. 321. et idem Raynaudus hoc explicat fol. 400. nu. 70. cum seqq.



Effemeridi Sacre del Padre Girolamo Bascapè Milanese della Congregazione dell'Oratorio di Napoli tomo 5. a 21. di Maggio nella Vita di Santo Costantino il Magno Imper. dal fo. 440. al fo. 451.

# VITA S. CONSTANTINI MAGNI IMPERAT. ET S. HELENAE MATRIS.



ELVTA impietatis labe Romani Imperij, adeo nobili cruore vt hactenùs animaduertimus, Aurei sæculi instaurator, Ecclesiasticę Maiestatis propagator, Christianęq; libertatis assertor & vindex, adest iam nobis describendus M. Valerius Aurelius Constantinus verè aureus, magna, & veritatis, & gratitudinis iniuria, ita à scriptoribus neglectus, vt cogar cum amplissimo Senatore apud Flauium Vopiscum in Aureliano, dolente neminem Latinorum, Græcos aliquos Aureliani principis vitam scripsisse, in hæc verba prorumpere. Ergo Thersiten, Sinonem cæteraq; illa prodigia vetustatis, & nos benè scimus, & posteritas frequentabunt, Diuum Constantinum clarissimum principem, sanctissimum Imperatorem, per quem totus Christiano nomini orbis est restitutus, posteri nescient? auertat Deus hanc amentiam. ita ille: eximium pietatis Christianæ, & eruditionis omnimodæ nostri æui sydus, Romanæ sacræ purpuræ decus immortale Robertus Cardinalis Belarminius, tertio libro, quem de officio Christiani Principis edidit, probaturus ea quæ prioribus, & scripserat, & exemplo sanctorum Principum veteris testamenti demon-

monſtrarat; ſanctorũ quoque noui teſtamenti hiſtorijs: Primus, inquit, Chriſtianus Imperator Conſtantinus magnus, & planè egregius fuit. ſed quoniã vitam eius ſcripſit Euſebius Cæſarienſis hæreticus Arianus, & ab illo hauſerũt quicquid ſcriptis de rebus eius geſtis mandarunt Socrates, Sozomenus, & alij poſteriores, ideò vitam illam mihi prætermittendũ exiſtimaui. hæc magnus vir, propterea quòd nullus ex grauioribus Latinis, & ex Chriſtiana ſchola tredecim ſæculorum ſpatio prodijt (proh pudor) qui ſuæ libertatis, & maieſtatis vindicem nec ſtricta, nec oratione ſoluta, officio, fictis, & otio excogitatis Therſitibus, Sinonibusq; ſimillimis aſſiduè, magna Chriſtianorum corruptela, im- impertito, ſit proſecutus. eius ego vitam vt Illyricani principis inter Cæſares alibi deſcriptam, ita hic referam, vt perſtrictis quæ militarem eius addecent gloriam, ſanctitatis eius, & ciuilis adminiſtrationis illuſtriora quæque illuceſcant. Euſebij porrò authoritate eatenùs vtar, quatenùs per ea magis exprimantur ea, quæ ab alijs, ſumma ſunt breuitate perſtricta; præſertim cum hoc idẽ à magno viro Cardinali Baronio in ſuis Annalibus actum obſeruetur. Conſtantino itaq; Illyricum genus fuit, patre Conſtantio Chloro Imperatore, quem Eutropius vir inter Dardanos nobiliſſimus, ex Claudia Criſpi, Cæſaris Dalmatæ, Claudij, Quintilliq; Imperatorum fratris filia, progenuit: vt habet Pollio Trebelius. hinc cum Victor cum Diocletiano, Maximiano, & Galerio patria Illyricum ſcribit, dum de ijs agens: Et his ſanè omnibus Illyricum inquit patria fuit; ait. matrem habuit Helenam, quam cum Nicephorus Bithinam, Angli Britannam contendãt, ego qui nunquam ante imperium Conſtantium Britannias attigiſſe apud veteres inuenio, quicquid eruditiſſimus æui noſtri ſcriptor, malè examinato loco cuiuſdam Panegyriſtæ dicat, dum Conſtantinum in Britannia natum obtrudit, eam haud diuerſæ originis à marito cenſeo. natus eſt autem Niſſæ vrbe Dardaniæ ampliſſima, eruditiſſimi Imperatorum Conſtantini porphyrogeniti teſtimonio, iure meritò omnibus alijs anteponẽdo; quod itidem affirmatur ab Hermolao in Epitome Stephani de

Vrbi-

Vrbibus longè anteriori Porphyrogenito, extatq; l. vxor. Cod. de rep. Constantini Aug. ad Dalmatium data Naisso seu Nisso Feliciano & Titiano Coss. Cedrenus Daciam pro Dardania posuit, vel scriptorũ vitio, vel ea ratione qua Aurelianus Augustus, translatis prouincialibus, & Romanis legionibus ex Dacia transdanubiana, olim à Traiano in prouinciæ formam redacta, & successorum eius incuria deperdita, ijs intra duas Mæsias solo attributo, cum diminutione telluris Dardanicæ, suam ibi voluit appellari Daciam, quæ etiam Ripensis est dicta, quòd ad marginem vsque Danubij protéderetur, vt in nostris Dialogis hæc fusè enucleauimus. hinc mirari non desino, virum vt dixi eruditissimum, extremæ esse dementiæ ducentem, Constantinum alterius quàm Britannicæ patriæ partum credere. ex loco panegyristæ, qui dum Constantini laudes percurrit, de patre ipsius, ac de eadem, hæc ait: liberauit ille Britannias seruitute, tu etiam nobiles illic oriundo fecisti. cur enim potiùs ortui generis quàm imperij Cõstantini, hæc verba possint adaptari, nullam rationem video; præsertim cum, vti diximus, nullus ex antiquis scriptoribus tradat Constantinum antequàm imperaret, attigisse Britannias, imò circà ea tempora quibus Constantinus ex eiusdem assertione nasci potuit, patrem eius sub Probo terrarum orbem peruolante ac circumcursante; inde sub Caro Probi successore, Præsidiatum Dalmatiæ administrasse, constet ex scriptoribus. at quod Britannicam Constantini patriam penitùs euacuat, sunt ipsi Britanni testes, ijdemq; primi subsellij, quorum duos produxisse satis superq; videtur. primus est antiquus ille, eruditissimus æquè ac sanctissimus vir Beda, qui in historia quam pro patria gloria conscripsit, ne verbum quidem de adeò claris natalibus Constantini, pronunciat. alter est Guillelmus Camdenus post omnes Britannicos scriptores, nostra memoria, si puritas religionis accessisset eruditioni, nobilissimus, vulgandæq; Britannicæ claritudinis indefessus scriptor. hic tamen nihil se reperire potuisse de eiusmodi natalibus affirmat, quin talia asserentes irridet. duobus Britannis, Belgam Iustum addamus Lipsium mirum antiquita-

tis,

tis,& veritatis introſpiciendæ Lynceum, qui iuxtà Bedam,Camdenumq; Britannis Conſtantinum denegando: at, inquit ille, Galfridus Monumetenſis, & alij Britannici ſcriptores id fecere, Conſtantinum nempè Britannis attribuendo; fateor reſpondet, ſed fidei nec hic,nec in alijs ſatis certæ. de Coelo regulo fabulantur, cuius filiam Helenam duxerit, Conſtantius, & vndecimo poſt anno mortem obierit,relicto imperio,quem ex ea genuerat, huic Conſtantino; ergò ex hac narratione decem modò annos natus Conſtantinus fuerit. ita Lipſius. qui paulò poſt pergit: ſed nec Guillelmus Camdenus accuratus ſcriptor,qui omnia Britanniæ ſcrinia excuſſit, quicquam reperiſſe prodit de nato ibi Conſtantino, imò fabulam totam de Coelo, & hominem ipſum explodit; nam panegyrici locus, mea interpretatione deſtruitur; quam alius item firmat ibidem: O fortunata, & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidit; vidit prima, non genuit. hæc iuſti veriq; amans Iuſtus Lipſius in notis rerum admirandarum Romanæ Vrbis. quæ cum ita tantorum virorum ſtabiliantur teſtimonijs, iniquum eſt dicere, Helenam fuiſſe Britannam,& Conſtantinum peperiſſe in Britannia. Baronius enim natum ſcribit Aureliano ſecundùm, & Iulio Capitolino Conſulibus, anno quinto eiuſdem Aureliani Imperatoris, Euſebij authoritate nixus, qui totidem annos eum antè imperium vixiſſe tradit, quot imperauit. quod quàm nequeat ſubſiſtere, mox plurium teſtimonio patebit. quare eum circà vigeſimum quintum ætatis annum, patri ſucceſſiſſe credimus. Conſtantinum matris cura piè educatum, patre orientalibus expeditionibus, Diocletiano imperante, vt alibi in vita eius oſtendimus, occupato, certum eſt. Sanctus enim Paulinus epiſtola ad Seuerum vndecima, qui Senator eo tempore viuebat: Manſit, ait, hoc ſæculi prioris nefas in tempora noſtra, proxima Conſtantini, qui princeps eſſe principibus Chriſtianis, non magis ſua, quàm matris Helenæ fide meruit. hæc Paulinus. Helenam namq; inter Illyricos & natam, & agentem, vbi Chriſtianam pietatem per ea tempora viguiſſe, Tryphoniæ, Serenæq;

ſanctiſ-

ſanctiſſimis Auguſtis, alijsq; Regiæ fœcunditatis Illyricanæ fœtibus hactenus explicatis, in ea colenda minimè ceſſiſſe, filioloq; eandem materno affectu inſtillare curaſſe, par eſt credere. quod etiam facilè eſt colligere ex Ethnico ſcriptore Aurelio Victore, qui Conſtantinũ à Galerio ſpecie religionis tentum fuiſſe ad vicẽ obſidis ſcribit: at aliam hanc religionem eſſe non potuiſſe niſi Chriſtianam, cui Galerius toto Regni tempore fuit infeſtiſſimus, extrà controuerſiã habetur. & compilator Victoris: Dum iuuenculus ait à Galerio religionis ſpecie teneretur, fugam arripiens, atque in fruſtrandos inſequentes, publica iumenta, quaquà iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit quem fata vltima perurgebant. ita ille. ex quo etiam conſtat, adeò inferiorem triginta annis ad imperium acceſſiſſe, vt iuuẽculus ab eodem eo tempore quo patri ſucceſſit appelletur. vndè Euſebium in tribuenda virili ætate Conſtantino Imperium capeſcenti, erraſſe, & potius ætatem quæ tantò oneri ſubeundo conueniret, quàm illã quam re vera Conſtantinus agebat, poſuiſſe, minimè dubitandum. nam idem ipſe Euſebius eum, vt mox videbimus eodem imperij tempore & adoleſcentem & iuuenem appellat. ſed & Nazarius in Panegyrico immaturam eius ætatem imperio agnoſcit, cum ait: Tu inquit Imperator optime, inito principatu, adhuc æui immaturus, ſed iam maturus imperio, oſtendiſti curſum ætatis non expectandum in feſtinatione virtutis. hæc Nazarius: author quoque Panegyr. Maximiano & Conſtantino dicti: Geſſeris enim, inquit, multa fortiter licet, multa ſapienter, quum per maximos tribunatus, ſtipendia patria conficeres, ſentias neceſſe eſt tantæ auſpicia fortunæ imperator adoleſcens. hæc ille. in patria agens, cui Galerius præerat, poſtquàm litteris & ingenuis artibus excultus eſt, quòd tam apud Euſebium, quàm apud Ethnicos eſt videre, ſub eodem principe tyrocinium depoſuit: cuius poſtea auſpicijs contra Sarmatas Illyricum infeſtantes bellum geſſit, & præter opinionem principis, qui ne Conſtantinus filiorum ſuorum Seueri & Maximini aliquandò ſplendori obeſſe poſſet, hoſtilibus gladijs expoſitus fuerat, eos

ingenti ſtrage profligauit. inſidias enim ſtruxiſſe Galerium adoleſcenti, tradunt authores. hinc eiuſdem hortatu cum Leone in theatro pugnauit; vt neſcio quid Dauidicæ indolis, pietati propagandæ nata proles, iam tum ſpirare videretur. quod fortè Galerius animo præſagiens, eundem ſpecie religionis detinuit. ſed qui Saulis inſidijs Dauidem, is & Conſtantinum Galerij dolis ſubtraxit. maiorem adoleſcentiæ partem eum tranſegiſſe in patria, ne parentem à Conſtantio patre repudiare coacto, ob Herculij filiam Theodoram in ſucceſſionem imperij, ductam, omninò deſtitutam relinqueret, innata ei pietas credere ſuadet; ſed eo fænore, quo pietatem parentis obſequio impertitam, ſuperna liberalitate, conſuetæ benignitatis munificentia rependente, vberrimam pietatis ſegetem adoleſcens ætas cōſortio matris collegit, mox generis humani bono vniuerſali, terrarum orbi communicandam. ſed & in Diocletiani obſequio eum in oriente aliquando fuiſſe, antequam is imperium deponeret, ex Euſebio in eius vita patet, vbi etiam hac occaſione habitudinem corporis Conſtantini deſcribit. libro primo, dum ait: Quem ipſi vidimus cum Palæſtinam obiret Regū ſeniori comes, huius ad dexteram conſpicuus omnibus, iam tum regium quendam ſenſum callere videbatur. nam forma corporis, & vt erat ætas, proceritate nullus ad illum æquo iure acceſſit; robore tam valebat, vt terribilis eſſet æqualibus, ſed animi tamen, quàm corporis dote, incendebatur acrius, cum primum fouens egregiè diſciplina, deinde ingenita prudentia. tum diuinitus accedente ſapientia. itaque celſum & vi corporis auctiorem animo magnoq; adoleſcentem, contemplati rerum domini, commixta cum inuidia formidine, ſibi internecione cautionem decreuerant; quam ille rem pertimeſcens, ſemel atque iterum certa fati ratione, inſidijs explicatis conſuluit ſibi fuga. prophetem Moſem hic quoque conſectatus: ſed iſti numen omnia conceſſerat, vt illam præſens hæreditatem cerneret; mox elapſus inſidiatorum molitiones, proſperè quidem ad patrem acceſſit, ac interuallo longo tandem adfuit, vbi iam vitæ illius penſum, nouacula contingeret. quem

inexpectatum pater adstantem intuitus, stratis desilit, auidè complectitur, tantumq; proloquutus, se cura animum liberasse, quæ alioqui morituro reliqua erat, de absentia filij; preces effudit ad Deum gratiarum actionis, & lætitiæ plenas. hoc amplius immortalitate sibi iucundiorem interitum esse dixit, & testamentum conscripsit, simul liberis instar chori lectum circumcingentibus, ex commentario distribuit hæreditatem, illi qui anteibat ætate, Regni sorte iuxta naturam demandata. itaq; demùm diē obijt. hæc ille de Constantino adolescente imperium adeunte, iuxta Victoris allatam sententiam, contrarius sibi ipsi alio loco triginta & vltra annos tribuenti. & ne quis putet Eusebium intelligere de adolescentia multò ante imperium; idem post imperium aditum, talem eum agnoscit. dum patris funus ducentem describit. Ibi, ait, Regem & Augustum quamquàm iuuenem omnia perstrepere, quæ laudes erant ornamento patri, vicissimq; filius eo parente felicissimus habebatur. hactenùs Eusebius. at cum adolescentia, iuuentusq; Eusebij, iuuenculus Victoris, Nazarij ætas immatura imperio, adolescens alterius Panegyristæ, nullatenus consonent tricennariæ ætati, sed vigesimæ quintæ circiter, omninò eum per ea tempora natū fateamur est necesse, quibus pater Constantius à Caro præsidiatum Dalmatiæ commissum administrabat: vt fabula Britannica prorsus euanescat; dum adhuc ageret in patria Mineruinam sibi coniugem copulauit; quam, susceptis Crispo & Helena gemellis, vt quidam volunt, amisit. & quamuis Victor & Zosimus non coniugem, sed concubinam velint, Gallicanus tamen Orator in panegyrico in nuptijs Faustæ cum Constantino, publicè coràm ipsis principibus habito, contrarium ostendit dum ita loquitur: Quo enim magis continentiam patris æquare potuisti, quàm quod te ab ipso fine pueritiæ, illicò matrimonij legibus tradidisti, vt primo ingressu adolescentiæ formares animum maritalem, nihil de vagis cupiditatibus, nihil de concessis ætati voluptatibus, in hoc sacrum pectus admitteres? nouum iam tùm miraculum, iuuenis vxorius; sed vt res est, mente præsaga omnibus te verecun-

diæ obseruationibus imbuebat; talem postea ducturus vxorem: hactenus Orator: mortuo itaq; Constantio in Britannia, octauo Kalendas Augusti, anno sexto quarti Christiani sæculi, ex supputatione Baronij, in Vrbe Eboraco, & eius testamento reliquis fratribus prælatus; vti post Eusebium Letus & Egnatius testantur, regnum adijt: ea tamen modestia, vt diutiùs de illo adeundo sit cunctatus, & non nisi approbantibus senioribus Principibus, Diocletiano & Maximiano, priuatis licet, & exercitu etiam vi illum purpura induente, Cæsaris nomine tantùm, non verò Augusti, sceptra administranda capessiuerit: vt Gallicanus in quarto Panegyrico, post descriptam Constantij mortem; quem in Cælum raptum Ethnicus orator, à Ioue interrogatum, cui imperium decerneret, Constantinum pium, ait, nominasse, hæc subdit: Illicò enim atque ille terris fuerat exemptus, vniuersus in te consedit exercitus, te omnium mentes, oculiq; signarunt: & quamquàm tu ad seniores principes de summa Reipublicæ quid fieri placeret retulisses, præuenerunt tamen studio, quod illi mox iudicio probauerunt. purpuram statim tibi, cum primum copiam tui fecit egressus, milites vtilitati publicæ magis quàm tuis affectibus seruientes, iniecere lachrymanti. idem paulò post: diceris etiam Imperator inuicte ardorem illum te deposcentis exercitus, fugere conatum, equum calcaribus incitasse: quod quidem (vt verum audias) adolescentiæ errore faciebas quis enim te Cyllarus aut Arion posset eripere, quem sequebatur Imperium. hæc ille. in panegyrico autem in nuptijs habito post verba superius recitata, quibus adolescentem scribit cæpisse imperium, pergit: quamquam quid ego in te ætatis tuæ potiùs quàm grauitatis nomen vsurpo? tanta maturitas est, vt cum tibi pater Imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare malueris, vt idem te, qui illum, declararet Augustum. siquidem ipsum imperium hoc fore pulchrius indicabas, si id non hæreditarium ex successione cepisses, sed virtutibus tuis debitum, à summo Imperatore meruisses: neque enim dubium quin tibi maturè sacrum illud fastigium diuinæ pote-

potestatis astrueres, qui te iam olim sibi generum, etiam antequàm petere posses, spontè delegerat. hactenùs ille. abstinuit enim Constantinus Augusti nomine, donec posteà ducta Fausta Herculij filia illud assumpsit. hinc quilibet Principum discat; iustam regnorum successionem, à Deo æterna prædestinatione statutam; felicius modesta cunctatione, quàm violenta molitione firmari. & sanè illud in hac re omninò notandum, quod Herculius Maximianus, qui filio Maxentio Constantium in regno prætulerat ob Theodoram filiam illi copulatam, iam cum idem Constantius nobilissimam ex ea prolem suscepisset; nempè Constantium patrem deindè Galli, Iulianiq; Cæsarum; Dalmatium Dalmatij; Annibalianum Annibaliani itidem Cæsarum patres; quibus aliqui addunt alium Constantinum, patrem Constantini anno Vrbis conditæ 1079. & Cõstantij ann. V.C. 1087. Consulum Panuinius nempè ex Socrate; & filias Constantiam postea Licinio principi nuptam, Eutropiam Nepotiano, & iuxtà quosdam Anastasiam; nepotũ turba posthabita; & ipso demum filio; Constantinum Principem approbauerit, & eidem etiam filiam copulauerit. at postquàm res in Britannia gestæ, sunt Romam perlatæ, & noui Imperatoris Constantini imago, Romæ ex more est exhibita, Maxentius Maximiani Herculij filius, inquit Zosimus, non tolerandum ratus Constantino quidem ex animi sententia, rem succedere, qui muliere non matrona genitus esset, se verò talis Imperatoris filium hærere domi, alijs paternum Imperium obtinentibus, adiunctis sibi conatus huius administris, Marcelliano, & Marcello Tribunis militum, & Luciano suillæ carnis præbitore, quam fiscus Populo Romano largiebatur; & aulicis prætereà militibus, quos prætorianos vocant, in regium ab illis solium collocatus est. hæc Zosimus. quæ septimo Kalendas Octobris contigisse tradit, cum Baronio. qua re maior etiam Constantini modestia patuit. vbi enim Maxentium Regnum arripuisse audiuit, quæsiuit cum eo res componere, habereq; socium & collegam. sed recusauit ille vt habet in paneg. Nazarius. cuius verba digna relatu, sunt hæc: Quin extorques animo tuo

conueniendi ſtudium, & concordiæ voluntatem, ſi concordiam quàm veniam appellare fas eſt, cum qui poteſt vincere, optat ignoſcere. & non dubito quin hanc rationem cæleſtis prudentia tua duxerit, quod coniunctione ſua flagrantiſſimas hominis cupiditates, vel extingueret penitus, vel modicè temperaret. nulla quippè eſt libido tam vecors, quam non capiat, vincat ſcilicet, cum in conſortium temperantię venerit. deijcit oculos deformis ignauia, vbi ei pulchritudo virtutis obiecta eſt; tergiuerſari atque hærere petulantiam videas grauitate, modeſtia, & decore confuſam. vt appareat te Imperator optime concordia imperanda, non illi impunitatem vexandæ vrbis daturum, ſed leniorem petijſſe victoriam, cum malles vitia eius quàm arma ſuperare. ſed profectò nulla vi poſſunt coire, quæ naturali diuortio diſſident. nec vlla tam fidelis eſt copula, quæ in diuerſum tendentia, nexu ſuo teneat. perpendit ſcilicet tecum excellens prudentia tua, eiq; ſemper pietas applicata, omnes concordiæ commoditates: illam eſſe fundamentum & radicem otij, bonorum ciuium ſeminariū, quietis publicæ ſegetem, & almam pacis altricem. ſed ò quam æger eſt ad honeſtatem recurſus, his qui gradum ex nequitia protulerunt. vocas ad ſocietatem, appetitum tuum, refugit, aduerſatur, horreſcit. nihil ſibi putat tecum commune. quia nihil eſt ſimile. hactenùs ille. intereà Conſtantinus quos in ditione populos habuerat pater, inquit Euſebius, obibat omni benignitate, tantiſper ipſi paternæ ſorti proſpiciens, hos gubernabat; Rheni barbaros accolas, & occidui maris, qui turbulenti erant, ac prius intacti, facilè compeſcebat, ſubijciebatque; reprimebat alios, & abigebat domo; quos tanquam belluas ad vitæ cultum lenem magis, allici poſſe deſperabat. ita Euſebius, quem Nazarius peculiarius explicans: Tu, inquit, ferociſſimis regibus Aſcarico & comite Gaiſo captis, tanta laude res bellicas auſpicatus es, vt iam inauditæ magnitudinis obſidem teneremus. vt Herculem ferunt tenerum adhuc, atque lactentem, duos angues manu eliſiſſe, vt iam infantulo indoles futuri roboris emicaret; ſic tu Imperator in ipſis imperij tui cunabulis quaſi geminos dracones necares,

cares, per sæuissimorum Regum famosa supplicia ludebas. hæc ille. eodem tempore Maximianus Galerius cum videret Italiam à Maxentio teneri, Seuero Maximinoq; filijs Cæsaribus declaratis, & hoc orienti præfecto, illum contra Maxentium cum exercitu misit in Italiam. Maximianus interea Herculius priuatam vitam pertæsus, relicta Lucania in qua degebat, eas turbas, ait Zosimus, quæ rempublicam vexarent indignè ferens, ad Diocletianum tunc temporis Carnuti (oppidum hoc Celticum est) degentem venit, eiq; persuadere nititur, imperium resumat, nec id patiatur tam diuturno tempore, tantisq; laboribus ipsorum conseruatum, insanienti iuuentæ, ac illorum dementiæ à quibus occupatum esset, expositum quassari. Diocletiano postulatis eius non assentiente, sed negotiorum occupationi quietem anteferente, nam fortassis etiam rerum perturbationem sequuturam prospiciebat, vt erat religiosissimus (Zosimo enim impietas religionis nomine velatur) Herculius eo conatu frustratus, & Rauennam vsque progressus, rursum versus Alpes contendit, vt ibi commorantem Constantinum conueniret, cumq; natura curiosus & infidus esset, promissa illi Fausta filia, eoq; promisso impleto, fallere conabatur hominem & persuadere, discedentem ex Italia Galerium Maximianum persequeretur, & insidias Maxentio strueret. hæc Zosimus. alioqui perpetuò, vt Ethnicus, infestus Constantino. qui ducta Fausta, & Augusti nomine sumpto, dum Maximianum socerum loco patris habet, tanquam principem de se, deq; parente Constantio benemeritũ, licèt vt pius impia eius consilia respueret, ille è contra, tanquàm impietati natus, in vitam eius conspirat, affuit ei idem Deus qui & Dauidi; detectis enim à Fausta, amorem mariti paterno affectui præferente, insidijs, dæmonis, inquit Eusebius in Chronico, inuitatione atque impulsu, extremum vitæ laqueo interrupit Herculius. Maximianus, inquit Victor, à Constantino Massiliæ obsessus, deinde captus, pœnas mortis genere postremò, fractis laqueo ceruicibus luit. author Panegyrici ingratitudinem Herculij exponit. Vt enim ait alia mittam, hoc ipsum nonne fati

neces-

necessitas tulit, vt ille pietati tuæ hanc referret vicem, quem tu ab Vrbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum, tuis prouincijs, tuis copijs, tuo palatio cœpisti. quid oro sibi voluit? quod optauit? quid amplius adipisceretur his quæ à te fuerat cõsequutus? cui tu summa & diuersissima bona, priuatum otium, & regias opes dederas, cui digredienti ad annulos sedere ibi (quod fungi officio annuli in obsignatione litterarum munus hodie secretariorũ ex mente illustrissimi æuo nostro viri D. Iosephi Suarez.) cui impensius etiam quàm tibi occurrere, obsequia nostra mãdaueras. cuius omnibus iussis sic statueras obedire, vt penes te habitus, penes illum potestas esset imperij; quisnã ille tantus fuit non ardor potẽtiæ (quid enim te imperante non posset) sed error iam desipientis ętatis, vt tot natus annos grauissimas curas, & bellũ ciuile susciperet: nullis (vt res est) muneribus fortunæ explentur, quorum cupiditates ratio non terminat, atque eos ita felicitas ingrata subterfugit, vt semper pleni spei, vacui commodorũ, præsentibus careant, dum futura prospectant. at enim diuinũ illum virum, qui primus imperium & participauit, & posuit, consilij & facti sui non pœnitet, nec amisisse se putat, quod spontè transcripsit. hæc ille Ethnico encomio, eodemq; pergit: felix beatusq; verè quem vestra tantorum principũ colunt obsequia priuatum. sed & ille multiiugo fultus imperio & vestro tegitur lætus vmbraculo, quos scit & sua stirpe creuisse, & glorias vestras sibi iustè vindicat. hunc ergo illum qui ab illo fuerat frater adscitus puduit imitari. hæc, aliaq; multa ibi de ingratitudine periurijsque Herculij Maximiani ergà generum Constantinum: idem paulò post pergit enarrare militum amorem erga Constantinum; postquàm eos Maximianus contra proprium principem solicitauerat dum ait: Quid quod illius errore declaratũ est Imperator, quantus te militum tuorum amor amplecteretur, qui te omnibus donis quæ ille promiserat, omnibus honorum ablationibus prætulerunt. rara illa virtus continentiæ, vix à paucis sapientiæ præceptoribus, tantùm aliquandò seruata, propter te Constantine omnium hominum est facta communis. nec solùm his quos litteratę
vitæ

vitæ quies mitigauit, sed etiam ille militarium ardor animorum respectu tui lucra contempsit: fuerint aliqui exercitus alacritate, ac viribus tui similes, tibi vni contigit exercitum habere sapientem. multi olim fortasse praui Duces armis impares, largitate certarunt, sed breuis eorum fuit & caduca popularitas, quos facilè vicit quisquis imitatus est: hic firmus, hic æternus est reipublicæ custos, quem ipsum per se milites amant, cui non blandita, nec vendita seruit adulatio, sed simplex & syncera deuotio. idem post pauca, quæ prolixitatis causa mittimus: Pulchrum enim dij boni, & cæleste miraculum! Imperator adolescens, in quo illa, quæ iam summa est fortitudo, adhuc tamen crescit. denique describens, qua pietate milites pro Maximiano pugnantes, ipsumq; impium hominem seruare voluerit, hæc habet: Sed ò singularem tuam, Constantine, pietatem, & sua semper officia, etiam inter arma, seruantem; signum receptui dedisti, & victoriam distulisti, vt omnibus tibi liceret ignoscere; ne quid atrocius faceret miles iratus, quàm clementiæ tuæ natura pateretur: in quo licèt optimi Imperatoris sollicitudine caueris, vt inducti in fraudem milites pœnitendi tempus acciperent, atque vltrò veniam precarentur, nos tamen qui mitissimos sensus tuos intuemur (nihil est enim tàm perspicuum quàm in pectore tuo bonitas) illi te intelligimus pepercisse, quem si prima copia habuisset irruptio, eripere ferè nemo potuisset: ita quod ad pietatem tuam pertinet, Imperator & illum, & omnes quos receperas reseruasti. sibi imputet, quisquis vti noluit beneficio tuo, nec se dignum vita iudicauit, quum per te liceret vt viueret. tu quod sufficit conscientiæ tuæ, etiam non merentibus pepercisti. sed ignosce dicto; non omnia potes: dij te vindicant & inuitum. hæc ille. Constantinum post victorias Germanicas, resq; Gallicas compositas, in Britanniam redijsse, eamq; pacasse tradit Eusebius in eius vita, cum ait: Hæc illi cum euenissent è sententia, imperiaq; orbis terræ in animum induxisset, tum in Britanniam transijt. ibi subactis interius habitantibus ad mare populis, percurrebat animo, quibus præterea subueniendum esset auxilio egentibus. hæc Eu-

sebius; qui pergit inde narrare quomodò Constantino de Roma tyrannidi Maxentij subtrahenda agitanti, veriq; Dei opem implorantì, salutare Crucis signum apparuit. nulla tamen loci mentione facta, res eius per quinquennium, siue per triennium, vt videbimus, ab anno secundo ad septimũ, vel melius quintum, alto silentio inuoluendo, cum ex Nazarij Paneg. constet grauissimo bello Constantinum Germanos afflixisse antequam pugnaret cum Maxentio, cuius verba sunt: Quid memorem Bruteros, quid Clamasos, quid Eruscos, Vangianas, Alamannos, Tubantes? bellicum strepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem: hi omnes sigillatim dein pariter armati conspiratione fœderatæ societatis exarserãt, tu tamen, Imperator, cum tantam belli molem videres, nihil magis timuisti, quàm ne timereris, adis barbaros, & dissimulato principis habitu, quàm proximè poteras, cum duobus accedis: nunquam est excelsior principatus, quàm cum se publico submittit officio: facis verba, spem illorum agitas & versas, crudelitatẽ negas esse præsentẽ. ò verè cœca barbaria, quæ in illo vultu signa principis non videris, quem ne sic quidem senseris, cũ intrà iactum teli securus sui staret: Constantinum esse qui hoc poterat non timere, dubitare quisquam potest per omnia subnixum Deo vadere. hæc ille, qui postea addit. Vni huic bello si debitis laudibus immorari vacaret, dies integer conderetur, vt victoriarũ tuarum non summam euolueret, sed ornamenta monstraret. porrò sæpe citati paneg. author de fine huius belli hæc habet: Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi, quicquid fuit pecoris, captũ, aut trucidatum est. vici omnes igne consumpti, puberes qui in manus venerunt, quorũ nec perfidia apta erat militiæ, nec ferocia seruituti, ad pœnas spectaculo dati, sæuientes bestias multitudine sua fatigarunt, hoc est, Imperator fretum esse virtute sua atque fortuna non pacẽ emere parcendo, sed victoriã quærere prouocando. Germanico itaq; bello confecto, vterq; orator scribit Constantinum liberandæ Vrbis & Italię à durissima Maxentij tyrannide animum adiecisse, Nazarius præsertim cum ait: His rebus semper è republica

gestis

gestis tanta vi, tantoq; successu vt nunquam virtus tua intremuerit, prudentia hæserit, felicitas claudicauerit, satis, vt opinor, probatum est; perpetuam in te benignæ maiestatis opem fluere, vt cælestis exercitus tui non tunc primò missi, sed tunc demùm intellecti esse videantur. talis igitur ad liberandum Italiam & tam tutùs accedis, vt cum res bellica cæcos habeat euentus, in te tamen dimicandi voluntatem pro victoriæ pignore tenebas, etsi abessent auxilia diuina. hæc Nazarius: ex quo licet etiam colligere salutare Crucis signum, cuius meminit Eusebius, hoc primùm tempore, quo ad Rhenum cum barbaris pugnauit, Constantino apparuisse: eam enim apparitionem idem Nazarius, sed vt Ethnicus homo, per Angelicos exercitus Cōstantini acies prę-euntes describit apertius. cum ait. In ore denique est omnium Galliarum exercitus visos qui se diuinitùs missos præseferebant, & quamuis cælestia sub oculis hominū venire non soleant, quod crassam & caligantem aciem simplex & inconcreta substantia naturæ tenuis eludat, illi tamen auxiliatores tui aspici, audiriq; patientes, vbi meritum tuum testificati sunt, mortalis visus contagium refugerunt. sed quænam illa fuisse dicitur species, qui vigor corporum, quæ amplitudo membrorum, quæ alacritas voluntatum? flagrabant verendum nescio quid vmbone corusci, & cælestium armorū lux terribilis ardebat; tales enim venerant, vt tui crederentur. hoc ipsorum sermocinatio, hoc inter audientes ferebant: Constantinum petimus, Constantino imus auxilio. habent profectò & diuina iactantiam, & cælestia quoque tangit admiratio: illi cælo lapsi, illi diuinitùs missi gloriabantur quòd tibi militabant. ducebat hos credo Constantius pater, qui terrarum triumphis altiori tibi cesserat, diuinas expeditiones iam diuus agitabat. magnus hic quoque pietatis tuæ fructus, quòd quamuis particeps cæli, ampliorem se fieri gratia tua senserit, & cuius munera in alios influere iam possint, in eum ipsum tua munera redundarunt. cedat tibi non recentium sæculorum modò, sed totius memoriæ vetustas, quamuis illa recti appetens, & nullo vnquàm deprauata officio, glorietur penes se sanctitatis famā

ſtetiſſe, ſed nec leguntur; præconia hominum, vbi quæruntur iudicia diuina. illi igitur veteres laudati vitæ moderatores, qui refrænandis cupiditatibus reſtrictè, comptèq; vixerunt, quorum omnis ætas armis conterebatur, quando tantam in prælio diuinã opem pro merito integritatis habuerunt; vt qui longè à virtutibus tuis diſtant, in proximo ſaltem iuſtitiæ gradu reponãtur? Romano quodam in bello ferunt duos cum equis iuuenes extitiſſe, ſpectatos forma pariter ac viribus, quia in dimicando præter cæteros, inſignes fuiſſent; iuſſu Imperatoris ad remunerandum requiſitos; vbi nullus inueniebatur, fides habita eſt, diuinos fuiſſe; quod laborem ſedulò communicauiſſent, laboris pretium reſpuiſſent: equidem hiſtoriæ non inuitus aſſentior, neque enim in hoc veri interpolatrix tenenda quæ ſe non vnam antiquitatis nuntiam pollicetur, ſed tamen illi, qui hoc annalium monumentis illigauerunt, verebantur ne apud poſteros miraculi fides claudicaret. eſtote ò grauiſſimi authores de ſcriptorum religione ſecuri, credamus facta, qui maiora nunc ſenſimus, magnitudo principis noſtri geſtis, veterum fidem conciliat, ſed miraculum detrahit; pro auxilij copia negotiorum ratio metienda eſt: duo quondàm iuuenes, ſed nunc exercitus viſi, hoc certè vberius, nec infirmius veritate, ſtat argumẽto duplici fides nixa, ſic Conſtantinus iuuari meruit, ſic debuit Roma ſeruari. magnum hoc, Imperator maxime, ſed de tua pietate non mirum. adeſſe tibi in omnibus, ſummam illam maieſtatem, quæ te circumflexa tueatur, coniectura mentium tenebamus, & ſi nondùm ad fidem patebat oculorum, etenim cum mens tua mortalis contagione ſecreta, pura omnis, funditus ſyncera, vbique ſe promerendo Deo præſtet, cum gloria tua humanum modum ſupergreſſa ſit, quis eſt hominum, quin opitulari tibi Deum credat, cum id & vita mercatur, & rerum geſtarum magnitudo teſtetur? hæc Nazarius vt Ethnicus, non vnico teſte, ſed omnium Galliarum authoritate, coram Senatu, Populoq; Romano de diuinis apparitionibus, angelicisq; viſionibus, licet crucis ab Euſebio atteſtatæ nulla expreſſa mentione, ipſius tamen crucis maieſtatem, vt hoſtis

crucis

crucis potuit, & sciuit exaggerans: quod itidem alius Ethnicus orator suo more celebrat, dum Constantinum contrà voluntatem militũ pugnam aggressum ita describit: Quisnam te Deus, quæ tam præsens hortata est maiestas, vt non omnibus ferè tuis Comitibus, & Ducibus, non solùm tacitè mussantibus, sed omen apertè timentibus, contra consilia hominum, contra aruspicum monita, ipse per temet liberandæ Vrbis tempus venisse sentires? habes profectò aliquid cum illa mente diuina, Cõstantine, secretum; quæ delegata nostri dijs minoribus cura, vni se tibi dignantur ostendere: alioquin fortissime Imperator, sic quoque cum viceris redde rationem. Rhenum tu quidem toto limite dispositis exercitibus tuis reliqueras, sed hoc maiores pro te suscepimus metus, quòd nobis potius quàm tibi consulebas, nostramq; pacem magis, quàm bellum quod aggrediebare, firmaueras. næ tu Imperator nimio nostri amore nescisti ad securitatem nobis verè prouidere, qui non omnia tecum arma mouisti, cum in tua conseruatione salus nostra sit. & quid opus erat ipsi Rheno instructis tot militibus, & classibus, quem iampridem barbaris nationibus, virtutis tuæ terror obstruxerat, an ostentare voluisti diligentiam tuam diuinis copijs, inter custodiam pacis & belli? aut etiam iactanter & gloriosè probare, liberandæ Vrbi te sufficere cum paucis? vix enim quarta parte exercitus, contrà centum millia armatorum hostium, Alpes transgressus es, vt appareret penitùs considerantibus, id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam diuinitùs petere victoriam. duxerat magnum Seuerus exercitum, & hostem suum perfidia desertus armauerat. maiores posteà copias Maximianus admouerat, & ipse transfugis videbatur prosperè refugisse. hæc orator. sed qualia ista & quomodò contigerint, lubet ex Eusebio, qui eà ab ipsomet Constantino se accepisse testatur, audire. Inde, inquit, idest, post superius relata, immensum aliquod corpus orbem ipsum terræ mente conuersans, Romamq; demum imperij vniuersi caput, atque gentium dominam, tot annis tyrannidi seruientem, vindicare cedebat illis ætate prouectiore partium alia-

rum dominis: poſtquàm autem impares huic oneri ſenſit eſſe, atque rerum euentu fœdo aliquos iſtud eniſos diſceſſiſſe, minimè ſibi viuendum duxit, Vrbem regiam ærumnis exercitam ſi negligeret. ergò demolitionem tyrannidis apparabat: ibi quòd vidiſſet rem militari manu nequaquàm confici, immò nec proficì, tantis artium præſtigijs apud Tyrannum, ſolerteq; Magorum impoſtura hominum ſtudijs exculta, adiutorem Deum implorabat: omninò cura militię poſterior erat: numen autem cum quo ſe coniunxerat, non modo infringi, ſed allidi nullo modo poſſe confidebat. ita Euſebius. qui poſtquàm multa de aliorum principum qui inanium deorum auxilio ſiſi rem fruſtrà tentauerāt, protulit, Conſtantinumq; ad verum Deum recurrentem deſcripſit; Votis, inquit, igitùr appellabat & precibus, vt quiſnam eſſet ediceret, manum ad ſe ſuaq; porrigeret: quæ contenta precantem oratione prodigium inuaſit: hoc credibiliter ab auctore diuerſo vix adduci poterat, aut recipi; ſed ipſo Rege longis temporum ſpatijs, mihi ex codice quæ conſcripſeram referenti, quandò in eius notitiam & familiaritatem ſum introductus eadē prædicante, etiam atteſtante iureiurando vehementius, ecquis de rei fide ambigat? cum præſertìm poſteriora tempora ipſum confirmarunt. ſub meridiem inclinante iam die ipſis oculis, cæli plagam vidiſſe aiebat poſitum ſupra ſolem Crucis trophæum, id lumine coluiſſe propinqua in hanc ſententiam ſcriptura: EO VINCES perplexum viſo diu ſtetiſſe; omnem ſimul exercitum ſpectatorē, qui tùm ad iter ingreſſum aliquò fortè fortuna ſequebatur, & incertum fuiſſe quid ea ſibi oſtenta vellent, ſed animum tùm illuc intendentem, & ad omnem partem conuertentem nox excepit. hic ſomnum capienti ſibi Chriſtum cum oſtento illo cæleſti viſum eſſe, & commonefeciſſe, vt exemplar imitatus illius ſigni, idem in bellicis conflictibus amuletum circumferret: vt autem dies illuxit, arcanum expoſuit amicis, accerſitisq; ſubindè redemptoribus operum, ex auro & gemmis affabrè magis inciſorū; medius ſedit, ſigni ſpeciem indicauit, quantum ſua intereſſet, de gemmis auroq; ſibi excuſum redderent, quod ipſi aliquandò vi-

dimus

dimus in hanc ferè figuram operis absolutum. ita Eusebius, qui signum Crucis longius indè describit cum litteris quibus eadem Crux circumscripta principi se videndam præbuerat. sed de hac visione Arthemius quoque, qui tunc inter Constantini Duces militabat, Præfectus posteà Augustalis Ægypti, reus Christianitatis coràm Iuliano principe, dum pro defensione Constantini, quem princeps multis afficiebat calumnijs, responderet apud Metaphrasten, hæc habet: Ad Christum declinauit, ab illo vocatus, quando difficillimum commisit prælium aduersus Maxentium: tunc enim ei in meridie, apparuit signum Crucis, radijs Solis splendidius, & litteris aureis belli significans victoriam: nam nos quoque ipsi aspeximus, cum bello interessemus, & litteras legimus. quin etiam totus quoque id est contéplatus exercitus, & multi huius sunt testes in exercito tuo. ita Arthemius. Hinc videre licet eundem Deum, qui Saulum è cęlo ad opus omnium maximum ad gentium nimirum conuersionem vocauit, Constantinum quoque ad easdem gentes iam Deo aggregatas, sed longa principum Romanorum oppressione agitatas, in perpetuam libertatem vindicandas, ab alto vocantem: & quidem Constantinum nec iniurijs Maxentij prouocatum, nec ambitione Imperij solicitatum, sed commiseratione Romani Populi, prouinciarumq; à Maxentio immaniter oppressarum commotũ, ab ipsoq; Deo excitatum arma contra Tyrannum sumpsisse certum est. iniurijs illum à Maxentio affectum omnes scribunt; quando primum Constantini imagines Romam allatæ de more fuerunt. Maxentius enim illas deiectas quibuscunque potuit onerauit iniurijs. hinc Nazarius: Ecce enim proh dolor (verba vix suppetunt) venerandarum imaginum acerba deiectio, & diuini vultus litura deformis. ò manus impiæ, ò truces oculi, ita non caligatis? hæc ille. qui paulò post subdit: vna demùm Constantini obliuio est humani generis occasio. hæc ille. vnde patet tantam iniuriam obliuione à pio principe sepultam: qui ab ambitione tantùm absuit, vt post iniurias amicum sibi Maxentium efficere studuerit, eodem Nazario teste. Pugnasti igitur, inquit,

Imperator coactus quidem, ſed hoc maximè victoriam meruiſti, quia non deſiderabas. optaſti pacem, ſed ignoſce, ſi plus omnium vota valuerunt, nec illa diuinitas obſecundare cæptis tuis ſolita, in hoc refragata eſt, ſed aliquid è ſententia tua non cecidit, vt plus pro meritis iniret. negata eſt concordia, cui erat parata victoria. hæc Nazarius. at quàm immani tyrannide Vrbs totúq; Imperium Maxentio ſubiectum premeretur, paſsim apud ſcriptores eſt videre, præſertim verò in ſecundo paneg. poſt victoriam Conſtantino dicto: vbi conſtat, cum ipſe ſæuiſſimus atque turpiſſimus, militibus tantùm addictus, ad quos ſibi conciliandos ad omne ſcelus illis laxabat habenas, quoties milites in concionem vocabat, ſe ſolum cum illis Imperatorem, alios per limites pro ſe militare iactabat, addendo: Fruimini, diſſipate, prodigite: vt tot tyranni quot milites extarent, & non Vrbs tantùm, ſed & Africa exhauriretur, & Inſulæ tot prædonum manibus exinanirentur. quarè, vt ſcribit Zonaras, & Cedrenus, Romani aſsiduis, ſed ſecretis legationibus, Conſtantini piam operam, contrà intolerabilem tyrannum implorabant. cæleſtibus itaque monitis, deiectis Romanis Aquilis, ſacroſancto Crucis ſigno Labaro impoſito Conſtantinus, Romam Apoſtolicorum Principum, innumerabiliumq; Chriſti athletarum ſanguine ſacram, impuriſſimi tyrannorum impietate pollutam, veræ religionis baſim, ſacroſanctumq; pietatis lararium, & Chriſtianæ libertatis aſylum, Chriſti demum Vicariorum perpetuam ſedem vindicaturus, iter ex Gallijs intendit in Italiam. ſed & Romanus Populus hoc idem, gentilitia ſuperſtitione licet illigatus, eſt atteſtatus, publica illa triumphalis arcus Conſtantino erecti inſcriptione, ſuo loco referenda, inſtinctu nimirùm diuinitatis bellum hoc ſuſcepiſſe. hanc expeditionem Baronius ſeptimo imperij ſui anno, duodecimo verò quarti ſæculi, Conſtantinum vnius anni ſpatio confeciſſe ex Paneg. contendit, Eutropiumq; aſſerentem Conſtantinum quinto anno bellum mouiſſe Maxētio redarguit, at meo iudicio (quod bona pace tanti viri dixerim) nimis facilè prolata ſententia. ſi enim ſex grauiſſima, quæ ſcimus, prælia,

quibus

quibus hoc bellum gestum est, nimirùm ad Segusium, Taurinum, Veronam, Mutinam, Aquileiam, ac demùm ad pontem Miluium prope Vrbem perpendamus, ad Historicum potiùs quàm ad oratorem propendamus est necesse. cum præsertim ab vltimis Galliarum finibus Rheni ripis terminatis, iturus in Italiam aciem promouerit Constantinus. anno itaque quinto sui principatus, sæculi eius nono, mouit exercitum Constantinus, legionibus cælo missis, salutari Christo signo ducente exercitũ, eademq; victrici tessera galeis & scutis militaribus effulgentibus, vt habent carmina Prudentij, aduersus Simachum libro primo.

*Christus purpureum gemmati textus in auro*
*Signabat Labarum; Clypeorum insignia Christus*
*Scripserat; ardebat summis Crux addita Cristis.*

sed eadem quoque triumphalis signi maiestas Constantini aciem Maxentianis copijs longè inferiorem augebat: omnes quippè authores qui huius expeditionis meminere, ita inferiores fuisse Constantini copias volunt, vt vix quarta pars fuerint, Maxentij militibus comparatæ. hinc author Paneg. Magnus, inquit, Alexander quùm præter Macedonas, cunctæ Græciæ, vniuerso Illyrico innumerabilem delectum posset indicere, nunquàm maiores quadraginta millium copias duxit; inhabile regenti ratus, quicquid excederet, & turbam potius quàm exercitum. tu verò etiam minoribus copijs bellum multò maius aggressus es, tantò scilicet tua virtute propria potior quantò ille numero instructior. hæc ille; quicquid dicat Zosimus, qui Constantinum scribit nonaginta millia peditum, & octo millia equitum habuisse. Maxentium verò ex Italis, Carthaginensibus, & Siculis, centum & septuaginta millia peditum, & decem & octo millia equitũ eduxisse. quo authore, dum Constantinus in Italiam progreditur, Maxentius intra muros inclusus, dijs victimas offerebat, & Aruspices de belli euentu consulebat, ipsis quoque Sybillinis oraculis peruestigatis. cumq; reperisset oraculum quo significaretur, in fatis esse, vt qui ad perniciem Populi Romani spectantia designaret, miserabili morte periret, de semetipso id accipiebat, qui

quaſi Romam adortos, eamq; capere agitantes, propulſaret. hæc ille. at Euſebius: de Conſtantino: Hic Dei ſacerdotes, ait, numero habens confeſſorum, accingebat ad obſeruantiam omnem & cultum conſpecti numinis, reliquam expectationem & ſpem in eo collocans, indeq; ſe communiens, animum induxit vt tyrannicum ignem reſtingueret. de Maxentio: Hic, ait, ſanè multus Romanam Vrbem ijs maleficijs inuaſerat, eoq; ſcelerum robore; vt ad præſidentem impurè ac nefariè viuendi licentiam nihil eſſet omninò reliqui. ſeductas matronas remittebat ad viros, non ita proiectos aut obſcuros, temulentiam hanc ſuam in Senatum adeò atque principes Senatus exercebat. ſexcentis igitur acceptis omni contumelia matronis, impurum & effrænatum animũ nihil magis expleuerat: tentatis perindè Chriſtianis non item cupiditati ſuppetere. his enim vitam profundere ſatius erat, quàm pudorem proſtituere. Quædam Senatorij ordinis, cuius viro præfectura obtigerat, illis intellectis pro foribus adeſſe, qui ad tyranni libidines erant facti (nomen iſta Chriſto dederat) & ita virum ſibi timentem annuiſſe vti abduceretur, impetrata mora tantiſper dum mundum ſumeret, ingreſſa eſt in conclaue: ibi remotis arbitris, enſe confodit pectus, occumbéſq; lenonibus cadaueris copiam fecit. hæc aliaq; extremæ impuritatis, & immanitatis dum deſcribit Euſebius, quapropter, inquit, ictus miſericordia Conſtantinus omnes expugnandi machinas contrahebat, ipſe poſt principia, nempè regnatorem Deum, implorabat opem Chriſti, vexillum illud inſigne victoriæ collocabat ob armatos. hactenus Euſebius. Conſtantinus promotis copijs Alpes ſuperat Maxentij præſidijs inde deiectis. prima illi fuit pugna ad Segufium, quam ex Nazario iuuat audire: Primam igitur, inquit, Seguſienſium ciuitatem (quam primam iter dederat) victoria facilis amplexa eſt. quæ reſiſtendi pertinacia ita in ſe Imperatoris vim cõuertit, vt pietatem tamen non alienauerit. nam cum introitus vi manu quæreretur, & portarum inflammatio ignem latè diſtuliſſet, cuius facilis per adiuncta contagio partu peſtifero valeſcebat, maxima benigniſſimi

Imperatoris fuit cura, non modò vt incendium non adiutum senesceret, sed oppressum emori posset, & longè operosior clementia, quàm fortitudo perfecta est, quum plus in conseruanda Vrbe, quàm in capienda fuerit laboris, orirentur. itaq; digrediens sic cupiditatem sui fecit, vt eam ad omne obsequium non victoriæ metus componeret, sed admiratio lenitatis. optima aiunt esse remedia quæ ad vsum corrigendi nostri ex aliena calamitate nascuntur: verùm animus prauitate velut morbo impeditus, delectum boni non habet. hæc Nazarius de prima Constantini in Italia assequuta victoria singulari clementia clara. excepit inde Constantinum altera Maxentij acies ad Taurinum. de quo prælio ita idem Orator: Ecce iam apud Taurinos venientem pugna grauior expectat, nec Segusiensium vastitas monet vt sibi caueant, nec cogitant, quod cum principe res futura sit, quod neque vis eius resistendi spem faciat, nec mansuetudo rationem. Is campum latè iacentem tantus miles oppleuerat, vt non improbaret fiduciam qui instructos videret; quæ enim illa fuisse dicitur species, quam atrox visu, quam formidolosa operimento ferri; equi atque homines pariter obsepti, Clibanarijs in exercitu nomen est, supernè omnibus tectis equorum pectoribus, demissa lorica, & crurum tenus pendens, sine impedimento gressus, à noxa vulneris vindicabat. te tamen Imperator non terruit; neo quod tanto numero duplicabat armatura terrorem, nec quod vim armis numerus addebat, certùm est pro negotij modo animosam esse virtutem; quòd ex se rerum captum suum temperat, in paruis propè ad securitatem remissa, in mediocribus modicè intensior; vbi magna venerunt iuxta magnitudinem exantlandi operis erigitur. illa armorum ostentatio & operti ferro exercitus qui imbelles oculos vulnerassent, inuictas mentes excitauerunt; quod imbutus Imperatoris exemplo, totis animis eius miles ardescit, quum inuenit hostem quem vinci doceret, cataphractosq; equites, in quibus maximum steterat pugnæ robur ipse sibi sumisi his disciplina pugnandi est, cum aciem arctauerint, seruent impressionis tenorem, & immunes vulnerum, quicquid oppositum

ſine hæſitatione perrumpat. ſed tu Imperator prudentiſſime, qui omnes bellandi vias noſſes, opem ex ingenio reparaſti, quod tutiſſimum eſt, eludere, quod eſt difficillimum, ſuſtinere; deducta acie irreuocabilem impetum in hoſtes effundis, dein quos ludificandos receperas, reductis agminibus includis. nil proderat contra tendere, cum ex induſtria tua cederent, flexum ad inſequendum ferreus rigor non dabat. ita noſtri proditos ſibi clauis adoriuntur, quæ grauibus ferratiſq; nodis, hoſtem vulneri non patentem, cędendo defatigabant, ac maximè capitibus afflictæ quos ictu perturbauerant, ruere cogebantur: tunc ire præcipites, labi recliues, ſemineces vacillare, aut moribundi ſedilibus attineri, per mixta equorum clade implicati iacere; qui reperto ſauciandi loco, paſſim equitem effręni dolore fundebant ad vnum interfectis omnibus, tuis integris, horrorem armorum ad miraculum victoriæ tranſtulerunt, quique inuulnerabiles habebantur, ſine tuorum vulneribus interierunt. ita ille, vt vi victricis Crucis & auxiliantibus copijs, ab eodem ſignificatis, clarius experimentum non deſideremus, dum ferreo conciſo exercitu hoſtili, Conſtantini miles ſine vulnere triumphat. pergit porrò reliqua prælia ſummatim attingere potius, quàm deſcribere, aliquibus eorum nomine tantùm vix ſignificatis, præiudicio pij lectoris Crucis victorias auidiori cõtemplatione ambientis: ait enim: Quid ego referam poſt tantam & tam grauem pugnam, quòd apud Brixiam magnus quidam & acer equitatus eſſet, fuga quàm viſu aſtutior, & primo impetu tuo pulſus, Veronam vſque contendit ad præſidia maiora? neque id dedecoris fuit quòd excuſati fugiunt, qui tibi cedunt: cõtingat quinimmò timiditati miseræ res oſtentanda fuga quæ habuerit dignitatem. ipſa autem Verona fræta manibus, copijs, quas in vnum aduentus tui formido conduxerat, cum multorum iam cladem accepiſſet, facta eſt parumper metu cunctantior, non ratione fidelior, muris ſe ab impetu vindicat. aderat quidem Ruricius experientiſſimus belli, & tyrannicorum ducum columen, per tota admodum mœnia magna vis hominum, & apud Brixiam plerique

iam

iam fracti, vt in corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet: sic illius multitudinis portio malo affecta, totum exercitum timoris contagio dissiparat: quàm faciles lapsus infirmitas habeat, cum eam intempestiua mouit audacia, cùm sæpè aliàs, tum maximè in illa obsidione perspectum est; clausi impetum faciunt, & qui se aliquandiu latendo à morte defenderant, facta pugnandi causa, pœnas eruptionis temerariæ dependerunt: idemq; Ruricius magna suorum clade reiectus in mœnia, sæpe iam lassa & mente vesana, cum se Veronam proripuisset, nouos eòdem egit exercitus, & præcipitante iam die, bellum non detrectauit, pugnæ auidior quàm salutis. sed eum exitus magis quàm merita fefellerunt: nam furorem mors domuit, quem non potuerat considerati ratio, nec victi formido sanare. O' nox illa æternis sæculis monumentisq; mandanda, quum spiris tenebrisq; congressus fortunæ totum liceret, tu tamen Imperator (non instructior tempore quam à Deo tectior, sæuissimo hosti multus instares, & libertate cædis exultans, donum noctis duceres, quod pugnantem nemo seruaret; per infestas acies interitus vadis, densissima quæque perrumpis, deijcis, proteris: mortis decus perdunt quos ignorãter affligis, nisi quòd te ipsa vis tua cogit agnosci: nihil enim te permouent tubarum fractæ voces, horrendus militum clamor, permixta casibus vulnera, illisi cominùs gladij, cadentium graues gemitus, arma latè strepentia, & in vnum quendam sonitum diuersi fragoris acta confusio, quòd hæc omnia, aut virtus negligit, aut ira non sentit: nox ipsa iustissima bellantibus causa terroris; vehemẽtiorem te agendis stragibus fecerat: quod solùm enim virtutis tuæ impedimentum est, miserationem tenebræ non habent. vt intelligi liceat quantũ illo in bello vis tua perfecerit, pietate non retenta, & maiestate secura. prælio vix multa nocte confecto, fessus cædibus, anhelus ex bello, cruore oblitus, sed hostili, ad obsidionis vigilias recurrebas: hactenùs ille, qui gesta ad Mutinam, & Aquileiam omittendo de industria, ad finem bello impositum sub ipsis Vrbis mœnibus descendit: hoc idem fermè alterius Pa-

negyrici author agit. qui hæc antea de Maxentio breuiter præmittit: At quomodò instruxit aciem tot annorum vernula purpuratus? ita prorsus ne quis euadere, ne quis, vt fit, loco motus referre gradum, & instaurare prælium posset, quum à fronte armis, à tergo Tyberi flumine premeretur: in quo ille non mehercle cogitauit necessitatem resistendi, sed propinquitatem fugiendi: nisi fortè iam sentiens diem sibi venisse fatalem, ad solatium suæ mortis voluit secum trahere quamplurimos, vt omnes essent exitus sui comites, qui scelerum participes extitissent; quid enim aliud illum sperasse credendum est? qui iam ante biduum palatio emigrauerat, & cum vxore ac filio, in priuatam domum spontè concesserat, vt res est, omnibus terribilibus agitatus, & nocturnis pulsus vltricibus, vt tu iam olim expectatus habitator, sacris illis ædibus, diu exhalatis expiatisq; succederes; & adeò ipse verum sibi dixerat, & venturo tibi cesserat, quamuis in prælium ingrederetur armatus, quum excedendo palatio, iam se abdicasset imperio. hæc ille. qui mox subdit, quomodò ad primum aspectum Constantini & impetum exercitus eius hostis animo, corporeq; conciderit, territus nempè salutaris signi fulgore aciem Constantini præcedentis, quod hic secundò ei diuinitùs apparuisse tradũt authores. Gallicanus tamen, vt Ethnicus scriptor, cum aliter explicare fortè nesciret, hæc ait: Ad primum igitur aspectum maiestatis tuæ, primumq; impetum totius tui victoris exercitus, hostes territi, fugatique, & angustijs Miluij pontis exclusi, exceptis latrocinij illius primis auctoribus, qui desperata venia, locum quem pugnæ sumpserant, texere corporibus, cæteri omnes in fluuium abiere præcipites, vt tandem aliquod cædis compendiũ fessis tuorum dextris eueniret, cum impios Tyberis hausisset; ipsum etiam illum, Maxentium videlicet, cum equo & armis insignibus, frustrà conatum per abrupta ripæ vlterioris euadere, idem Tyberis correptum gurgite deuorauit, ne tam deformis prodigium, vel hanc obitus sui relinqueret famam, quod alicuius viri fortis gladio, telove cecidisset. & aliorum quidem hostium corpora, & arma præceps fluuius voluendo deuexit, illum

autem

autem eodem quo extinxerat loco tenuit, ne Populus Romanus dubitaret, si putaretur aliquò profugisse, cuius mortis prolatio quæreretur. hæc ille. at quanta fiducia Crucis accensus Constantinus irruerit, quo ardore tâquàm certus de victoria pugnam inierit, iuuat ex Nazario cognoscere: Inuadis, inquit, primus aciem, solus irrumpis, obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus vmbo, securus ab his, quos cum trabalis hasta deiecit, insultans ferus proterit, fulget nobilis galea & corusca luce gemmarum diuinum verticem monstrat, auro Clypeus, auro arma collucent. hæc ille. sed vt Ethnicus. nam si agnouisset galeam Constantini, verticemq; eius, sicuti & clypeum & reliqua arma diuino Crucis signo, gemmis expresso fulsisse, vt ex æreo nůmo armatum Constantinum exhibente, quem penès me habeo, & ex Prudentij carminibus paulò ante recitatis est videre, clariori stylo rem posuisset ob oculos. hæc enim & ex verbis quæ statim subijcit, colligi posse videntur, dum ait: O quantam vim possides virtus, quæ in hoc habitu, plus terroris præferas, quàm decoris. ita ille. sequitur porrò: Secuti hunc ardorem fortissimi milites, & dignos se ductu eius, imperioq; testati, sic viritim laborauerunt, quasi summa res singulorum manu teneretur. ita Nazarius. qui, quamuis Ethnicus, fatetur tamen diuinitatis opera omnia contigisse, cum ait: Illa pietatem tuam texit, illa nefandi illius Tyranni fregit amentiam; illa inuictum exercitum tuum tot victoriarum conscientia plenis pectoribus ardentem, tantis insuper viribus iuuit, quantas præstare aut Deus potuit, aut amor tuus debuit; vt horrendas acies, vt incognita ferri & corporum robora, fulmineus miles euerteret, vt quicquid instruxerat diuturni sceleris longa molitio, felici congressione consumeres. sic ille. & sanè præclarè Eusebius Constantinum in hoc bello Moysi, Maxentiű Pharaoni comparat; dum ait: Quemadmodum enim Mose pium Hebræorum genus dirigente, currus exercitumq; Pharaonis in mare proiecit, ipsos satellites honorarios, omnemq; adeò delectum vnda rubri maris obruit, ita Maxentius eiusq; armati & hastati quasi saxű demersi

sunt

ſunt ab eò funditùs. ſiquidem numinis vim ſtantem à Conſtantino fugiens, vbi tranſmitteret ea fluentem amnem, quem ipſe nauigijs iunxerat, atque ponte ſtabiliuerat, ſuo ſibi commento pernicies extitit. quòd amicum Deo virum captum iri credebat, illi nihilò ſeçiùs dexter Deus affuit. iſte miſer has ſibi ſtruxit inſidias, ex quo dicere par eſt: effodit cuniculum, ac quam foueam ipſe duxerat, in eam delapſus eſt. hæc & plura Euſebius, concludendo iure meritò concinendum carmen illud Moyſis. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare: adiutor & protector factus eſt mihi in ſalutem. quantum lætitiæ autem hæc Conſtantini victoria Romanis attulerit, teſtatur Nazarius cum ait? Nullus poſt Vrbem conditam dies Romano illuxit imperio, cuius tàm effuſa, tàmq; inſignis gratulatio aut fuerit, aut eſſe debuerit; nulli tàm læti triumphi quos Annalium vetuſtas conſecratos in litteris habet: non agebantur quidem ante currum vincti duces; ſed incedebat tandèm ſoluta nobilitas; non coniecti in carcerem barbari, ſed deducti carcere Conſulares; non captiui alienigenæ; introitum illum honeſtauerunt, ſed Roma iam libera; nil ex hoſtico accepit, ſed ſe ipſam recuperauit; nec præda auctior facta eſt, ſed eſſe præda deſijt; & quo nil adijci ad gloriæ magnitudinem poteſt, Imperium recepit, quæ ſeruitium ſuſtinebat. Duci ſanè omnibus videbantur ſubacta vitiorum agmina, quæ Vrbem grauiter obſederant; ſcelus domitum, victa perfidia; diffidens ſibi audacia & importunitas catenata: furor vinctus, & cuncta crudelitas inani furore frendebat; ſuperbia atque arrogantia debellatæ, luxuries coercita, & libido conſtricta nexu ferreo tenebantur. ſequebatur hunc comitatum ſuum, tyranni ipſius teterrimum caput, ac ſi qua referentibus fides eſt, ſuberat adhuc ſæuitia, & horrendæ frontis minas mors ipſa non vicerat. Inijciebantur vulgò contumelioſiſſimæ voces; nam & ludibrijs oppreſſoris ſui auſpicari libertatem iuuabat, & mira voluptate conceptus è vita terroris inſultatione interitus obterebatur. quis triũphus illuſtrior? quæ ſpecies pulchrior, quæ pompa felicior?

Dicam

Dicam itaq; Imperator quo vno satis mihi videor diuinam gloriam tuam significaturus; Quot in illo turpitudinum notas extinxeras, tot in te laudum infulæ refulserunt. fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem voluit, quominus omnis quæ odium eius persuaserat, spectaculũ tyrannici funeris expiaret vbique. iam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat fama velox, & ad celeritatem nuncij pennata victoria insequebatur; tamen vberiore cum gaudio ipsius rei fructus, quod ad animum languidius accedunt, quæ aurium via manant, quam quæ oculis hauriuntur. itaq; tanti per Italiam concursus hominum excitabantur, tantæ ex oppidis effusiones, vt anteacti terroris testificatio in præsenti exultatione luceret. pari studio missum eiusdem Tyranni ad permulcendam Africam caput; vt quam maximè viuus afflixerat, laceratus expleret; & nondum satis tempestiuo mari, affuerunt tamen nauigantibus felices auræ, & fluctus secundi, beatissimamq; victoriam ipsa etiam elementa iuuerunt. caput, in quo titulus tantæ laudis circumferebatur, reddidit Tyberis, prosequuti sunt venti, maria seruarunt. quonam modo te potens Africa, quanto lætitiæ fremitu, quam insolenti voluptate iactasti? nihil quippè est immoderatius, quàm post longam tristitiam repens gaudium, impetu suo feruet, nec vt primum liberum, continuò defecatum, statim purum est. hæc Nazarius multaq; alia in laudes triumphantis principis diffusus. at is vt verè pius, & qui tantam victoriam Deo exercituum soli acceptam referebat, publica contestatione in sacro patrum consessu posteà apud Nicæam habito, vt suo loco dicemus, Deum contra Tyrannum pro se pugnasse, oratione ad patres habita professus est. cuius verba apud Eusebium sunt eiusmodi. Adoro vos ò Pietas, & Humanitas, supplex æternam gratiam merito vestro debere confiteor. incogitans autem vulgus atque expers auxilium vestrum, imò Deum ipsum propter antiquas in vos inimicitias aspernatur. ignorat egregiè rationem viuendi, & causam, esse se quicquid

ac quantus est omnes etiam improborum quisquilias superioris ope nescit. huius vniuersitas est. huius omnia quæcunque in ea sunt. meæ felicitatis & omnium meorum nobilitatis causas adscribo. testimonio esse poterunt euentus illi votiui, facta præclara, victoriæ, trophæa de hostibus. horum conscia magna ciuitas acclamat atque celebrat; eadem est voluntate Vrbis amicissimæ populus, etsi incerta spe deceptus, hominem indignum prouincia sibi præfecit; ille oppidò quàm facilè suo merito deprehensus ingressionem audere, de quo facere verba nefas illi præsertim qui te alloquitur, & ope summa nititur, vt ominari absit, omniaq; nomine bono dicere peroptet. ego profectò aliquid habeo, nec informe nec indecorum dictu, bellum desperati fœderis atrocissimum, ò Religio & Pietas sacrosancta, Ecclesijs à tyrannide inductum est; nulla tempestate defuere orbi Romano, qui non publicis istis incommodis exultarent, ac gaudio dissilirent. instructus ad ineundam pugnam campus erat, & tu pedem obfirmasti, fidemq; in aciem descendens es tutata. crudelis & acer animus improborum incitatus, atque latè diffusus, insignem tum attulit tibi & perennem gloriam. hæc pius princeps, multaq; similia. Parta victoria Constantinum Romam ineuntem per prata Neroniana, ad memoriam Principis Apostolorum sub proximo colle Vaticano diuertisse, ibiq; pro collatis tam insignibus beneficijs sibi à Deo, immensas eidem gratias reddidisse, pro suo more, pijs probat rationibus Baronius, omisso superstitioso cultu Apollinis Capitolini. vndè ponte, viaq; triumphali, ad Palatinas ædes Imperatorium domicilium, sese recepit; propè quas postea à Senatu nobilissimus Arcus triumphalis, ad radices nempè Palatini collis, erectus stetit: cui meritò pietatis Constantinianæ, pepercit ad hanc diem, quæ nihil habet sacrum, ex humanis operibus, vetustas. eum demolito Marci Aurelij Antonini, & Traiani arcu, à Romanis extructum volunt, adeò vt quidam vnius noctis interuallo, illum structum fuisse contendant, in cuius vtraque fronte hæc habetur adhuc integra inscriptio.

IMP.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO.
P. F. AVGVSTO S. P. Q. R.
QVOD INSTINCTV DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITVDINE. CVM EXERCITV SVO.
TAM DE TYRANNO. QVAM DE OMNI EIVS
FACTIONE. VNO TEMPORE. IVSTIS
REM PVBLICAM VLTVS EST ARMIS.
ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

intra maximi fornicis interiorem intercapedinem, altera ex parte incisum legitur.

LIBERATORI VRBIS.

ex altera parte è regione.

FVNDATORI QVIETIS.

extrinsecùs autem supra adnexum ab eà parte qua Amphitheatrum respicit.

VOTIS X. VOTIS XX.

ex aduersa parte.

VOTIS SIC XX. SIC VOTIS X.

tantæ victoriæ diem Panuinius libro secundo de factis Consularibus, octauo Kalendas Octobris adscribit. At Constantinus Inuictæ Crucis Victoriam referendo, in Vrbis meditullio triumphale signum erexit, ita tamen vt sui corporis effícta statua, dextera manu hastile lignum in formam Crucis efformatum teneret, hac inscriptione, quam Eusebius in vita eius describit.

HOC SALVTARI SIGNO. VERO FORTITVDINIS INDICIO. CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI. ET S. P. Q. R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINÆ AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI.

Ita inquit Eusebius, amans Numinis Imperator splendida confessione artificis, vincendi Crucis, liberè quidem huic dabat operá, vti Romani Dei filium agnoscerent: omnes autem loci incolæ, nobiles popularesq; velut à graui dominatione respirantes, luce frui molliore purioreq;, tum autem initam denuò vitam alteram

cogitare, quas gentes ad occidentem limitauit Oceanus, illę assidua calamitate libera frequenti nundino latam auctorem, pietate primum, seruatorem continenter exclamare. vna vox, vnum os omnium, emersisse beneficio Dei Constantinum generis humani commune compendium, expositum erat vbique regium edictum, qui solum verterant indemnati, eo postliminio redibant. si quos iniuria tyrannidis periculo obnoxios, aut vinculis habuisset, soluebantur ea cura; Dei vero administros ad se accersitos, semper honore præcipuo censebat, & omni officio prosequebatur. nihil circa deuotos, addictosq; numini benignitatis aut humanitatis ommittebat. homines quidem de vultu, ornatuq; tenues alia tam apud eum nota consuictores erant haud asseclæ, quo sibi eumque eundum esset, omnes illuc solicitabat, ratus illum dextrum assistere quem colebant. & de se sane postquàm abundè suppeditauit Ecclesijs, tum adaugens, tum erigens altius, ipsa sacraria speciosa donarijs efficiens, multa insuper mendicis & egenis hominibus erogata stipe, qui adibant ad eum, humaniter atque beneficè sentiebant. hæc Eusebius. sed non solùm egenis ipsum adeuntibus se pius princeps munificum parentem omnibus exhibuit, verùm remisso toto terrarum orbe tributo, populos vt à Tyrannide, ita & ab inopia subleuatos voluit. vt patet ex inscriptione Hispanica à Baronio Annalibus inserta huiusmodi.

IMP. CÆS. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG.
PACIS ET IVSTITIÆ
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET FIDEI AVCTOR.
REMISSO VBIQ;
TRIBVTO FINITIM
PROVINC. ITER
RESTAVR. FEC.
C XIIII.

mirata

minata est antiquitas Traianum, quòd, vt ait Plinius in panegyr., Vetuerit exigi, quod deberi non suo sæculo cæperat. hoc est, vt Lipsius explicat, condonauit residua tributorum, quę ad 22. milliones Philippicorum & semis ascēdebant; vbique tamen remissa tributa omnia per Constantinū, longè factum Traiani superant. Pietate Principis allectos complures ex nobilitate Romana ad Christum accessisse, docet ex Prudentio Baronius, idemq; ostendit, quomodò cum Cōstantinus indignum existimaret summum Christianæ religionis Antistitem, non aliquam præcipuam ædem in Vrbe incolere, Lateranorum, nobilissimorum olim ciuium domum, Melchiadi seu Miltiadi tunc Romano Pontifici, & successoribus assignauit. idem præterea recitat complura edicta hoc anno, pro Christianis, Clericis, Episcopisq; lata, duodecimo nimirum quarti sæculi, imperij vero suo septimo, vt appareat, quàm se gratum ergà eam religionem bonus Princeps fateretur & agnosceret, cuius veri Dei patrocinio & assistentia, inauditas assequutus fuerat hactenùs victorias, & cuius obsequio iam sese tota mente dicarat māciparatq; compositis itaq; rebus Vrbanis vt licuit, ad Rhenum contra barbaros properauit. Ruperat siquidem vt author paneg. habet, fidem, gens leuis, & lubrica barbarorum, & robore atque audacia lectis eruptionis authoribus, institisse Rheno nuntiabantur; illicò obuius affuisti, & præsentia tua ne auderent transitum terruisti. etiam videbaris rem votis tuis fecisse contrariam, quòd inhibita eruptione non fiat materia victoriæ, sed inopinato consilio vsus (abeundo enim simulato nuncio, maioris in superiori limite tumultus) occasionē stolidis ac ferinis mentibus obtulisti, in nostra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui securos adorirentur. quò cum venissent, consilium tuum sequitur fortuna, toto Rheni alueo oppleto nauibus, deuectus, terras eorum ac domos mæstas, lugentesq; populatus es: tantamq; cladem, vastitatemq; periuræ genti intulisti, vt vix post illud, nomen habitura sit. ite nunc omnes si placet barbaræ nationes & exitiale vobis mouete conatus, exemplū. quamuis enim imperator noster amicorum Regum admittat ob-

ſequia, idq; ipſum valeat ad laudem victoriæ, quod à nobiliſſimis Regibus timetur & colitur, augeri tamen gloriam virtutis ſuæ gaudet, quoties prouocatur. hæc ille. Roma tamen digreſſum, & in Germaniam properantem Conſtantinum, ſororem Conſtantiam Licinio Imperatori, Mediolani iunxiſſe, Zoſimus eſt author. quod eum feciſſe, vt hominem ferum ad res Chriſtianas alliceret, par eſt credere. hinc communi nomine edixere pro Chriſtianis. & quidem Licinius, quoad in amicitia Conſtantini perſtitit poſt nuptias, nihil negotij pijs faceſſit. imò eodem anno Maximinus quoque duorum Principum authoritate motus, pro eiſdem reſcripſit. verùm enimuero cum per idem tempus ludi ſæculares inſtarent, veteri gentiliciæ ſuperſtitionis ritu celebrandi, Conſtantinus, vt quantum ab impietatis cultu abhorreret, orbi teſtatum faceret, illos omninò celebrare neglexit. magno gentilium mærore, adeò vt Zoſimus perpetuus Conſtantinianæ pietatis inſectator, res Romanas ad infelicitatem, ea ſola de cauſa, ſuo tempore prolapſas conqueratur: ſed tantùm à veritate Zoſimi querimonia diſtat, vt Conſtantinus qui ludos ſæculares ad peſtes aliasq; calamitates auertendas, vt gentiles ſibi perſuaſum habebant, neglexerat, ſequenti anno Maximini non ſolùm deuitarit inſidias, ab Euſebio deſcriptas, ſed eiuſdem morientis confeſſione legé atteſtata, tranquillitatem Chriſtianis in oriente degentibus reſtitutam, gauiſus fuerit. de cuius Maximini ſæuitia facilè innuere voluit Lactantius Firmianus in ſuo diuinarum inſtitutionum eruditiſſimo commentario, dum Conſtantini tempora feliciſſima deſcribens: Conſtantine, inquit, Imperator maxime, qui primus Romanorum Principum, repudiatis erroribus, maieſtatem Dei ſingularis ac veri cognouiſti, & honeſtaſti; nam cum ille dies feliciſſimus orbi terrarum illuxiſſet, quo te Deus ſummus ad beatum imperij culmen euexit, ſalutarem vniuerſis & optabilem principatum, præclaro initio auſpicatus es, cum euerſam ſublatamq; iuſtitiam reducens, teterrimū aliorum facinus expiaſti. pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem, vt eadem iuſtitia qua iuuenis

exorſus

exorſus es, gubernaculum Reipublicæ, etiam ſenex teneas. tuisq; liberis, vt ipſe à patre accepiſti, tutelam Romani nominis tradas; nam malis, qui adhuc aduerſus iuſtos in alijs terrarum partibus ſæuiunt, quantò ſerius, tantò vehementius, idem omnipotens mercedem ſceleris exoluet. quia, vt eſt erga pios indulgentiſſimus pater, ſic aduerſus impios rectiſſimus iudex. ita ille. Cum porrò adeſſent Decennalia ſui imperij more maiorum agenda, Cõſtantinus, ſicuti in ſæcularibus ludis fecerat, abiecta omni gentilicia conſuetudine, Chriſtiano more illa peregit. hinc Euſebius: Pulchritudine verò templorum tenebatur in primis, & ornatu; quo rerum ſtatu totum Regni decennium elapſum eſt: tum feſtis publicè ſupplicationibus exolutis, ſacrificia abſque ignibus & fumo, hoc eſt precationes & vota Deo Regi fundebantur. hactenùs Euſebius. quo anno Criſpum Mineruina priori coniuge, & Conſtantinum Fauſta natum, Cæſares dixit. & ne ſibi ipſi parens ipſe filiorum felicitate aucta proſpicere magis videretur, quàm reliquis parentibus, qui cùm filios ob inopiam alere non poſſent, impia neceſſitate occidebant, Chriſtiana pietate ſequenti reſcripto ad Ablauium dato proſpectum voluit.

Imp. Conſtantinus. Aug. ad Ablauium.

Æreis tabulis; vel ceruſſatis, aut linteis mappis ſcripto per omnes ciuitates Italiæ proponatur lex, quæ parentum manus à parricidio arceat, votumq; vertat in melius. officiumq; tuum hæc cura perſtringat; vt ſi quis parens afferat ſobolem quam pro paupertate educare non poſſit, nec in alimentis, nec in veſte impartienda tardetur, cum educatio naſcentis infantiæ moras ferre non poſſit. ad quam rem & fiſcum noſtrum, & rem priuatam indiſcretà iuſſimus præbere obſequia. hactenùs ille. qui eandem ſanctionẽ per alias quoque prouincias extrà Italiam habere vim voluit. hinc Euſebius benigniſſimam liberalitatem deſcribens: Multa, ait, inſuper mendicis & egenis hominibus erogata ſtipe, qui adibant ad eum, humanitèr atque beneficè ſentiebant. foro emendicantes (quod eſt homuncionum abiectorum, miſerabiliumq;

liumq; plurimum genus) non ad victum solùm necessaria referebant, sed vestiti commodiùs etiam abibant. quorum natales & incunabula, fortunæ primum amplioris, cum maligniore deinde fuissent commutatæ, dispertiebat largiùs, Regiam munificentiam, & opes in loco significans. his agrum designabat, illos excolebat honoribus, horum orbitatem pro patre se gerens alleuabat. interruptam viduis fortunæ indulgentiam resarciens, propriam curationem interponebat. iamq; destitutas cura parentum virgines, notis desponderat, & opulentis viris, idq; non antequam in dotem suffecisset omnia desponsis. atque vt exoriens solis iubar radios lucis vndique omnibus immittit, haud secùs ille vbi diluxerat egressus, ortu quasi cum cælesti face promiscuo, coràm adeuntibus integritatis & probitatis suæ tædam lucebat. neque vllus accessit, qui nihil inde quicquam adiutus abscesserit, aut spe decidit qui sibi aliquid ab illo promiserat. eius ita erat aduersum omnes ingenium. haec Eusebius. hoc pariter decennali anno, cum Constantinus pro sua pietate contra Hebræorum perfidiam leges tulerit, & eos rebellantes attriuerit, sanè aperta deliria illa censenda sunt, quæ de Helena Hebræis adhærente circũferuntur, & pròh pudor in externas quoque linguas legenda transferuntur. & de Hebræis rebellantibus hęc hàbet S. Ioannes Chrysostomus: tomo 5. Homilia secunda. Post Hadrianum (Hebræi videlicet) eadem aggressi sunt, rebellare nempè aduersus Romanum imperium. at ille Constantinus nẽpè, amputatis illorum auriculis, ac rebellionis signo impresso, corpori illorum, per omnia loca circumferebat illos, ceu fugitiua mancipia, & verberones, corporibus mutilatis conspicuos illos faciens omnibus, ac eos qui per omnes regiones erant sparsi, erudiens, ne in posterum eadem conarentur. hæc Chrysostomus. sed cum & nos superius Helenam pietate nobilem, altricem filij in eadem pietate, ex S. Paulino per ea tempora viuente viderimus, & Baronius longa discussione delirium hoc explodat, vlterius inhærendum circà hæc superfluum ducimus. post res Hebræorum compositas, insanum Licinij ingenium larua pietatis excussa, religionis

tranquillitatem exagitat; vndè bellum inter eundem & Constantinum exoritur. cuius causam vti in Metrophane diximus, Zosimus & Victor Constantino adscribunt. Eusebius culpam in Licinium reijciens, hæc ait: Sed cum audisset Constantinus, de his qui ad Orientem affligebantur, haud ita tulit æquo animo; totam enim oram truculenta quidem Ecclesijs atque prouinciæ insidebat fera, nempè dæmon ille spurcissimus hoc agebat, vt quam rationem iniret vir bonus, contrarium sibi ipse assumeret, & quo duas in partes dissecta erat Populi Romani ditio, lucis ac tenebrarum similis esset, Orientem obtinente caligine, partem alteram die serenissima illuminante, quibus populis tam pingui congiario donatis cælitus; inuidentia honesti semper aduersaria, theatrum hoc minimè omnium ferre poterat. itaq; qui reliquam partem orbis terræ occupabat, anteà regno tranquillo Constantini generis expectatus, isti impiorum institutum moresq; quàm optimi viri potiores, isti inquam prior illorum sententia, quorum exitum vitæ non ignorabat insequenda, quàm boni probiq; amicitia tentanda: igitur telum atrox, nullaq; fæderis spe contrà benè merentem incæptat, neque habita ratione legum, neque necessitudinis, nulla iusiurandi, nulla pactæ fidei mente agitante memoria: hæc Eusebius: pluribus etiam alijs iniquitatem Licinij exaggerando, generalibus tamen religionis causis, & ingratitudinis Licinij productis, nec peculiaribus vt deberet examinatis. Nicephorus namq; in Chronico iam à nobis laudatus bellum hoc propter sanctum Metrophanem Byzantij Episcopum à Constantino motum testatur. ad quæ lectorem non longè, libenter remittimus. Ioannes Nicomediæ presbyter, apud Baroniũ, scribit præterea, Constantiam Licinij coniugem, Constantini germanam sororem, impietatem mariti non ferentem vt potè pietate à teneris annis à matre Helena imbutam, ad fratrem illum per litteras detulisse, sextodecimo anno quarti sæculi: sequenti autem anno Licinium in Pannonia apud Cibalim cum Constantino congressum, profligatum fuisse, colligit Baronius: quo prælio antequam ad manus esset deuentum, scribit Eusebius Liciniũ

ad ſuos habuiſſe concionem; quam, vt diuinæ opis aſſiſtentia Conſtantino perpetua magis appareat, refero. Enimuerò, inquit, orſurus bellum ſelectos ex amicis ac ſatellitibus aliquos in locũ quendam ſibi religioſum conuocauit. nemus erat irriguum, & egregiè opacum. in eo ſigna deorum lapidaria ſculptura, variè diſpoſitèq; collocata; ibi litato de more cereis incenſis, ita illos affatus eſſe dicitur. Iſti ſunt ò ſocij & amici nobis patrij dij, quos à maioribus in hoc acceptos, annorum longa ſerie colimus, hoſtis autem violato ritu patrio, ſenſum habet dijs alienum peregrinum neſcio quem, videuis amplexatus, impoſtura ſignoque tanti Dei turpiſſimo exercitum commaculat; quod illi animos in nos non facit; ſed quos armis aſſumptis offendit deos. cuius in ſententia error inerit, deſignator hic dies illius atque noſtrarum partium dijs edocebit. aut enim ſi vincemus adiutores procul dubio meritoq; ſalutares deos iſtos exhibebit; aut ſi ille multos vicerit, numero quidem adhuc potiores, is quicunque eſt videlicet, nemini dubium eſto, quem par ſit obſeruare deum, dedere ſe victori, præmiumq; illi tradere. & peregrinus aut irriſus vſque licet fuerit, ſi plus poterit, & cognoſcendus & venerandus nobis eſt, ijs diu valere iuſſis quibus cereos nequicquam incendimus; ſi victoria (de quo non ambigitur) ſteterit à nobis, ibimus in impios poſtquàm vicerimus hoc loco. hæc ille ferè diſſeruit, inquit Euſebius. at qualem vim illius ſigni quod impius & turpiſſimus ipſe, turpiſſimum appellauit, expertus malo ſuo fuerit; ex eodem Euſebio audiamus. Vt ventum ad manus eſt, ait, & bellum fędifragus inchoauit, iſthic ope numinis implorata, ſimiliſq; argumenti teſſera data, primam hoſtium aciem fregit. inſtaurata quoque pugna ſuperior, pluſquàm opima ſpolia retulit, Cruce præeunte teſtudinem, ex quo inſequuta hæc ſunt, fuga diuerſæ partis effuſa, vrgens à tergo auctor exercitus. is ſicubi laborabat, intellecta re, trophæum idem admouebat, atque præſentiſſimum aliquod remedium. itaq; redire vires, iterumq; ſubſiſtere diuinitus. quocircà ſuis haſtatis cũ robore corporis, tum animi virtute & religione obſeruantia præclaris inſtare ſibi miniſterio

nisterio crucis indixerat. erant illi minimum quinquaginta quibus id oneris incumbebat, vti frequentes orbe facto stiparent, ac vicissim humeris comportarent. hæc Imperator longo interuallo postquam erant acta per ortum explicabat his qui sibi id negotij sumpserant. hoc addebat insuper commemoratione dignũ. contigisse aiebat conflictu medio cum turba conferte exercitus ac fragore teneretur, qui gestabat in humeris insigne, detrectans præ ignauia certamen, vt alteri traderet, euadendi spe cumq; alter accepisset, hic tutelam reliquisset, excussum telum eius vtero exceptum, vitam ocyus abstulisse; perfidiæ dantem pœnas, & animi pusilli, decubuisse confectum; illum sibi vitam conseruasse, missilibus appetitum frustrà, quæ sublica figebantur signifero intacto. quod admirabiliter inter alia multa factum esse; breuissimo pali cuiusdam orbiculo sagittas omnes quasi collineatas constitisse. sed erat ab interitu tutus quisquis vnquam munus illud inibat. cuius ego auctor non sum, at ille ipse Imperator, vt plurima alia nostris auribus infudit. hæc ille de virtute triumphalis signi ab impio Licinio spreti; sed & ipsius Imperatoris pietatem inter arma iuuat ex eodem authore intueri, qui pergit: Hic edita aliquanta hostium strage, promouit ordines, quem impetum primipili non ferentes, proiectis armis se ad pedes Imperatoris prouoluerunt, ille de conseruatione hominũ exultans, omnes recepit saluos fore. alij peruicaciùs explorata fortuna, conflictui dabant se, vocibus amicis in cassum appellatis, agmina deinde pertinacia regijs immissis dedere terga, partimq; vt assolet, in fuga cæsi, partim ruentes à suis confossi sunt. idcircò Imperator iste, nempe Licinius, orbum se præsidio non dissimulans, vanos delectus auxiliorum, exercitusque, vanam deorum expectationem expertus, fugere inhonestè non dubitauit. euasit certè, tutoq; loco fuit, insequi prohibente Rege, quem salutem consequi volebat. etenim putauit, intelligentem vbi loci fortunæ suæ forent, insanam audaciam cum sobrij hominis mente commutaturum aliquando. hæc Eusebius. Sed Licinius licet expertus imbecillitatem impietatis suæ, contrà diuinam Crucis poten-

tiam, immemor eorum quæ cum amicis in nemore ſuper experientia belli, deorumq; ſuorũ, reſpectu Crucis tranſegerat, cum, iuxtà propheticum illud, nollet intelligere, vt benè ageret, fuſus fugatusq;, & in Thraciam ſe recipiens, reſtitutis copijs iterum manum cum Conſtantino conſerit. at Crucis ôſor etiã hoc prælio contempti ſigni vim eſt expertus. proceſſit ſiquidem contrà illum Cõſtantinus totus pietatis armatus officijs. de quibus hæc Euſebius: Rex alterius apparatus eſſe rem opinatus, interim Seruatoris nomine agebat ferias. Tabernaculum Crucis in receſſu poſitum erat, illic frugaliter & ſanctè degebat, Deoq; ſupplicabat, quomodò illum accepimus antiquiſſimum prophetem ex fide ſcripti ſacroſancti, extrà caſtra tentorium habuiſſe. aderant religionis obſeruatione atque fidei probati apud illum admodum pauci. hoc illi conſuetum erat, vbi alia acie cum hoſte dimicandum foret. fuit ille præ ſecuritate lentus, & qui nihil abſque conſilio numinis ageret, ac denique aliqua Dei fretus imagine recederet. exinde tanquam diuinitùs afflatus, contubernio relicto, omnem moram tollere, copias educere, ipſo momento gladios diſtringere iubebat: hic tum collecta multitudine, legionarij ingreſſi campum, cædere laſciuiter, vſque dum victoria accepra, puncto temporis trophæum ponerent. ſic ſe imperator & delectus omnes ad militiam pridèm comparauerat, huius oculi mentis in vultu numinis ſemper habitabant, ad aliquid agendum eò diuertebant, omnia illius conſilia. ne multi interirent diligenter ab eo, prudenterq; cauebatur. tàm enim inimici quàm ſalutem ſui exercitus auebat. & ſuos, vti victis parcerent, hortabatur, æquum eſſe natos hoimnes conditionis haud diſparis meminiſſe. quorum videbat animos incontinenter victoria vti, frænabat auro. nempè conſtituerat auri penſum cui ſe hoſtis viuus dediſſet. atque ita eſcam generis continendi ſeruandiq; prudenter inuenerat, quæ quum ſæpè aliàs, & horum ſimilia permulta non grauatè faceret, tum verò nulla contubernij cum quoquam neceſſitudine antequàm prælium committeretur votis operam nauabat, omni animi mollitudine alienus, atque corporis, ærumna,

inna, ieiunijs macerabat sese, hac via sibi numen adiungebat, id acturus quodcunque propitius opitulatorq; Deus in mentē immisisset. verùm ille communem vigilemq; curam induerat, æquè suorum causæ, & aduersariorum, anxiè preces fundens. hactenùs Eusebius. ijs pietatis Constantinianæ armis expugnatus Licinius in Thracia, nobilissimum tantæ virtuti trophæum erexit, dum toties impius, à pio principe in amicitiam & consortium imperij receptus est: teste Zosimo. qui, postridie, inquit, pactis inducijs visum est inter ambos debere esse societatem, & fœdus mutuum, ita quidem, vt Constantinus imperaret Illyrijs, & nationibus cæteris, quotquot vlterius essent porrectæ. Licinius Thraciam & Orientem, & vlteriores prouincias haberet. Valens appellatus à Licinio Cæsar, quòd, vt equidem arbitror, perhiberetur auctor eorum malorum quæ acciderāt, è medio tolleretur. ita ille. verùm cum pius princeps saluti publicæ non minus conducere cognosceret summum Tyrannum, quàm inferiores plurimos compescere hoc eadem anno Sardicæ existens legem Imperatorem Christianum, debellatorem vitiorum exprimentem, tulit, qua Clarissimorum virorum delicta statim puniri debere, nec vlla fori exceptione gaudere voluit, tenoris huiusmodi: Quicunque clarissimæ dignitatis, virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua culpa seu crimine deprehensus fuerit, statùm intra prouinciam in qua facinus perpetrauit, publicis legibus subiugetur, neque super eius nomine ad scientiam nostram referatur, nec fori præscriptione vtatur. omnem enim honorem reatus excludit, cum criminalis causa, & non ciuilis res vel pecuniaria moueatur. ita ille. qui rempublicam stare diutiùs nequaquàm posse, ni potentiorum licentia comprimatur, optimè norat. verùm pietati & populorum saluti intentum Constantinum, hydræ similis immanitas Licinij turbat iterum atque iterum. nondum enim anno transacto, bellum Constantino intulit. sed, inquit Eusebius, clàm delectum habebat armatorum, ac ad bellum denuò accingebatur. barbaros externaq; auxilia accersebat, etiam ad deos fideliores adibat, ambage longa viarum exquisitos, quia

priores illi fefelliſſent, omnium erat oblitus quæ de dijs ipſe diſſeruerat. debellatorem Conſtantini Deum aſpernabatur, ac recentes multo plures ridiculè inquirebat. attamen iſte aliquando perdidicit, quàm arcana, quàm cæleſtis inſit in trophæo ſalutari vis, ex quo vincere nouerat alter exercitus. ita ille. hinc Pōponius Letus de eodem agens; tandem, inquit, naualibus & terreſtribus prælijs victus, deditionem Nicomediæ fecit. Zoſimus quantumuis infeſtus Conſtantino, bellum tamen hoc incruentū fermè Conſtantino fuiſſe deſcribit, Licinio verò ita funeſtum vt centum quinquaginta triremes, ab octuaginta Conſtantini oppugnatas amiſerit; exercitum quoque centū quinquaginta millium, à Conſtantini longè inferioribus copijs deletum deſcribat in Thracia. in Aſia verò vltimo prælio propè Chalcedonem, ita Licinium à Conſtantino attritum dicit, vt de centum & triginta millium numero, vix triginta millia euaderent. ſed quòd ad diuinam erga Conſtantinum propenſionem attinet libet ex Nicephoro cognoſcere. cū enim, ait, bonus Princeps in Byzantij obſidione quadam die ob aliquot ſuorum, ab obſidentibus erumpentibus cæſos eſſet ſolicitus, Veſpere diei, inquit ille, Imperator languidus & mæſtus, inopia conſilij, continuò oculos ad cælum intendit. atque ibi rurſum itidem vt Romæ cum contra Maxentium bellum gereret, ſcripturam ſtellarum ordine, atque diſtinctione conformatam, vidit; hoc ſignificantem: INVOCA ME IN DIE TRIBVLATIONIS, ERVAM TE ET LIBERABO TE, ET GLORIFICABIS ME. ſtupore igitur percitus rurſus oculos in cælos ſuſtulit. & iterū Crucem ſtellis, ſicuti antea effigiatam in cælo, & inſcriptionem circum eā conſpexit, cuius hæc verba erant. IN HOC IPSO SIGNO HOSTES OMNES VINCES. & confeſtim in memoriam ei quæ antea acciderant venere. poſtridie ergo claſſicum canere iuſſit. & quòd trophæum & ſignum Crucis prȩferri in acie mandaſſet, fortiter illos vicit. ſimulq; Vrbem ipſam cæpit. victoriæ autem eius trophæum, & ſignum eo loco ſtatuit, vbi nunc porphiretica eius columna in magnam amplitudinem ampliter excurrit. hæc ille. vnde iam tertiò ſalutiferum ſigno Crucis Con-

ſtantino

stantino affulsisse, ad Rhenum, ad Vrbem, & ad Byzantium cognoscimus, cui trium orbis partium gentes, sub Crucis vexillum reducendæ destinatæ erant. hinc crediderim ad memoriam trinę huius sacrosancti signi visionis, ipso iubēte numisma cusum, quale apud me habetur æreum, ex altera parte imaginem armatam Constantini exhibens, ex altera verò Labarum cum velo militari pendente, in eoq; velo tres Cruces conspicuas. ad imam porrò partem Labari duos homines manibus à tergo vinctis ita sedentes, vt vexillum habeant medium. cum inscriptione VIRTVS EXERCITVS. Zonaras tomo 3. in hanc rem hæc habet: Ferunt Constantinum in pręlijs cum Licinio & Maxentio commissis, vidisse armatum Equitem, signum Crucis pro vexillo ante aciem suam præferentem, ac rursus Hadrianopoli duos ei viros adolescentes, qui hostium phalanges cæderent; item circà Byzantium noctu omnibus dormientibus conspectum ab eo ignem, qui fulguris instar, vallum exercitus sui collustraret. quibus ostentis in eam sententiam adducebatur, vt crederet successus illos rerũ, & victorias, sibi diuinitùs offerri. ita ille. at quomodo contemptor Dei Licinius infelici bello precibus vitam à Constantino impetrarit, vel ab ipso Zosimo audiamus: Cum autem, inquit, Constantinus etiam Nicomediæ Licinium obsideret; rebus ille desperatis, quòd etiam sciret nullas sibi restare iustas & satis amplas ad dimicandum copias; egressus vrbe, supplex Constantino factus est, & ad eum allata purpura, Imperatorem ac dominum clamabat, veniamq; præteritorum poscebat. nam vitam sibi certo pollicebatur; cuius nomine iusiurandum vxori eius à Constantino præstitum fuerat: Martinianum (is ex magistro officiorum à Licinio paulò ante socius contra Constantinum adscitus Cæsar dictus fuerat) satellitibus suis occidendum tradidit, Licinio Thessalonicam ablegato. ita Zosimus. qui eum ibi iussu Constantini postea scribit interfectum. de cuius morte cum diuersi diuersa dicant, mihi tamen id potissimum arridet, quod apud Suriũ to. 2. Ioannes presbyter Nicomediensis tradit de Licinio in historia de S. Basileo Amaseno Episcopo, ab eodē Licinio martyrio affecto.

ſcribit,vtporè ea quibus ipſe tunc viuens interfuit,Chriſtiana ſinceritate poſterorum memoriæ commendauit: Licinium,inquit, cum ferè ad mortem vſque Imperator Conſtantinus caſtigaſſet, Regali & quacunque alia principatus poteſtate priuatum,in Galliam demandauit, vt in illa regione habitaret, eò enim quòd eius affinis erat,illum morte punire noluit,qui iure millies mori debebat. ei autẽ toto audiente Senatu dixit: Luge & penitentiã age, ob ea quæ auſus es; bonisq; operibus ſtudens, ab illis nunquã deſiſte. fortaſſe Deus propitius & beneuolus tibi erit,qui omnis beneuolẽtiæ expers,& inſidiator fuiſti.fortaſſe & ſempiternæ pœnæ ſententiã aufugies. hæc tum ipſe. nihilominùs tamen diuina pęna vehementer illum exagitauit. in ea enim regione,ad quã miſſus eſt,difficilia quædã vlcera, remedia eius malitiæ congruentia, ſimilem illi quam Maximinus paſſus fuerat,plagam intulerunt.cũ autem grauiter ingemiſceret, & ſolum ac verũ Deum à ſe reprobatum fuiſſet cõfeſſus,ex hac vita miſer auulſus fuit. hæc ille,Zoſimo,Victoriq;, ac alijs Ethnicis,& qui ab ijſdem hauſerunt longè anteponendus. ſed iam Liciniũ malè regnantẽ,peius pugnantem,omittamus. Conſtantinum ſub vmbra alarum inſtrumẽti ſalutis æternæ,apud Euſebiũ intueamur. Hic deleta,inquit, impietate,lumen ſolis expiatum,imperiumq; Populi Romani Oriente ad partem alteram adducto coaluit.vna poteſtas,atque vno quaſi capite benè digeſtũ corpus emerſit.religionis ſplendor in caligine & vmbra mortis ſedentibus,luculentos afferre dies,nulla eſſe malorũ memoria,omnes imperatorẽ laudare, Deum vnum ſeruatoremq; vnum confiteri. ille verò Dei præclarus obſeruator, atque gentiũ victor(hoc enim cognomentũ ex re proprium adſciuerat, data vbicunque ſibi diuinitùs in hoſtẽ victoria) recepit Oriẽtem: vnumq; iam more priſco,ad ſe tranſtulit Imperiũ.fuit tàm diuinę poteſtatis explicandæ omnibus princeps, quàm vitæ hominũ in maieſtatis imperij gubernator.terrorẽ illum excuſſit vrgentis antea calamitatis, vniuerſos vti ſerena fronte & oculo hilari dudum ſoliciti mæſtitia,reſpicerent inter ſe. qui carmine & choro Deũ in primis,tum ipſum deinde,ac filiũ Cæſares appellatos effuſe dilaudabant.

dabant. impietatis & antiquæ miseriæ obliuio, fruitio præsentiũ bonorum, atque futurorũ expectatio, publicabantur vt ante apud nos, aliosq; orbis terræ incolas, humanitatis à Rege, atque officij plenæ tabulæ, sanctissimæ leges omnia genera bonorum pollicentes, vtilia ad vitam permittentes plebeculæ. Ecclesiæ autem excipientem vicissim alia, cauentemque, primum reuocati sunt ij, qui ne simulacra reuererentur, à præfectis expulsi aliò cõmigrauerant: qui eadem de causa translati erant ad curias, muneribus soluti sunt: deinde sua recuperabant alij, quibus adempta bona fuerant: ac qui toleranter ipso iudicij tempore illustrati cælitus se gesserant, & ad metalla confecturi se descenderant, aut fuerant deportati ad insulas, aut seruire publicè coacti, toto illo genere liberi recedebant: postremò, qui religionem obstinatè defendentes, exauthorati erant, ab hac contumelia vindicati concessione regia, vtro frui mallent, optio illis fuit, vel receptis focis ea qua prius dignitate esse, vel expedito vitæ quietoq; modo contentos, nulla munerum offensione permanere; sed illi etiã noxa, & nexu liberi qui muliebres operas ignominiosè præstiterant, atque ancillati erant ad ludibrium iudicato: rescriptum ad eos potissimum attinebat, qui similes iniurias erant perpessi, at de illorum bonis plenè interdictum fuit lege, sanctorum enim Deum professorum in morte bona adire genere proximos, si nulli essent, Ecclesiæ deferri cauebatur: quæ publicè ex ærario venierant, vel largitione profusa, quicquid item esset reliqui, redire ad priores dominos. magna certè copia donorum Ecclesijs, sed quæ eorum multitudine vinceretur, quæ populis & nationibus magnifico animo dispertiebat. hactenus Eusebius. qui post multa alia, huiusmodi subijcit Constantini Edictum ad prouinciales Palæstinæ, summam eius in Deum ac homines pietatem declarans, ad quod lectorem breuitati studentes, remittimus. Nec minus interea propagandæ pietati, quàm vitiorum enormitatibus toto terrarum orbe exterminandis insudabat Imperator: Quamquam enim, inquit Sozomenus lib. 1. c. 8. in omnibus rebus quas moliebatur, diuinum cultum impensè curabat, in legi-

bus autem colendis vel maximè. qua causa ductus intemperantes & libidinosos concubitus, anteà minimè vetitos coercuit. quemadmodum ex legibus de illis latis, si cui sit curæ istud cognoscere, facilè potest intelligi. ita ille. hinc Diuus Hieronymus scribens in Isaiam c. 2. testatur à Constantino penitùs sublatos esse greges illos puerorum, ad nefandam turpitudinem exercendam, publicè comparatos, idq; non Romæ, vel in alijs augustioribus ciuitatibus tantùm, sed vbique gentium, totoq; orbe Romano fuit legibus eius emendatum. eodem quoque tempore, nimirùm debellato Licinio, cùm per turbulentissima tempora perditissimorum principum, cognouisset parentum reuerentiam adeò apud filios euanuisse, vt essent qui parricidales manus inferre non timerent, ad Verinum Africæ Vicarium, ita rescripsit: Si quis in parentes, aut filij aut omninò affectionis eius, quæ nuncupatione parricidij continetur, fata properauerit, siue clàm, siue palàm, id fuerit enisus; neque gladio, neque ignibus, neque vlla alia solenni pœna subiugetur, sed insutus culeo, & inter eius ferales angustias comprehensus, serpentum contubernijs misceatur; & vt regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel amnem proijciatur, vt omni elementorum vsu viuus carere incipiat, vt ei cælum superstiti, terra mortuo auferatur. hæc pius princeps. qui adeò seuerè pro parentibus in impios filios animaduertit, ita pietatem Christianam in pessimi parentis filium Licinianum, Licinij filium declarauit, cum eundem iam Cæsarem declaratum, post patris obitum, eodem dignitatis loco retinuit, & Consulatu suo quinto, collegam adsciuit. Constantinus dum parentum incolumitati, filiorumq; dignitati, legibus factoq; omninò apud principes raro consulit, vitijsq; extirpandis intendit. Deus cuius honori inter homines augendo princeps totus erat addictus, omni ferè Regni cura postposita, ipsum Regnum ferocissimarum gentium victorijs adauget. Sozomenus enim lib. 1. c. 8. Imperator, inquit, post bellum cum Licinio gestum, tam secundo fortunæ statu in prælijs contra alienas efferasq; gentes faciendis vsus est, vt tum Sauromatas, tum

Gothos

Gothos subiugaret. & ad extremum quod aliquod beneficij eis afferre videretur, fœdera cum illis percussit. ista quidē gens tunc temporis trans Istrum fluuium habitauit, quæ cum esset tum propter multitudinem, tum propter corporum magnitudinem bellicosissima, & in re militari assiduè exercitata, alios quidem barbaros deuicit, Romanos autem solos habuit, qui ipsam bello æquarent, strenuèq; resisterent. dicitur præterea Constantino in hoc bello vel maximè per signa ac somnia declaratum, quàm sedulò Deus sua prouidentia ipsi prospexisset. quare cum omnibus bellis suo tempore gestis, victoriam esset consequutus, velut gratiam Christo redditurus, veram religionem summo studio excolere, subiectosq; ad eam solam sanctè obseruandam, & salutarem ducendam, hortari cœpit. hæc ille. at quæ signa intellexerit Sozomenus, non multum disquirendum existimo, cum triumphatricis illa Crucis iam agnouerimus, quotiescunque grauius bellum, excidio clarioris alicuius Regis illi fuerit peragendum. ita ad Rhenum primò illi Crucem apparuisse, antequàm Herculium insidiantem extingueret, mox ad Tyberim Maxentium, tum ad Byzantium Licinium, & iam quarto ad Danubiū Rausimodum debellaturo. & licet de ijs apparitionibus authores expresè locuti non sint, attamen in Oratione habita de Constantini laudibus constanter affirmatur, diuinas illi visiones non semel, sed sæpe numero illuxisse. hoc bellum Zosimus paulò ante gestum fuisse, cum nempè adhuc Liciniana prælia flagrarent, describit, Sozomeno tamen, vt antiquiori, in hoc postponendus. post eundem nihilominùs audiendus. eius verba sunt. Cum autem Constantinus audisset ad Mœotidem paludem habitantes Sauromatas, Istro nauigijs traiecto, ditionem suam aggredi, copias in eos duxit. item barbari cum Rausimodo Rege obuiam ei profecti, primùm oppidum quoddam tentabant, satis magno præsidio munitum: cuius ea pars muri quæ à terra surgebat, in altū erat opere lapideo facta, pars superior ligneo. quamobrē arbitrati Sauromatæ facillimè se potituros oppido, si quicquid esset in muro ligneum exussissent, ignem admouebant: &

con-

consistentes in muro telis petebant. sed cùm murorum propugnatores telis ac lapidibus ex loco superiore deiectis, barbaros interficerent, iamq; Constantinus aduenisset, in barbaros impetu facto, & de loco superiore multos occidit, plures viuos cæpit, reliquis fuga sibi consulentibus. Rausimodus maiori parte copiarum amissa, naues ingressus Istrum traiecit. cum haberet in animo ditionem Romanam populari. quod vbi Constantinus comperisset, & ipse traiecto Istro insequitur, ac fuga quendam ad collem syluis densis delatos adoritur, & multos interficit. quorum in numero Rausimodus erat. multisq; viuis captis, residuā multitudinem quæ manus porrigebat, in fidem recepit, eoq; pacto magna cum multitudine captiuorum in prætorium reuersus est. hactenus Zosimus. vt si Reges a Constantino hactenus debellatos & extinctos recensere velimus eos octo numero, Gaisum & Ascaricum Francos, Herculium, & Maxentium eius filium, Licinium, cum Valente primo, postea Martiniano ab eodem Cesaribus contra ipsum Constantinum creatos, & iam Rausimodū Sarmatam, inueniemus. quale felicitatis decus nulli post homines natos contigisse certum est prophetico illo oraculo in Principe pio comprobato; Et Tyranni ridiculi eius. quibus expugnatis, impietati hæreticæ ab Ario Alexandrino excitatæ, impiger athleta Christi exterminandæ sumpto animo, scriptis non Cathecumeno principe, sed veterano Ecclesiæ doctore plane dignis teste Epiphanio, necnon Baronio, qui ea suis intexuit annalibus, in Arium inuectus est. quo tempore tumultuantibus Germanis Crispo filio cum exercitu in illos immisso, ipse in Galliam contra Francos properabat. vbi re bene gesta, paulò post Crispum filiū ex Germania redeuntem excepit. ibiq; quinquennalia Crispi & Constantini Cæsarum celebrauit: quintodecimo nempè Regni anno; vt habet Nazarius cum ait. Quintumdecimum annum maximus Princeps salutaris imperij degit. sed auguramur iam vicennalia, & venturi fidem superiorum felicitate sentimus. quinquennalia beatissimorum Cæsarum occupatos in gaudijs habent. hæc ille. qui de Crispi victoria dum meminit: Declarant,

rant, inquit, ecce rationem cupiditatemq; votorum facta Crispi, Cæsarum maximi, in quo velox virtus ætatis mora non retardata, pueriles annos glorijs triumphalibus occupauit. cuius ita iam vberes scatent laudes, vt plenæ possent videri, nisi cæpisse & patrem cogitaremus. qui quidem nunc nobilissimus Cæsar, venerandi patris, fratrum, suorumq; omnium fruitur aspectu; seq; fruendum omnibus præbet. cruda adhuc hieme inter gelu intractabile, immensum spatio, niuibus infestum, incredibili celeritate confecit. vt intelligamus alacritatibus nihil asperum, qui ipsam quam à suis petebat, tam laboriosam instituerit voluntatem. quæ tuum Constantine maxime mite pectus inundauit gratulatio, cui tanto interuallo videre filium licuit, & videre victorem? narrauit vtique exhausta bella, & hoc ad suam gratiam, non ad sui ostentationem. qualis excipiendo hoste, quàm resistenti vehemens, quàm facilis supplicanti audiuit frater intentus, & puerilem animum spes læta, & blanda gaudia titillarunt. quumque miraretur fratrem, etiam sibi fauit, quòd ex annis eius, quam proximus tantæ gloriæ esset agnouit. nunc te Constantine maxime omnes rogamus quum præsentem laudaueris, quum iam reipublicæ flagitanti, quum Gallis desiderantibus reddes, iterum atque iterum moneas reuertentem; (neque enim persuaderi facilè potest) & si quando armis vestris contusa barbaria aliquid tamen mouerit, sit ille animo, sit consilio tui similis; temperet modò dextræ, manui parcat, & sit aliquid quæsumus in quo te iterum velit imitari. hæc Nazarius. quo anno refert Baronius plurimas leges Constantini pietate conditas, præsertim ad fauorem eorum, qui cælibatum legibus Augusti pridem damnatum, profiterentur. pœnas item debitoribus irrogari solitas aboleuit. admodumq; seuerè in raptores virginum ac viduarum rescripsit. sequenti anno è Gallia rediens in Italiam, non minus Romani orbis incolis religionem dierum hebdomadæ, quàm militibus precandi modum præscripsit. Diem, inquit Eusebius, Dominicum supplicationibus habilem, ac præcipuè aptum designauit. erant æditui regiæ Diaconi Deo sacri, dignitate probitateq; benè

cognita.

cognita. satellitium nisi fide atque beneuolentia distinctum, Imperatore morum magistro addiscebat, eundemq; ipsum diem nihilo seciùs obseruabat, excolebat, & amicissima Regi vota nuncupabat. solicitabat eò cunctos homo diuinus, ac si nouisset id humanum genus æqui obseruantissimum reddere. propterea dies altissimo cognomines imperio Populi Romani vacare iussit, & sabbata similiter agere; commemorationis vti puto illorum gratia quæ Deum fecisse illa die referunt. insequentem verò salutarem luci, soliq; dedicatam, honore quoque præcipuo militibus esse voluit. indulsitq; fidelibus, vt diuinam rem nullo obsistente facerent. si qui nondum initiati erant, illi dominicam diem, in suburbio regione lustrata ex altera lege recolebant, allataq; domo preces vno omnes ore, tessera data fundebant. nam neque hastis vti, neque graui armatura, neque verò suo robore ad confidentiam, Deum se nosse boni datorem, atque victoriæ, cui supplicare sublatis in ætherem manibus, obtutuq; mentis altius eiaculato par sit. illum custodem, illum seruatorem, illum auxiliatorem implorare. Legionibus insuper auctor eiusdem rationis, assueuerat isti latinæ orationi: Vnum te Deum esse nouimus, vnum te Regem intelligimus, appellamus adiutorem, nobis abs te victoria cecidit, ex te aduersarium fundimus, innotuisti nobis cum præteritæ beneficentiæ gratia, tum futuræ liberalitatis expectatione. en supplices adsumus, atque Regem nostrum Constantinum vt diutissimè valentem, victoremq; protegas, obsecramus. ita Eusebius. at insequenti anno effusissimam suæ pietatis munificentiam declarauit cum eiusmodi legem Romæ, subleuandis pauperibus fame pereuntibus edidit. Prouinciales egestate victus, atque alimoniæ inopia laborantes liberos suos vendere, & oppignerare cognouimus. quisquis igitur huiusmodi reperiretur, qui nulla rei familiaris substantia fultus est, quique liberos suos ægrè ac difficilè sustentet, per fiscum nostrum, antequàm calamitati fiat obnoxius adiuuetur, ita vt Proconsules, Præsidesq; & Rationales per vniuersam Africam habeant potestatem, & vniuersis quos aduerterint in egestate miserabili constitutos,

ſtitutos,ſtipem neceſſariam largiantur. atque ex horreis ſubſtantiam protinus tribuant competentem. abhorret enim à noſtris moribus vt quemquam famæ confici, vel ad indignum facinus prorumpere concedamus. ita pius Imperator, quicquid impius Zoſimus vipereo oblatret ore, dum Conſtantinum adeò tenacem in tributis exigendis fingit, vt paſſim ſcribat ob ſolutionem parentes filios diſtraxiſſe, atque filias proſtituiſſe.

Continuata hactenùs inoffenſo pede pij Principis felicitas, infauſtæ coniugis ſuæ Fauſtæ impietatis filiæ ſcelere immani, vndeuigeſimo Regni anno, ingenti Auguſtalis familiæ probro, detrimentoq; tum Romani, tum Chriſtiani orbis, turbatur. vt nihil inconſtãtius felicitate qualiſcumque humana patiatur conditio. præterquàm quòd æternus rerum conditor ita plerunque cum ſibi charioribus agere conſueuit, vt in ijs præſertim quibus ſuorũ corda diſtrahi magis animaduerterit, amariori ſapore iniecto, totos ad ſeſe conuertat. ſic Abrahami patris delicias vnicam ſobolem abſinthio aliquando conſperſit. ſic Abſalonis morte Dauidem concuſſit, ſic Sigiſmundum Burgundiorum Regem, ipſiſſimum Conſtantini exemplar exercuit. ſic pium Principem noſtrum, ad ſacro ſancti lauacri fontem attractum omninò nouum regenerauit, ac ſuum effecit. turbatur, inquam, Conſtantini felicitas Criſpo Cæſare præſtantiſſimo adoleſcente, & Chriſtiano vt multi volunt, indigna morte ſublato, tum etiam Licinio Liciniano, mox ipſa Fauſta cum plurimis alijs interfectis; magno ſcriptorum ſilentio, eorumq; paucorum, qui hæc attigerunt, admodum diuerſo teſtimonio. Fauſtæ fortaſſe filiorum, qui Conſtantino ſucceſſerunt potentia deterriti. hoc enim pluribus magnis viris contigit infortunij; vt plura & veriora de illis ſciri non potuerint, eorum potentia à quibus oppreſſi fuere. ne tamen pius princeps impietatis deliquio poſſet aliquandò apud poſteritatem obſcurari, quod Iulianus olim Imperator Conſtantino infenſiſſimus, vt pio impius tentauit offundere, Deo, qui veritas ipſa eſt, ſui Principis cauſam agente; Arthemius, Auguſtalis Ægypti Præfectus ſuperiùs laudatus Cõſtantino Criſpoq; chariſſimus

cum

cum Christianitatis reus, coràm eodem Iuliano, Constantini gloriæ insultante sisteretur, ita rem totam aperuit, vt sine magni viri & Christi martyris iniuria, reliquis quibuscūq; aures adhibere non liceat: Ille, inquit, Constantinus videlicet, vxorem Faustam iustè admodum interfecit, vt quæ priscam Phędram esset imitata, eiusq; filium Crispum calumniata, quòd eius amore captus esset, & vim ei conatus esset afferre. sicut etiam illa Hyppolitum Thesei filium. atque primùm quidem, qui sic in matrem insanierat, vt volebant eius verba, ille cum esset maritus puniuit. postea autem cum sciuisset esse mentitam, ipsam quoque occidit. in eam ferens sententiam omnium iustissimā: ita candidatus martyrio Arthemius, Constantini rerum optimè gnarus. accedit tanti viri testimonio Diui quoque Hieronymi authoritas, dum inter scriptores Ecclesiasticos Lactantium Crispi magistrum describit. ex inferioris verò æui scriptoribus, Zonaras, Suidas, & recentiores omnes. quidquid ex antiquis idem quoque Zosimus dum Constantinum onerat calumnijs, eandem mortis Crispi causam assignat. Nam Crispum, inquit, filium Cæsaris, vt ante dictum, est ornatum titulo, quòd in suspicionem venisset, quasi cum Fausta nouerca consuesceret, nulla ratione iuris naturalis habita sustulit. hæc ille. qui etiam in solatium matris Helenæ, mortem nepotis deflentem inconsolabiliter, Faustam à Constantino intrà balneum inclusam tradit extinctam. sunt qui præter calumniam Faustæ attestatam, aliam quoque ab eadem infausta nouerca contrà priuignum, & Licinianum Cæsares additam volunt, affectati nimirum crimen imperij marito instillasse. vt ijs sublatis quos rebus gestis iam claros, filiorum splendori obfuturos certò sibi persuasum habebat, filijs suis gradum liberum ad imperium sterneret. quod ex Eutropij historia libro 20. licet colligere, qui scribit, eodem tempore innumeros quoque amicos à Constantino interfectos. hos enim haud aliam ob causam, quàm quod participes consiliorum amborum Cæsarum delatos à Fausta, verosimile est fuisse sublatos. cum nulla penitùs alia tot illustrium virorum morte affectorum causa perhibeatur. nisi ali-

quam

quam eorum partem perfidiæ Fauſtæ conſcios, & ſceleris comminiſtros extitiſſe credamus. occaſione tantæ rei pluribus grauiſſimisq; authoribus oſtendit Baronius, Conſtantinum atrocitate agnita, cum de expianda culpa cogitaret, & cum eodem tempore lepræ morbo laboraret, variaq; medicamenta conquireret anxius, in ſomnis per ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum fuiſſe admonitum, vt euocato Syluestro Romano Pontifice, qui in latebris deliteſcebat montis Soractis; ex ea forte cauſa, quod cum Criſpo tanquam Chriſtiano addictus haberetur, Conſtantinum in eius amicos ſæuientem, pertimeſcebat; illo magiſtro in diluendę culpæ enormitate vteretur. euocatus Syluester cum ſalutaris lauacri medicinam Principi propoſuiſſet, aſſentiente illo, & depoſcente ex ritu Chriſtianæ religionis per baptiſmum ablui & expiari patratis facinoribus; iubet Sylueſter ex more ſeptem ſaltem diebus, depoſita Regia corona ſolitarium pœnitentiæ ſtudere. eiuſmodiq; officijs religionis præuijs ad pleniſſimam illam per baptiſmum faciendam purificationem paratum ſe reddere. paruit Imperator, acturusq; priuatè pœnitentiam, coronam depoſuit, atque ſimul ſplendidam veſtem imperatoriam. ſabbato autem adueniẽte, & fonte ex more precibus benedicto, in eumq; Conſtantino ſimul ingreſſo, & baptizato, affulſiſſe cælitùs diuinũ ſplendorem, ſcribit. Imperatoremq; Chriſtianum redditum vidiſſe eo fulgore Chriſtum ſibi manum porrigentem, quo tempore lepra quoque mundatum fuiſſe affirmat. illis porrò ſeptem diebus, quibus ex Chriſtiano præſcripto Imperator baptizatus in albis fuit, prima quidẽ die, lege lata edixit: Chriſtum eſſe Deum, Dominumq; verum, qui ſe mundaſſet à lepra, & hunc ab omni orbe Romano coli debere. ſecunda verò pœnas decreuit aduerſus omnes, qui in Chriſtum blaſphemias inferrent, vel eum deriderent. addidit tertia die pœnam in eos, qui cuipiam Chriſtianorum contumeliã irrogaſſent. quarta verò Imperatorijs priuilegijs Romanam Eccleſiam voluit illuſtrare. quinta immunitatem conceſſit Eccleſijs, vt ad eas confugientes ſecuri in omnibus eſſent. ſexta & ſeptima decreuit, ne abſque licentia Romani Pon-

tificis

Sanctus Thomas de Regimine Principum lib. 3. cap. 16. et in Summa Tertia Parte quæst. 69. art. 8. arg. 4. fol. mihi 520. ubi Suarez omninò uidendus contra Cajetanum fol. 337. et 338. tom. 3.



tificis alicubi construerentur Ecclesiæ, & ijs decimæ soluerentur. octauo die processit, albis depositis totus mundus & saluus: & veniens ad locum, in quo reliquiæ beati Petri Apostoli tumulatæ erant, qui à Christianis, Confessio B. Petri, dicebatur, ablato diademate capitis, exuens se chlamide, & accipiens bidentem, terram primus aperuit, ad fundamenta Basilicæ construenda. dehinc ob numerum duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terra plenos, suppositis humeris baiulans, asportauit: & ita gaudens & exultans in curru suo, cum Episcopo sedens ad Palatium rediit. in quo pariter Basilicam Saluatoris nomine construxit; quæ & Constantiniana fuit appellata: propè quam, eo nimirùm loco, quo à Syluestro Pontifice fuerat baptizatus, Ioanni Baptistæ extruxit Ecclesiã: via item Ostiensi, Paulo Apostolo, Laurentio martyri, in agro Verano, Triumphali Cruci, in Sessoriano, amplissimas struxit Ecclesias, præter multas alias non solùm Romæ, sed in præcipuis Italiæ, Europæ, ac totius orbis Romani Vrbibus, locisq; nobilioribus, ædificatas; quas omnes amplissimis muneribus, prædijsq; dotauit. Vrbem quoque Romam cum nobilissima Italiæ portione Romano Pontifici, perpetuæ Sedis loco donauit. & licet temerè aliquis & pridèm, & æuo nostro, hanc donationem vocauerit in dubium, præter antiquorum in hanc rem memorias, vnicuiquè satis esse deberet, Constantinum ab eo tempore, quo post baptismum pedem Vrbe extulit, nunquam amplius Romanum repetijsse palatium: quod ab omnibus eius successoribus ita religiosè scimus obseruatum, vt neque ij etiam, qui occidentali præfuere imperio, dum Collegæ res orientales administrarent, vt Constantinus iunior, Constans, Valentinianus senior, Gratianus, Valentinianusq; eius filij, Honorius, & tertius Valentinianus. licet alijs de causis aliquis eorum Vrbem inuiserit; non tamen in ea sedem fixerit: sed ne ipsi quoque, Gothici Reges ipsius Vrbis inuasores: nec demùm post Italiam Gothico regno subtractã, per Iustiniani Duces, vllus eorũ qui Exarchi nomine imperatorias vices in Italia gessere. nec obstat, quod post Cõstantinũ, Pretores Vrbi ab Imperatoribus destinati Romę sedisse

Donatio Cittur. Romę ... fuit Vera, et Valida. Can. Constantinus 13 et 14. Distinct. 96. Can. Fundam. 17. de Elect. et Elect. potestate in Sexto. Clementina Unica de iure iurando. Extrauaganti Unam Sanctã. cap. 1. de Maioritate, et Obedientia. Barbosa in Collectaneis ... in Jus Canonicum tom. 5. ind. c. Constantinus distinct. 96. à fol. 184. ... tom. 6. fol. 310. et de Officio, et Potestate Episcopi tom. 1. part. 1. cap. 2. n. 69. ... à fol. 130. Baronius Annalium ... tom. 3. anno 324. fol. 263. n. 117 ... et tom. 10. fol. 764. Bursatus lib. 1. consil. 124. totum à fol. 353.

Donatio Constantini S.to Syluestro Papæ fuit uera, et ualida, et dicentes, uel scribentes contrarium sūt suspecti de hæresi, et ad minus tāquā temerarij sunt denunciandi Sancto Officio, et à D̄nis Inquisitoribus puniendi. Pater D. Antoninus Diana Resolut. moralium



sedisse noscantur, & Bonifacius Romanus Pontifex templum Pantheon Phocæ Imperatoris assensu, Christiano cultui dedicasse legatur. nam quoad Prætores, facilè ipsis Pontificibus Romanis exposcentibus; dum adhuc Senatus Populusque Romanus magna ex parte gentiliciæ superstitioni teneretur addictus, & proinde per Pontifices in officio contineri non posset, sicuti per armatos Imperatoris ministros, hoc potuit contigisse: qui gentiles quantum auderent in Vrbe, vel ex vnius Symmachi petulantia, sub Gratiano & Theodosio, facilè est cognoscere; quorum vis nec nisi capta à Gothis vrbe potuit eneruari. hoc autem fuisse in causa, colligitur ex eo, quòd post Vrbē captam nullū sub Gothicis Regibus, sub Imperatoribus orientalibus, aliquos Prætores in Vrbe fuisse, pontificibus expetentibus, tradat antiquitas: quoad templū Pantheon, præterquam quod exemplū hoc habeatur singulare, & fortasse metu pessimi omniū Christianorū Imperatorum ad illa vsq; tempora hoc potuit contigisse; cum Idolorū fana fuissent omnia iussu Cōstātini occlusa, vt ex antiquis, ipsoq; Diuo cōstat pluribus locis Hieronymo, ijsq; ita occlusis cū Vrbē Romani Pontifices accepissent, pro innata modestia saltē, æquum sortè cēsuere, Pantheon nisi consulto Imperatore reserare. secus enim innumera alia templa, & Romani Pontifices in Vrbe, & alij extra Vrbem, sine vllo scitu, nedum consulto principum, ad veri Dei cultum transtulere, vt scimus: sed ad propositum redeundo: pius princeps cum Senatum Romanum ad pietatem amplectendam, priuatim ac publicè sæpius adhortatus fuisset, & vel parum, vel nihil se cum illo proficere vidisset, de Vrbe noua Idololatriæ experte construenda cæpit consilium. Roma itaque excedens, post plura mutata loca, diuino monitu, vt cum Sozomeno plures alij testantur; Byzantium nobilem Thraciæ Vrbem, quæ maris angustissimi interuallo Asia diuitur ab Europa, dilatare; amplissimisq; mœnibus cingere cæpit. quam breui nobilissimis ædificijs, magnoq; Ciuium incolatu adauxit. At cum maiori desiderio Ecclesiasticæ pacis stabiliendæ, perpetuæq; libertatis & maiestatis eius asserendæ, teneretur, sequenti anno, vi-

Primæ editionis Parte octaua tract. 6. resolut. 136. à fol. 291. quam Resolut. de uerbo ad uerbū transcripsit P. D. Carolus Morales in lius Diana Dogmatico trac. 13. resolut. 5. à fol. 320. De Donatione Pipini Romanis Pontificibus. Bellarminus in Controuersijs Fidei tom. 1. libro 3. cap. 3. lit. D. fol. mihi 352. et lib. 5. cap. 9. lit. C. D. E. f. 445. u etiam Caroli Magni fol. De Leone in infacto Thesauro For. Ecl. Par. 1. c. 12. f. 144.

De Confirmatione supradictarum Donationum Carolus Sigonius agit facta per Imper. Ludouic. in tract. de Regno Italiæ lib. 4. fol. 106. et 107. de qua in Can. Ego Ludouicus. Distinct. 63. Castaldus de Imperatore quæst. 51. à f. 84.



De Ratificatione supradictæ Donationis facta per Electores Principes Imperij. De Leone in Praxi Archiepiscopali siue Thesauro Fori Ecclesiastici Par. 1. cap. 12. fol. 144. cū seqq. et cap. 8. nu. 19. cum seqq. f. 9. de Donat. Confirm. et Cap. Bulengerus de Romano Imper. lib. 1. cap. 4. f. 45. In Chronicon Monasterij Cassinensis lib. 1. cap. 12. f. 113. et cap. 19. fol. 125.

geſimo ſui imperij, & quinto ſupra vigeſimum, quarti Chriſtiani ſæculi, Nicænum nobiliſſimum conuocauit Concilium: ex Sacerdotum ſententia, vt inquit Ruffinus. hoc eſt Sylueſtri Romani Pontificis, aliorumq; Epiſcoporum, qui Eccleſiam ab Arianis, alijsq; impijs hæreticis exagitatã, erroribus purgandam, integritatiq; ſuæ reſtituendam, cenſebant. igitur, vt inquit Euſebius, Vrbs iſti Concilio deſignata non incongruè Bythinorum gentis vna, de nomine victoriæ Nicæa appellata. quo igitur loci primum conuolarat mandatũ, omnes vt à carceribus alacres accelerare curſum. nam trahebat ſiue boni ſpes, ſiue communio pacis, & rei nouæ illius domini vultus. vbi conuentum eſt, illicò diuinum opus aſpici; ſi quidem non ſolùm animis aut etiam locis & regionibus abiuncti, quantũ populi remoti inter ſe diſtant illuc coiuere. hic vna ciuitas quaſi corona immenſa ſacerdotum variè conſerta floribus habebatur. ergo tota Europa, Libes, & Aſia, quibus Eccleſijs refertæ erant earum in vnum locũ viri primarij, hoc eſt ipſæ miniſterij Dei primitiæ venerant. tum ædicula precaria quodam veluti numine capacior admittere, & Syros, & Cylices, & Phænices, & Arabes, & Palæſtinos, Ægyptios inſuper & Thebanos, & Afros, & à fluminum diuortijs interiecta patria profectos. Perſa aderat Epiſcopus, & Schytachoreæ non deerat; electos emiſere Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Phrygia, Pontus & Aſia. verùm iſthuc etiam venere obuiam Thraces, Achęi, Macedones Epirotæ, atque multò ijs remotius, Spano ille percelebris, vnus erat iſto loco confeſſor. attamen ſenio impeditus Epiſcopus imperatoriæ ciuitatis, adeſſe non potuit, ſed illius ordinem presbyteri ſuppleuere. hæc ille. qui pergit multis cõſeſſum illum patrum explicare, cuius initium, & ingreſſum Conſtantini ad patres ita deſcribit: Cum dies affuit ad Concilium præſcripta, in qua reſcindenda erat opinionum ambiguitas, in ædem Palatij medioximam, cum magnitudine, tum poſitione ſubſelliorum, ad vtrumque latus, atque ordine multiplici ornatiorem, aduocati conuenerant, ac ſuo quiſque loco conſederant. poſtquàm aptè ſeſſum eſt, taciti omnes ingreſſum Regium expectare, operirique

que. venit intro primum vnus atque alter ex Regijs, tum deinde alius. etiam præsere nonnulli, non armati vel hastati; sed amici præcipui, & fidelissimi Imperatoris. dato subinde signo, assurgentibus vniuersis, vt aliquis à Deo nuncius ibat, meditullio spatij, fulgore muricis ardentissimoq; lumine collucens; auro prætereà gemmisq; prælucidis illustris, vt è corporis ornatu; sed animam religio & Dei timor exornabat, vt ex oculis tellure commoratis, rubore in vultu, & ipso ingressu, vnusquisque poterat æstimare. idem species ac cum nemine conferenda proceritas, astantium dumtaxat, idem pulchritudo oris, idem membrorum decor, idem robur inexpugnabile prædicabat, quæ cum morum modestia & facilitate coniuncta, nobilius ingeniũ quàm dici possit, afferebant. vt verò constitit ad initium primi ordinis, sella quadam ex auro modica parata, non prius in ea sedit quàm annuissent Episcopi. ita ille. qui mox orationem latinè habitam ad patres à Constantino, recitat. sed quantum Christi sacerdotibus imperator in illo sacro conuentu deferret, operæ pretium est audire Sozomenum libri primi c. 16. Multi, ait, ex Sacerdotum numero, qui vt euenire solet, tanquàm ad causas suas, ac priuatas disceptandas, in vnum conuenerant, tempus oportunum sibi oblatum putarunt, ad res eas corrigendas, quæ ipsorum animos offendissent. itaq; singuli libellum de criminibus quæ alijs obijcerent, Imperatori offerre, & peccata inter se admissa, iam antè, exponere cæperunt. cum autem illud in dies ferè singulos accideret, dat mandatum Imperator, vt singuli crimina quæ alijs obijcere statuerant, ad certum diem proponerent. vbi dictus dies venit, Imperator oblatis sibi libellis acceptis: Istæ, inquit, criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent diem videlicet magni iudicij, iudicem autem qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus; mihi verò non est fas, cũ homo sim, eiusmodi causarum cognitionem arrogare. præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, sacerdotes sint: nam non deberent se tales præbere, vt ab altero iudicentur. age igitur deletis criminibus, exemplum diuinæ clementiæ in danda mutuò venia

 imitari,

imitari, iungamus amicitiæ fœdera, & fidei negotia quæ vos in hunc locum conuenire compulerunt, seriò pertractemus. hac habita oratione Imperator, iubet criminationes illatas, nullius momenti esse, tum libellos comburi. hæc ille. Ruffinus lib. 1. cap. 2. ita scribit Imperatorem loquutum, ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. vos autem nobis à Deo dati estis Dij: & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem deos discernit. hæc ille. addit Theodoretus Constantinum iureiurando adiecto dixisse; se ne verbum quidem inscriptum perlegisse; nam Sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediantur. quin etiam eum quoque adiecisse: si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum, suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus, eos qui idipsum cernerent vlla ex parte læderet. hæc Theodoretus cum Ruffino, & Sozomeno, adeò diuersa ab ijs Principibus, qui nisi in Christos Domini insolescant, principis officium se minimè adimplere sibi persuadent. dumq; se oues suis pastoribus præesse contendunt, rari admodum Constantinianæ pietatis metam attingunt; plures cum Hieroboamo Rege dexteram in sacerdotem protensam aruisse admirantur. idem Theodoretus describens pietatem Constantini ergà eos Episcopos, qui aliquo membro pro confessione Christi nominis essent mutilati; Cum videret, inquit, dextros oculos quibusdam effossos, intellexissetq;, quòd constantia pro pietate eam cladem illis attulisset, labra vulneribus admouit, pro certo persuasus, se benedictionem inde hausturum esse. ita Theodoretus. quamdiù porrò Patres Nicææ Synodum celebrātes substitere, eos omnes Imperator mensæ suæ adhibuit. ita Eusebius: Episcopis Imperator

perator ipse conuiuator & compotor; ac si per eos dignum Deo sacrificium persolueret: Episcopus aberat à conuiuio Regis nemo. cuius illud explicari satis nulla oratione potest: armatorum corona ense nudo in vestibulo Regiæ stationem habebat; inter quos ingredi securè domum vsque interiorem poterant. ibi discumbere; nonnulli quidam se ad quietem componere; profectò Basilicæ Christi species aliqua, atque somnium, quod plurimùm à re abesset, apparebat. ac postquàm in conuiuio cuncta magnificè, omnes amplexatus Imperator, ad priorem magnificentiam hoc adiunxit, vt ordine suo quemque munere donaret hospitali; qui non aderant, huius Senatus vt meminisse possent, effecit epistola; hæc Eusebius, qui epistolam statim subijcit. nos vt longiorem omittimus. Theodoretus similia Eusebio commemorans: Conuiuio, inquit, peracto, alia dona rursus illis distribuit. quin etiam litteras ad prouinciarum Præfectos dedit, mandauitq; vt certus frumenti numerus, viduis, & ijs, quæ perpetuam seruant virginitatem, quin etiam illis, qui diuinis mysterijs obeũdis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus, quotannis suppeditaretur; eumq; non tàm egentium necessitate, quàm suæ ipsius munificentia mensus est. hactenùs ille. antequàm tamen Concilium solueretur Constantinus preclaram illum ad Sacrum cętum orationem habuit; quam Eusebius vitæ eius assuit, satis prolixam; & in qua Imperator præter admirandam eius pietatem, incredibilem antiquitatis eruditionem demonstrat. vt iure merito eum idcircò Bellarminus inter Ecclesiæ scriptores recenseat. diuersa hæc fuit oratio, ab illa quam initio Synodi hortatoriam diximus habuisse ad Episcopos. Soluto itaq; conuentu trecentorum decem octo patrum Nicææ habito. Constantinus multas leges eodem anno dignas Christiano principe tulit. ex quibus quam aduersus magistratus edidit, referre expedit: Si quis cuiuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque Iudicum, Comitum, amicorum vel palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quòd non integrè atque iustè gessisse videatur, intrepidus & securus accedat, & interpellet me.

ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam. & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo. dicat ſecurus, & benè ſibi conſcius, dicat: ſi probauerit, vt dixi, ipſe me vindicabo de eo, qui me vſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. illum autem qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus, & rebus augebo: itá mihi ſumma diuinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, vt cupio, feliciſſima efflorente Republica. hæc ibi. ita pius princeps bono populorum intentus, vitijsq; perpetuò infeſtus edicebat; vt habeant vnde erubeſcant ij principes, qui magiſtratibus, & miniſtris à ſe præpoſitis tantùm deferunt, vt extremo populorum damno, ne verbum de ipſorum mala adminiſtratione patianrur audire. dumq; ipſi alioqui optimi principes, malos ita ferunt miniſtros, peſſimi nomen ad poſteros tranſmittũt. Gladiatoria prætereà ſpectula excidio humani generis exerceri apud Romanos ſolita, interdixit. Crucis ſupplicium, vt ait Sozomenus, à Romanis olim decretum maleficis, lege ſuſtulit. verùm pij Regis ſolicitudinem ergà bonum publicum, quàm ratam, gratamq; Rex Regum Deus haberet, conſtat ex eo, quod ex omnibus nationibus legationes ad Conſtantinum cum donis affluerent. ipſeq; Rex Perſarum, Romani Imperij hoſtis & contemptor, muneribus tranſmiſſis, amicitiam eius expeteret. de quibus Euſebius. Ego, inquit, profectò cum adirem aliquando Imperatorem, incidi fortè fortuna limen ingreſſurus in ordinem barbarorum aſtantium, vultu honeſto, proceritateq; ſpecioſa; quorundam varius erat habitus, horum in perſona decorum aliquid, in coma barbaq; non paruum diſcrimen inerat; oculi torui & minaces, ſed admiranda tamen præcipuè corporum id ætatis immenſitas. aliorum in aſpectu rubor, aliorum niue candidior, & aliorum modicus. Etenim Blemiæ, Indi bipartito poſiti, Æthyopes, hominum denique vltimi, theatro minimè defuere, qui ſuo quiſque loco, hercle tanquam in tabula Regi munus afferebant, ex facultate gentis: illi coronas aureas, hi Diademata vniuerſa de gemmis, alij xantocomas & veſtes varij textus, equos, haſtasq; nonnulli non abſque ſagittis, & arcubus. in quibus

bus illi ſocietatem & operam Imperatori non inuito deſpondebant. ille verò cum ijs ita ſua compenſabat, vt qui viciſsim reciperent, omnes eſſent horæ momento ditiſſimi. nobiliores honore aliquo imperij demerebatur; inde patrij ſoli quidem obliuiſci penitùs, eiuſmodi votiuas habere ſedes, has ex animo complecti. enimuerò familiaritatis iſtius Rex Perſarum cupientior, amicitiæ notam, munera cum legatione dimiſit. verùm audita fæcũditate Perſicæ regionis, ibi videlicet innumerabiles in Chriſtiana cauſa ſtabulari, hoc internuntio lætior, vt omnium tutor vbique loci, denuò quæ prouidenda illic erant, prouidit. hæc Euſebius, addita epiſtola pro Chriſtianis ad Regem Perſarum tranſmiſſa. Tranquillato vbique terrarum orbe, negotijsq; religionis compoſitis, ſacris Paleſtinæ locis, quibus ſalutis noſtræ opus præſtitit Chriſtus Dominus, innata pietate illuſtrandis, animum adiecit. in quibus quæ & qualia egerit, præſertim ad reſurrectionis Dominicæ locum, noua Hieroſolymitana Vrbe extructa, temploq; ampliſſimo Saluatori in ea dicato, præter alia inſigníoribus & ſacratioribus locis condita, ad Euſebium longa oratione omnia complectentem, lectorem pium remittimus. Hoc eodem tempore Helena Conſtantini mater, licet ſenio grauata, pietatis alis innixa, ad ſacra Paleſtinæ loca acceſſerat, quæ dum Chriſtiano affectu circumluſtrat, Crucem Dominicam, & titulum eidem à Pilato ſupraſcriptum, & clauos quibus Chriſtus Cruci fuerat affixus, pluribus miraculis interlucentibus, adinuenit. cuius inuentionis ſeriem & à ſanctis Patribus, præſertim ab Ambroſio in funere Theodoſij Principis, & ab innumeris ſcriptoribus recenſitam, ac proindè ſatis notam, omittimus. Crucis partem ab Helena ad filium tranſmiſſam, ab eodemq; Romam ad Eccleſiã honori eius, qui triumphauit in ligno, extructam tranſlatam certum eſt. Clauos quoque ad Imperatoris manus opera piæ matris deueniſſe, teſtantur omnes. quibus ipſe cum & frænum equi, & galeam, & coronam muniſſet, vnum tamen ex illis in Hadriaticum mare tempeſtatibus ſedandis fuiſſe proiectum Gregorius Turonenſis ita affirmat: Eo tempore Hadriaticum mare magnis

fluctibus

fluctibus mouebatur, in quo cum frequentia erant naufragia, & demersio hominum, vt vorago nauigantium diceretur, tunc prouida Regina condolens excidio miserorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere: quo facto reddidit mare quietum, tranquillaq; deinceps nauigantibus flabra præstantur, vnde vsque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, ieiunijs, orationibus, & psalterio vacant. hactenùs Gregorius. porrò pia Augusta sacra illa loca plurimis Ecclesijs exædificatis, illustrauit, pietatisq; suæ vbique præclara reliquit vestigia. de quibus Ruffinus lib. 1. c. 8. agens: Reliquit, inquit, Hierosolymis etiam indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis. Virgines quas ibi reperit, Deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famularum vterentur officijs, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet; & Regina orbis, ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputaret. hæc Ruffinus: cuius exemplum pius filius quàm egregie ergà cælibatus amatores, præsertim verò Virgines Deo dicatas, æmulatus fuerit; & eiusdem legibus, & Eusebij testimonio, pasim est videre. Sed ad Helenam reuertentes, cuius gloriæ apud Deum & homines nil maius potuit cōtingere, quàm Romano Imperio Maximum generasse Imperatorem; Christiano verò orbi, sanctissimum pietate sua regenerasse Principem, Eusebij verbis præclaræ eius vitæ curriculum concludamus. Nam cum, ait, illuc intendisset animum, religiosi pectoris vsuram vt omnium Regi penderet, atque filium tanto nomine, & liberos eius Augustos, idest, nepotes suos, precariam gratiam refundere debere cogitaret, Anus acceleratione iuuenili, abijt Orientem lustratura, populosq; inuisura, certè regia meditatione, vbi limine salutis adorato, iuxta illam vaticinationem; Congeniculabimus ad locum in quo stetere pedes eius; frugem religionis suæ posteritati reliquit. ergò ad quem salutatum iuerat, bina templa dedicauit, hoc

ad

ad natale antrum; illud ad montem ascensionis: nasci quidem subterraneo loco (Bethleem Hebręis appellatur) in rem nostram pertulit, is qui nobiscum Deus est: quamobrem suspiciendo monimento partum Deiparæ exculptum, Regina illustrauit, atque eum non ita multò post, aulæis, statuis, aurea argenteaq; suppellectile, matris incitatum animum stimulans, Imperator ipse decorauit. illa iterum viam Seruatoris in cælum, in oliuarum monte, alia machinatione sublimauit. in vertice qua montis vniuersi fastigium est, ædem sacram posuit: inibi verissima fama constat, hominum redemptorem initiauisse conuiuas suos sacris sacrationibus in specu; cui neque industria Regia defuit adornando, & venerando. duo sacraria vberiori cultu perpetuam recordationē merita, Helena Augusta in antris mysticis extruxit, intendente dexteram, atque licentiam filio Imperatore concedente; quæ argumenta religiosi animi esse possunt: ex quo fructū legit haud ita multò post vetula. scilicet illa honorum fæcunditate, vitæ curriculo vsque extremum gradum senectutis exacto, frugem cum officio, tum verbis eximiā diuini mandati efferens, ac constante corporis animæq; sensu, vacantem vitam mæstitia, exoluens, hunc exitum pietate dignissimum ad humanam illam felicitatem, in vita adiunxit Deus. Orientem enim imperatoriā celsitate licenter obibat: ad quam vrbem cumq; appulerat, infinitam pecuniā confertæ multitudini, atque singillatim adeuntibus effundebat; æquè ordini militari erogabat, ope destitutis omninò multa, hominibusq; nudissimis stipem, & ad integendum corpus abundè suppeditabat. alios ærumna accisos, à vinculis metallisq; absoluebat, augebat fortunis; alios ab exilio reuocabat. in quibus officijs excelluit, & ea tamen quæ religionis erant, minimè neglexit: itare ad Ecclesiam vidisses, ædiculas, & sacella diuite suppellectile componere, ne tenuissimorum quidem oppidorum templa omittere; venerabili & frugali tamen habitu, se cum cætu hominum sociare; quæ ad obseruationem cultumq; numinis attinerent, omnia studiosè & amaritèr exequi. cæterùm post æui longi cursum, (tenuerat annos circiter octuaginta)

ginta) ad optabilem ſortem acceršita, cum ventum ad extremam lineam eſt, vnigeno filio ſingulari orbis terræ moderatori, nepotibusq; eius liberis Auguſtis, vltimum iudicium præfiniens, ad tabulas perrexit. hiſce quicquid vſquàm poſſideret, aſſignauit atque diſpertiuit. hoc pacto in re ſua teſtata filio Imperatore præſente, qui aſtabat ipſe & manum contingebat, ita diſceſſit è vita, vt non mori illi qui rectè ſentiret, ſed ad cæleſtem vitam de terrena commigrare videretur. proindè natura ab interitu libera, atque angelica profectus ad authorem ſuum eſt animus. ipſum corpuſculum ſedulò aſſeruatum, multa manu in Vrbem allatum eſt, & ampliſſimo ſepulchro conditum. ita ille. cuius perpetuæ memoriæ pius filius ciuitatem in Bythinia præclaram Drepanum olim appellatam, Helenopolim dici voluit. mareq; proximum quod Pontus Polemoniacus dicebatur, Helenopontum denominauit. hic finis Helenæ ſanctiſſimæ Auguſtæ, cuius celebris memoria in Eccleſia Romana duodeuigeſima die Auguſti habetur. Græci anniuerſariam eius commemorationem eodem die quo & Conſtantini filij vndecimo Kal. Iunij recolunt. at quo anno obierit, nulli, quod ſciam, compertum habetur. Conſtantinus dum cum pia parente ſacris Paleſtinæ locis illuſtrandis, nullis parcit ſumptibus, Iberorum natio mari Pontico proxima, per mulierem captiuam ad Chriſti cultum perducitur. rei ſeriem Ruffinus exponit. eorum Rex Bacurius nomine, nobili legatione ad Imperatorem miſſa; Sacerdotes, inquit Ruffinus, mittere oratur Conſtantinus, qui cæptum ergà ſe Dei munus implerent. quibus ille cum omni gaudio & honore tranſmiſſis, multò ampliùs ex hoc lætatus eſt, quàm ſi incognitas Romano Imperio gentes, & regna ignota iunxiſſet. ita ille. vigeſimo quinto Imperij anno, cum Vrbem quinquennio ante cæptam ad optatum finem perduxiſſet, conuocatis plurimis Epiſcopis, illius dedicationem magna ſolennitate celebrauit. Nicephorus quippe lib. 8. c. 26. affirmat eam, incruento ſacrificio, precibus, votiſque, Dei genitrici Mariæ conſecratam. qui lib. 7. c. 49. teſtatur: Conſtantinum ſuæ ſtatuæ ſuper porphyreticam columnam collocatæ, po-

St. Helene festivitas.

ſuiſſe

fuisse in dextera manu malum aureum, cui veneranda Crux erat superposita, cum tali inscriptione: TIBI CHRISTE DEVS VERBVM. HANC COMMENDO. de sacris porrò reliquijs in basi eiusdem columnæ collocatis, hæc subdit: Quatuor autem solidis firmisq; apsidis pulchrè circumcircà basi columnæ fundata, sub ea ipsa basi duodecim cophinos, & septem sportas, necnon reliquias septem panum, quibus benedictione sanctificatis, Christus multitudinem pauit; prætereà dolabrum Noe, quo ille arcam construxit, manibus ipse suis Imperator, sigillo suo ea omnia obsignata reposuit. quæ ad nostra vsque tempora, etiamnùm Vrbi ipsi, intactus, inuiolatusq; thesaurus permanent. hactenùs Nicephorus. qui etiam lib. 8. cap. 32. describit tres Cruces æreas, & loca quibus in eadem Vrbe illas, erexit, cum peculiaribus pijsq; inscriptionibus, ad imitationem triplicis visionis illius sacratissimi signi. quarum vnam collabentem, ab Heraclio Imperatore fuisse restauratam, ad sua vsque tempora mansisse testatur. Sozomenus lib. 2. cap. 2. Hanc igitur, ait, Ciuitatem, Constantinus, suo appellatam nomine, & velut recens ad Christi honorem extructam, multis maximisq; Ecclesijs exornauit. cuius propensiori studio Deus ipse opem tulit, & visionibus quibusdam confirmauit, Ecclesias in ea vrbe ædificatas, sanctas & salutares esse; de quibus ipse pergit longius disserere: addidit pius Imperator; maiestati religioniq; vrbis, scientiarum scholas. quas S. Gregorius Nazianzenus oratione in laud. Basilij, excellentissimis ait Oratoribus, atque Philosophis fuisse refertas, in eisdemq; S. Basilium, tyrocinium exegisse tradit; vndè profectus Athenas, magistri potius quàm discipuli specimen ediderat. verùm enimuerò dum nouam Vrbem conderet, Scythas hostes expertus, per Gallicanum exercitus Ducem, illos domuit, vt suo loco acturi de Constantia Constantini filia, dicemus. at cum iterùm vigesimo octauò nempè imperij anno, Scythæ in Sarmatas insurrexissent, vt author est Diuus Hieronymus, in Chronico; Sarmatæ Constantini opem implorarunt. de qua re Eusebius hæc habet: Nam

Scythas atque Sauromatas antea seruitutis ignaros, inuitos quidem illos appulit ad iugum, Romanumq; dominum agnoscere coegit; Scythæ olim moderatores exigere tributum, atque annuum vectigal à Romanis, accessioni solebat esse barbarę genti. quæ semper odij plena ratio Imperatori videri: sed ad æquas illum victorem pensiones adigi flagitium esse posse. quapropter ope cęlesti fidentior insigne salutis admouit, ac momento eos debellauit. imperium si qui detrectarent, exercitu castigauit, reliquos facundia legationis flexit, à fero, immaniq; viuendi genere, ad vrbanam; id est, ipsa lege coercitam consuetudinem adduxit, atque Romanis inseruire tandem à Scythis est decretum. at Sauromatas ad Constantini pedes fatum aduoluit, exultantes, & audacia quadam barbara sublimes, aggressoribus Scythis, illi vocauere ad pugnam seruitia, quibus vbi primùm euenit, iisdem ancillibus in dominos inuasere, atque de laribus & domo deiecere omnes. ijs portus vnicus Constantini fides extitit. nam generis conseruandi non insuetus, hosce Romano solo accepit, idoneorum delectum, ad supplendas legiones habuit. alijs agros vt excolerent, atque necessaria ad vitam compararent, addixit. vnde benè vertisse casum opinati, Romanam libertatem, pro barbara feritate capessebant. exteræ nationes sic ad imperium adiunctæ. harum legatione Regiam frequentari, donis oppleri superbissimis. hæc Eusebius. qua occasione Cedrenus scribit Cônstantinum pontem super Istrum extruxisse, licet id ad annum vigesimumquintum imperij eius contigisse velit. præstat enim Diuum Hieronymum proximum illis temporibus audire. post tyrannorum, barbarorumq; bella, ne pax à Christiano Imperatore studijs omnibus procurata, radices altius ageret, Arianorum impietas, Nicæni Concilij authoritate damnata, Constantiniq; legibus sæpius proscripta, fuit in causa. hæc enim post mille artes, fraudes, simulatamq; pietatem, cum Athanasij Alexandrini Episcopi virtutem & pietatem nullatenùs potuisset eludere, post calumnias in eum confictas, insidiasq; structas, pluribus annis pium Imperatorem,

san-

ſanctiſſimo Epiſcopo exoſum reddere ſtuduerunt. ſed cum viderent pietatem Imperatoris erga Athanaſij integritatem ſemper eandem, poſt Concilia Tyri primò, deinde Hieroſolymis coacta, in quibus Athanaſius condemnatus eſt, Imperatore illum protegente, nihilominùs eò doloſa eorum proceſſit immanitas, vt ſubornatis aliquot Catholicis Epiſcopis, Athanaſijq; amiciſſimis, imò & eius defenſoribus, eorum teſtimonio aſſerentium Athanaſium minatum eſſe, ſe impediturum quominùs frumentum ex Alexandria Conſtantinopolim deueheretur, Imperatorem, Catholicis Epiſcopis, ore ſcriptoq; contrà Primatem ſuum adeò graue crimen credentem, in Athanaſium commouerunt. ſperantes adeò atroci crimine inuictum Catholicæ religionis athletam extinctum iri. ſed ille furori eorum minimè acquieſcens, eum in Gallias amandauit: eorum autem finem perdendi Athanaſij fuiſſe, Patres Concilij Alexandrini apud eundem Athanaſium in Apologia, de epiſtola Arianorum accuſatoria id aperiunt, cum aiunt; Tota eorum accuſatrix epiſtola, nil aliud niſi necem ſpectat; aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut ſaltem exulem facere, quod & impetrauerunt ab ipſo Cæſarum patre, qui iras ſuas, offenſasq; cum ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum expleuit. quin ipſe Athanaſius in epiſtola ad Solitarios ſcripta, ait, ſe idcircò in Gallias à Conſtantino amandatum, vt crudelitati Arianorum ſubtraheretur, ijs verbis: Siquidem pater, nempè Conſtantinus calumnia Euſebianorum Athanaſium in Gallias ad tempus amandauit, quo liber eſſet ab eorum crudelitate, qui illi per inſidias imminebant. ita ille. hoc idem Conſtantinus filius, & ſucceſſor Conſtantini, ſuis litteris poſt mortem patris ad Alexandrinos datis, proteſtatus eſt, dum ait: Ad hanc igitur eludendam, tot faucibus inhiantium Athanaſius ſubtractus, vt ſub me ageret, iuſſus eſt, atque ita in hac Vrbe, nempè Treuiri, commoratus eſt, vt omnibus rebus neceſſarijs abundaret. ita ille. Conſtantinum porrò nequaquàm Arianis, vt optabant, indulgentiorem effectum, ſed eorum petulantiæ

 contra-

contrarium; ex eodem Athanasio, ad Solitarios scribente, constat, cum ait: Sed tamen illi quidem, hoc est Constantino, non persuasum est ab Eusebianis, vt in Athanasij locum Episcopum quem ipsi postulabant submitteret, imò eos, qui id moliebantur, compressit, & eam rem ipsam conantes, grauibus minis deterruit. hæc Athanasius. qui Arianos appellat Eusebianos, cum ipsi Eusebium, specie pietatis in aula potentem, impietatis haberent patronum. Theodoretus lib. 1. cap. 33. excusat Constantinũ; quòd credens Episcopis Catholicis, Athanasium relegarit. Nam fidem adhibuit, inquit, Episcopis, qui occultare studebant veritatem, illustrem quandam vitæ speciem præseferentes, quâ Imperatorem dolo deluserunt. neque sanè eos fugit, qui sunt in sacris litteris eruditi, Dauidem prophetam deceptum fuisse, quem non Pontifex, sed verna, & verbero (Sibam dico) qui falsum crimen contrà Miphiboseth detulit ad Regem, illiusq; agrum suum ita reddidit, veteratoriè circumuenit; atque ista quidem dico; non quo prophetam insimulem, sed quo pro Imperatore respondeam, ostendamque humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam simul non solis accusatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus sit habenda fides, sed alteram aurem seruandam reo. hæc ille: at quantum pro sua singulari reuerentia ergà sacros Præsules eisdem Constantinus semper detulerit, præter tot exempla superius allata, satis clarè constat ex rescripto ad Ablauium Præfectum prætorio datum, in quo post aliqua: Sanximus namque, inquit, sicut edicti nostri forma declarat, sententias Episcoporum, quolibet genere prolatas, sine aliqua ætatis discretione, inuiolatas semper, incorruptasque seruari; scilicet, vt pro sanctis semper & venerabilibus habeatur, quicquid Episcoporum sententia fuerit terminatum. siue itaque inter minores, siue inter maiores ab Episcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum summam tenetis, & apud cæteros omnes iudices, ad exequutionem volumus peruenire. idem paulò post: Omnes itaque causæ quæ vel prætorio iure, vel ciuili

 tractan-

tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuò stabilitatis iure firmentur. nec liceat vlterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium enim, ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. illud est enim veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. hæc & plura alia constitutio Constantini. vt mirum non sit, qui tantùm vnico Episcopo credi ab alijs voluerit, pluribus contrà vnum credidisse. verùmtamen explorata tandem integritate Athanasij, & detecta Episcoporum calumnia, Imperator factum emendare voluit, sed morte præuentus minimè potuit. scripto tamen id eum cauisse ad filios successores, vt pium & æqui amantissimum Imperatorem ad finem vsque posteritas noscat, ex Athanasio eodem constat. cuius verba in Apologia sua, hæc sunt: Certè quidem beatus Constantinus minor scriptorum patris sui memor, dum nos patriæ restitueret, in hæc verba epistolam dedit. Constantinus Cæsar populo Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ. Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideò Athanasium adorandæ legis interpretem in Galliam missum esse, ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas sacro eius capiti, quàmmaximè immineret, implicitusq; malorum collimitio, aliquod intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus, vt sub me ageret, iussus est. atque ita in hac Vrbe commoratus est, vt omnibus rebus necessarijs abundaret; tametsi eius reuerenda virtus diuina ope freta, onera asperioris fortunæ vilipenderet. iam cum inprimìs vestræ in Deum pietati, suisq; sedibus hunc Episcopum dominus noster & pater Constantinus restituere vellet, & humana sorte præuentus, antequàm hoc votum impleret, requieuerit, ego mihi conuenire puto, vt suscepta voluntate sacræ memoriæ Imperatoris, idipsum adimplerem, quod ille non potuit. hæc Constantinus iunior, pluraq; alia, vt pietatis ma-

gesimo sui imperij, & quintò supra vigesimum, quarti Christiani sæculi, Nicænum nobilissimum conuocauit Concilium: ex Sacerdotum sententia, vt inquit Ruffinus. hoc est Syluestri Romani Pontificis, aliorumq; Episcoporum, qui Ecclesiam ab Arianis, alijsq; impijs hæreticis exagitatã, erroribus purgandam, integritatiq; suæ restituendam, censebant. igitur, vt inquit Eusebius, Vrbs isti Concilio designata non incongruè Bythinorum gentis vna, de nomine victoriæ Nicæa appellata. quo igitur loci primum conuolarat mandatũ, omnes vt à carceribus alacres accelerare cursum. nam trahebat siue boni spes, siue communio pacis, & rei nouæ illius domini vultus. vbi conuentum est, illicò diuinum opus aspici; si quidem non solùm animis aut etiam locis & regionibus abiuncti, quantũ populi remoti inter se distant illuc coiuere. hic vna ciuitas quasi corona immensa sacerdotum variè conserta floribus habebatur. ergo tota Europa, Libes, & Asia, quibus Ecclesijs refertæ erant earum in vnum locũ viri primarij, hoc est ipsæ ministerij Dei primitiæ venerant. tum ædicula precaria quodam veluti numine capacior admittere, & Syros, & Cylices, & Phænices, & Arabes, & Palæstinos, Ægyptios insuper & Thebanos, & Afros, & à fluminum diuortijs interiecta patria profectos. Persa aderat Episcopus, & Schytachoreæ non deerat; electos emisere Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Phrygia, Pontus & Asia. verùm isthuc etiam venere obuiam Thraces, Achęi, Macedones Epirotæ, atque multò ijs remotius, Spano ille percelebris, vnus erat isto loco confessor. attamen senio impeditus Episcopus imperatoriæ ciuitatis, adesse non potuit, sed illius ordinem presbyteri suppleuere. hæc ille. qui pergit multis cõsessum illum patrum explicare, cuius initium, & ingressum Constantini ad patres ita describit: Cum dies affuit ad Concilium præscripta, in qua rescindenda erat opinionum ambiguitas, in ædem Palatij medioximam, cum magnitudine, tum positione subselliorum, ad vtrumque latus, atque ordine multiplici ornatiorem, aduocati conuenerant, ac suo quisque loco consederant. postquàm aptè sessum est, taciti omnes ingressum Regium expectare, operirique

que. venit intro primùm vnus atque alter ex Regijs, tum deinde alius, etiam præſere nonnulli, non armati vel haſtati, ſed amici præcipui, & fideliſſimi Imperatoris. dato ſubindè ſigno, aſſurgentibus vniuerſis, vt aliquis à Deo nuncius ibat, meditullio ſpatij, fulgore muricis ardentiſſimoq; lumine collucens; auro præterea gemmiſq; prælucidis illuſtris, vt è corporis ornatu; ſed animam religio & Dei timor exornabat, vt ex oculis tellure commoratis, rubore in vultu, & ipſo ingreſſu, vnuſquiſque poterat æſtimare. idem ſpecies ac cum nemine conferenda proceritas, aſtantium dumtaxat, idem pulchritudo oris, idem membrorum decor, idem robur inexpugnabile prædicabat, quæ cum morum modeſtia & facilitate coniuncta, nobilius ingeniū quàm dici poſſit, afferebant. vt verò conſtitit ad initium primi ordinis, ſella quadam ex auro modica parata, non prius in ea ſedit quàm annuiſſent Epiſcopi. ita ille. qui mox orationem latinè habitam ad patres à Conſtantino, recitat. ſed quantum Chriſti ſacerdotibus imperator in illo ſacro conuentu deferret, operæ pretium eſt audire Sozomenum libri primi c. 16. Multi, ait, ex Sacerdotum numero, qui vt euenire ſolet, tanquàm ad cauſas ſuas, ac priuatas diſceptandas, in vnum conuenerant, tempus oportunum ſibi oblatum putarunt, ad res eas corrigendas, quæ ipſorum animos offendiſſent. itaq; ſinguli libellum de criminibus quæ alijs obijcerent, Imperatori offerre, & peccata inter ſe admiſſa, iam antè, exponere cæperunt. cum autem illud in dies ferè ſingulos accideret, dat mandatum Imperator, vt ſinguli crimina quæ alijs obijcere ſtatuerant, ad certum diem proponerent. vbi dictus dies venit, Imperator oblatis ſibi libellis acceptis: Iſtæ, inquit, criminationes tempus quidem ſibi præſtitutum habent diem videlicet magni iudicij, iudicem autem qui ſit tum de omnibus ſententiam pronunciaturus; mihi verò non eſt fas, cū homo ſim, eiuſmodi cauſarum cognitionem arrogare. præſertim cum & qui accuſant, & qui accuſantur, ſacerdotes ſint: nam non deberent ſe tales præbere, vt ab altero iudicentur. age igitur deletis criminibus, exemplum diuinæ clementiæ in danda mutuò venia

 imitari,

imitari, iungamus amicitæ fœdera, & fidei negotia quæ vos in hunc locum conuenire compulerunt, seriò pertractemus. hác habita oratione Imperator, iubet criminationes illatas, nullius momenti esse, tum libellos comburi. hæc ille. Ruffinus lib. 1. cap. 2. ita scribit Imperatorem loquutum, ad Episcopos: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi, & ideò nos à vobis rectè iudicamur: vos autem non potestis ab hominibus iudicari propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum referuentur examen. vos autem nobis à Deo dati estis Dij: & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem deos discernit. hæc ille. addit Theodoretus Constantinum iureiurando adiecto dixisse; se ne verbum quidem inscriptum perlegisse, nam Sacerdotum, inquit, vitia non sunt populo aperienda, ne inde causa offendiculi arrepta, licenter peccare aggrediantur. quin etiam eum quoque adiecisse: si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre fortè videret, facinus illud nefandum, suo paludamento se obtecturum, ne facinoris aspectus, eos qui idipsum cernerent vlla ex parte læderet. hæc Theodoretus cum Ruffino, & Sozomeno, adeò diuersa ab ijs Principibus, qui nisi in Christos Domini insolescant, principis officium se minimè adimplere sibi persuadent, dumq; se oues suis pastoribus præesse contendunt, rari admodum Constantinianæ pietatis metam attingunt; plures cum Hieroboamo Rege dexteram in sacerdotem protensam aruisse admirantur. idem Theodoretus describens pietatem Constantini ergà eos Episcopos, qui aliquo membro pro confessione Christi nominis essent mutilati; Cum videret, inquit, dextros oculos quibusdam effossos, intellexissetq;, quòd constantia pro pietate eam cladem illis attulisset, labra vulneribus admouit, pro certo persuasus, se benedictionem inde hausturum esse. ita Theodoretus. quamdiù porrò Patres Nicææ Synodum celebrãtes substitere, eos omnes Imperator mensæ suæ adhibuit. ita Eusebius: Episcopis Im-

perator ipsę conuiuator & compotor, ac si per eos dignum Deo sacrificium persolueret. Episcopus aberat à conuiuio Regis nemo. cuius illud explicari satis nulla oratione potest: armatorum corona ense nudo in vestibulo Regiæ stationem habebat; inter quos ingredi securè domum vsque interiorem poterant. ibi discumbere, nonnulli quidam se ad quietem componere; profectò Basilicæ Christi species aliqua, atque somnium, quod plurimùm à re abesset, apparebat. ac postquàm in conuiuio cuncta magnificè, omnes amplexatus Imperator, ad priorem magnificentiam hoc adiunxit, vt ordine suo quemque munere donaret hospitali: qui non aderant, huius Senatus vt meminisse possent, effecit epistola; hæc Eusebius, qui epistolam statim subijcit: nos vt longiorem omittimus. Theodoretus similia Eusebio commemorans: Conuiuio, inquit, peracto, alia dona rursus illis distribuit. quin etiam litteras ad prouinciarum Præfectos dedit, mandauitq; vt certus frumenti numerus, viduis, & ijs, quæ perpetuam seruant virginitatem, quin etiam illis, qui diuinis mysterijs obeũdis consecrati sunt, in singulis ciuitatibus, quotannis suppeditaretur, eumq; non tàm egentium necessitate, quàm suæ ipsius munificentia mensus est. hàctenùs ille. antequàm tàmen Concilium solueretur Constantinus preclaram illum ad Sacrum cętum orationem habuit; quam Eusebius vitæ eius assuit, satis prolixam; & in qua Imperator præter admirandam eius pietatem, incredibilem antiquitatis eruditionem demonstrat. vt iure merito eum idcircò Bellarminus inter Ecclesiæ scriptores recenseat. diuersa hæc fuit oratio, ab illa quam initio Synodi hortatoriam diximus habuisse ad Episcopos. Soluto itaq; conuentu trecentorum decem octo patrum Nicææ habito. Constantinus multas leges eodem anno dignas Christiano principe tulit: ex quibus quam aduersus magistratus edidit, referre expedit: Si quis cuiuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcumque Iudicum, Comitum, amicorum vel palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quòd non integrè atque iustè gessisse videatur, intrepidus & securus accedat, & interpellet me.

ipſe audiam omnia, ipſe cognoſcam. & ſi fuerit comprobatum, ipſe me vindicabo. dicat ſecurus, & benè ſibi conſcius, dicat: ſi probauerit, vt dixi, ipſe me vindicabo de eo, qui me vſque ad hoc tempus ſimulata integritate deceperit. illum autem qui hoc prodiderit, & comprobauerit, & dignitatibus, & rebus augebo: ità mihi ſumma diuinitas ſemper propitia ſit, & me incolumem præſtet, vt cupio, feliciſſima efflorente Republica. hæc ibi. ita pius princeps bono populorum intentus, vitijsq; perpetuò infeſtus edicebat; vt habeant vnde erubeſcant ij principes, qui magiſtratibus, & miniſtris à ſe prępoſitis tantùm deferunt, vt extremo populorum damno, ne verbum de ipſorum mala adminiſtratione patianrur audire. dumq; ipſi alioqui optimi principes, malos ita ferunt miniſtros, peſſimi nomen ad poſteros tranſmittũt. Gladiatoria prætereà ſpectula excidio humani generis exerceri apud Romanos ſolita, interdixit. Crucis ſupplicium, vt ait Sozomenus, à Romanis olim decretum maleficis, lege ſuſtulit. verùm pij Regis ſolicitudinem ergà bonum publicum, quàm ratam, gratamq; Rex Regum Deus haberet, conſtat ex eo, quod ex omnibus nationibus legationes ad Conſtantinum cum donis affluerent. ipſeq; Rex Perſarum, Romani Imperij hoſtis & contemptor, muneribus tranſmiſſis, amicitiam eius expeteret. de quibus Euſebius. Ego, inquit, profectò cum adirem aliquando Imperatorem, incidi fortè fortuna limen ingreſſurus in ordinem barbarorum aſtantium, vultu honeſto, proceritateq; ſpecioſa; quorundam varius erat habitus, horum in perſona decorum aliquid, in coma barbaq; non paruum diſcrimen inerat; oculi torui & minaces, ſed admiranda tamen præcipuè corporum id ætatis immenſitas. aliorum in aſpectu rubor, aliorum niue candidior, & aliorum modicus. Etenim Blemiæ, Indi bipartito poſiti, Æthyopes, hominum denique vltimi, theatro minimè defuere, qui ſuo quiſque loco, hercle tanquam in tabula Regi munus afferebant, ex facultate gentis: illi coronas aureas, hi Diademata vniuerſa de gemmis, alij xantocomas & veſtes varij textus, equos, haſtasq; nonnulli non abſque ſagittis, & arcubus. in quibus

bus illi ſocietatem & operam Imperatori non inuito deſpondebant. ille verò cum ijs ita ſua compenſabat, vt qui viciſsim reciperent, omnes eſſent horæ momento ditiſſimi. nobiliores honore aliquo imperij demerebatur; inde patrij ſoli quidem obliuiſci penitùs, eiuſmodi votiuas habere ſedes, has ex animo complecti. enimuerò familiaritatis iſtius Rex Perſarum cupientior, amicitiæ notam, munera cum legatione dimiſit. verùm audita fæcũditate Perſicæ regionis, ibi videlicet innumerabiles in Chriſtiana cauſa ſtabulari, hoc internuntio lætior, vt omnium tutor vbique loci, denuò quæ prouidenda illic erant, prouidit. hæc Euſebius, addita epiſtola pro Chriſtianis ad Regem Perſarum tranſmiſſa. Tranquillato vbique terrarum orbe, negotijsq; religionis compoſitis, ſacris Paleſtinæ locis, quibus ſalutis noſtræ opus præſtitit Chriſtus Dominus, innata pietate illuſtrandis, animum adiecit. in quibus quæ & qualia egerit, preſertim ad reſurrectionis Dominicæ locum, noua Hieroſolymitana Vrbe extructa, temploq; ampliſſimo Saluatori in ea dicato, præter alia inſignioribus & ſacratioribus locis condita, ad Euſebium longa oratione omnia complectentem, lectorem pium remittimus. Hoc eodem tempore Helena Conſtantini mater, licet ſenio grauata, pietatis alis innixa, ad ſacra Paleſtinæ loca acceſſerat, quæ dum Chriſtiano affectu circumluſtrat, Crucem Dominicam, & titulum eidem à Pilato ſupraſcriptum, & clauos quibus Chriſtus Cruci fuerat affixus, pluribus miraculis interlucentibus, adinuenit. cuius inuentionis ſeriem & à ſanctis Patribus, præſertim ab Ambroſio in funere Theodoſij Principis, & ab innumeris ſcriptoribus recenſitam, ac proindè ſatis notam, omittimus. Crucis partem ab Helena ad filium tranſmiſſam, ab eodemq; Romam ad Eccleſiã honori eius, qui triumphauit in ligno, extructam tranſlatam certum eſt. Clauos quoque ad Imperatoris manus opera piæ matris deueniſſe, teſtantur omnes. quibus ipſe cum & frænum equi, & galeam, & coronam muniſſet, vnum tamen ex illis in Hadriaticum mare tempeſtatibus ſedandis fuiſſe proiectum Gregorius Turonenſis ita affirmat: Eo tempore Hadriaticum mare magnis

fluctibus

fluctibus mouebatur, in quo cum frequentia erant naufragia, & demersio hominum, vt vorago nauigantium diceretur, tunc prouida Regina condolens excidio miserorum, vnum ex quatuor clauis deponi iubet in pelagus, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset opprimere: quo facto reddidit mare quietum, tranquillaq; deinceps nauigantibus flabra præstantur, vnde vsque hodie nautæ sanctificatum mare venerantur, & cum ingressi fuerint, ieiunijs, orationibus, & psalterio vacant. hactenùs Gregorius. porrò pia Augusta sacra illa loca plurimis Ecclesijs exædificatis, illustrauit, pietatisq; suæ vbique præclara reliquit vestigia: de quibus Ruffinus lib. 1. c. 8. agens: Reliquit, inquit, Hierosolymis etiam indicium hoc religiosi animi Regina venerabilis. Virgines quas ibi reperit, Deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famularum vterentur officijs, sed ipsa manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis, ac mater Imperij, famularum Christi se famulam deputaret. hæc Ruffinus. cuius exemplum pius filius quàm egregie ergà cælibatus amatores, præsertìm verò Virgines Deo dicatas, æmulatus fuerit, & eiusdem legibus, & Eusebij testimonio, passim est videre. Sed ad Helenam reuertentes, cuius gloriæ apud Deum & homines nil maius potuit cõtingere, quàm Romano Imperio Maximum generasse Imperatorem; Christiano verò orbi, sanctissimum pietate sua regenerasse Principem, Eusebij verbis præclaræ eius vitæ curriculum concludamus. Nam cum, ait, illuc intendisset animum, religiosi pectoris vsuram vt omnium Regi penderet, atque filium tanto nomine, & liberos eius Augustos, idest, nepotes suos, precariam gratiam refundere debere cogitaret, Anus acceleratione iuuenili, abijt Orientem lustratura, populosq; inuisura, certè regia meditatione, vbi limine salutis adorato, iuxta illam vaticinationem; Congeniculabimus ad locum in quo stetere pedes eius; frugem religionis suæ posteritati reliquit. ergò ad quem salutatum iuerat, bina templa dedicauit, hoc

ad

ad natale antrum, illud ad montem ascensionis. nasci quidem subterraneo loco (Bethleem Hebręis appellatur) in rem nostram pertulit, is qui nobiscum Deus est. quamobrem suspiciendo monimento partum Deiparæ exculptum, Regina illustrauit, atque eum non ita multò post, aulæis, statuis, aurea argenteaq; suppellectile, matris incitatum animum stimulans, Imperator ipse decorauit. illa iterum viam Seruatoris in cælum, in oliuarum monte, alia machinatione sublimauit. in vertice qua montis vniuersi fastigium est, ædem sacram posuit. inibi verissima fama constat, hominum redemptorem initiauisse conuiuas suos sacris sacrationibus in specu; cui neque industria Regia defuit adornando, & venerando. duo sacraria vberiori cultu perpetuam recordationẽ merita; Helena Augusta in antris mysticis extruxit, intendente dexteram, atque licentiam filio Imperatore cõcedente; quæ argumenta religiosi animi esse possunt. ex quo fructũ legit haud ita multò post vetula. scilicet illa honorum fæcunditate, vitæ curriculo vsque extremum gradum senectutis exacto, frugem cum officio, tum verbis eximiã diuini mandati efferens, at constante corporis animæq; sensu, vacantem vitam mæstitia, exoluens, hunc exitum pietate dignissimum ad humanam illam felicitatem, in vita adiunxit Deus. Orientem enim imperatoria celsitate licenter obibat: ad quam vrbem cumq; appulerat, infinitam pecuniã confertæ multitudini, atque singillatim adeuntibus effundebat; æquè ordini militari erogabat, ope destitutis omninò multa, hominibusq; nudissimis stipem, & ad integendum corpus abundè suppeditabat. alios ærumna accisos, à vinculis metallisq; absoluebat, augebat fortunis; alios ab exilio reuocabat. in quibus officijs excelluit, & ea tamen quæ religionis erant, minimè neglexit. itare ad Ecclesiam vidisses, ædiculas, & sacella diuite suppellectile componere, ne tenuissimorum quidem oppidorum templa omittere; venerabili & frugali tamen habitu, se cum cætu hominum sociare; quæ ad obseruationem cultumq; numinis attinerent, omnia studiosè & amariter exequi. cæterùm post æui longi cursum, (tenuerat annos circiter octuaginta)

ginta) ad optabilem sortem accersita, cum ventum ad extremam lineam est, vnigeno filio singulari orbis terræ moderatori, nepotibusq; eius liberis Augustis, vltimum iudicium præfiniens, ad tabulas perrexit. hisce quicquid vsquàm possideret, assignauit atque dispertiuit. hoc pacto in re sua testata filio Imperatore præsente, qui astabat ipse & manum contingebat, ita discessit è vita, vt non mori illi qui rectè sentiret, sed ad cælestem vitam de terrena commigrare videretur. proindè natura ab interitu libera, atque angelica profectus ad authorem suum est animus. ipsum corpusculum sedulò asseruatum, multa manu in Vrbem allatum est, & amplissimo sepulchro conditum. ita ille: cuius perpetuæ memoriæ pius filius ciuitatem in Bythinia præclaram Drepanum olim appellatam, Helenopolim dici voluit. mareq; proximum quod Pontus Polemoniacus dicebatur, Helenopontum denominauit. hic finis Helenæ sanctissimæ Augustæ, cuius celebris memoria in Ecclesia Romana duodeuigesima die Augusti habetur. Græci anniuersariam eius commemorationem eodem die, quo & Constantini filij vndecimo Kal. Iunij recolunt. at quo anno obierit, nulli, quod sciam, compertum habetur. Constantinus dum cum pia parente sacris Palestinæ locis illustrandis, nullis parcit sumptibus, Iberorum natio mari Pontico proxima, per mulierem captiuam ad Christi cultum perducitur. rei seriem Ruffinus exponit. eorum Rex Bacurius nomine, nobili legatione ad Imperatorem missa; Sacerdotes, inquit Ruffinus, mittere oratur Constantinus, qui cæptum ergà se Dei munus implerent. quibus ille cum omni gaudio & honore transmissis, multò amplius ex hoc lætatus est, quàm si incognitas Romano Imperio gentes, & regna ignota iunxisset. ita ille. vigesimo quinto Imperij anno, cum Vrbem quinquennio ante cæptam ad optatum finem perduxisset, conuocatis plurimis Episcopis, illius dedicationem magna solennitate celebrauit. Nicephorus quippe lib. 8. c. 26. affirmat eam, incruento sacrificio, precibus, votisque, Dei genitrici Mariæ consecratam. qui lib. 7. c. 49. testatur: Constantinum suæ statuæ super porphyreticam columnam collocatæ, po-

St. Helene festiuitas.

suisse

fuiſſe in dextera manu malum aureum, cui veneranda Crux erat ſuperpoſita, cum tali inſcriptione: TIBI CHRISTE DEVS VERBVM. HANC COMMENDO. de ſacris porrò reliquijs in baſi eiuſdem columnæ collocatis, hæc ſubdit: Quatuor autem ſolidis firmisq; apſidis pulchrè circumcircà baſi columnæ fundata, ſub ea ipſa baſi duodecim cophinos, & ſeptem ſportas, necnon reliquias ſeptem panum, quibus benedictione ſanctificatis, Chriſtus multitudinem pauit; præterea dolabrum Noe, quo ille arcam conſtruxit, manibus ipſe ſuis Imperator, ſigillo ſuo ea omnia obſignata repoſuit. quæ ad noſtra vſque tempora, etiamnùm Vrbi ipſi, intactus, inuiolatusq; theſaurus permanent. hactenùs Nicephorus. qui etiam lib. 8. cap. 32. deſcribit tres Cruces æreas, & loca quibus in eadem Vrbe illas, erexit, cum peculiaribus pijsq; inſcriptionibus, ad imitationem triplicis viſionis illius ſacratiſſimi ſigni. quarum vnam collabentem, ab Heraclio Imperatore fuiſſe reſtauratam, ad ſua vſque tempora manſiſſe teſtatur. Sozomenus lib. 2. cap. 2. Hanc igitur, ait, Ciuitatem, Conſtantinus, ſuo appellatam nomine, & velut recens ad Chriſti honorem extructam, multis maximisq; Eccleſijs exornauit. cuius propenſiori ſtudio Deus ipſe opem tulit, & viſionibus quibuſdam confirmauit, Eccleſias in ea vrbe ædificatas, ſanctas & ſalutares eſſe; de quibus ipſe pergit longius diſſerere: addidit pius Imperator, maieſtati religioniq; vrbis, ſcientiarum ſcholas. quas S. Gregorius Nazianzenus oratione in laud. Baſilij, excellentiſſimis ait Oratoribus, atque Philoſophis fuiſſe refertas, in eiſdemq; S. Baſilium, tyrocinium exegiſſe tradit; vndè profectus Athenas, magiſtri potius quàm diſcipuli ſpecimen ediderat. verùm enimuerò dum nouam Vrbem conderet, Scythas hoſtes expertus, per Gallicanum exercitus Ducem, illos domuit, vt ſuo loco acturi de Conſtantia Conſtantini filia, dicemus. at cùm iterùm vigeſimo octauò nempè imperij anno, Scythæ in Sarmatas inſurrexiſſent, vt author eſt Diuus Hieronymus, in Chronico; Sarmatæ Conſtantini opem implorarunt: de qua re Euſebius hæc habet: Nam

Scythas atque Sauromatas antea seruitutis ignaros, inuitos quidem illos appulit ad iugum, Romanumq; dominum agnoscere coegit; Scythæ olim moderatores exigere tributum, atque annuum vectigal à Romanis, accessioni solebat esse barbarę genti. quæ semper odij plena ratio Imperatori videri: sed ad æquas illum victorem pensiones adigi flagitium esse posse. quapropter ope cęlesti fidentior insigne salutis admouit, ac momento eos debellauit. imperium si qui detrectarent, exercitu castiganit, reliquos facundia legationis flexit, à fero, immaniq; viuendi genere, ad vrbanam; id est, ipsa lege coercitam consuetudinem adduxit, atque Romanis inseruire tandem à Scythis est decretum. at Sauromatas ad Constantini pedes fatum aduoluit, exultantes, & audacia quadam barbara sublimes, aggressoribus Scythis, illi vocauere ad pugnam seruitia, quibus vbi primùm euenit, ijsdem ancillibus in dominos inuasere, atque de laribus & domo deiecere omnes. ijs portus vnicus Constantini fides extitit. nam generis conseruandi non insuetus, hosce Romano solo accepit, idoneorum delectum, ad supplendas legiones habuit. alijs agros vt excolerent, atque necessaria ad vitam compararent, addixit. vnde benè vertisse casum opinati, Romanam libertatem, pro barbara feritate capessebant. exteræ nationes sic ad imperium adiunctæ: harum legatione Regiam frequentari, donis oppleri superbissimis. hæc Eusebius.. qua occasione Cedrenus scribit Cōnstantinum pontem super Istrum extruxisse, licet id ad annum vigesimumquintum imperij eius contigisse velit. præstat enim Diuum Hieronymum proximum illis temporibus audire. post tyrannorum, barbarorumq; bella, ne pax à Christiano Imperatore studijs omnibus procurata, radices altius ageret, Arianorum impietas, Nicæni Concilij authoritate damnata, Constantiniq; legibus sæpius proscripta, fuit in causa. hæc enim post mille artes, fraudes, simulatamq; pietatem, cum Athanasij Alexandrini Episcopi virtutem & pietatem nullatenùs potuisset eludere, post calumnias in eum confictas, insidiasq; structas, pluribus annis pium Imperatorem,

san-

ſanctiſſimo Epiſcopo exoſum reddere ſtuduerunt. ſed cum viderent pietatem Imperatoris erga Athanaſij integritatem ſemper eandem, poſt Concilia Tyri primò, deinde Hieroſolymis coacta, in quibus Athanaſius condemnatus eſt, Imperatore illum protegente, nihilominùs eò doloſa eorum proceſſit immanitas, vt ſubornatis aliquot Catholicis Epiſcopis, Athanaſijq; amiciſſimis, imò & eius defenſoribus, eorum teſtimonio aſſerentium Athanaſium minatum eſſe, ſe impediturum quominùs frumentum ex Alexandria Conſtantinopolim deueheretur, Imperatorem, Catholicis Epiſcopis, ore ſcriptoq; contrà Primatem ſuum adeò graue crimen credentem, in Athanaſium commouerunt. ſperantes adeò atroci crimine inuictum Catholicæ religionis athletam extinctum iri. ſed ille furori eorum minimè acquieſcens, eum in Gallias amandauit: eorum autem finem perdendi Athanaſij fuiſſe, Patres Concilij Alexandrini apud eundem Athanaſium in Apologia, de epiſtola Arianorum accuſatoria id aperiunt, cum aiunt: Tota eorum accuſatrix epiſtola, nil aliud niſi necem ſpectat, aut necem moliuntur, ſi ipſis liceat, aut ſaltem exulem facere, quod & impetrauerunt ab ipſo Cæſarum patre, qui iras ſuas, offenſaſq; cum ſupplicium capitale poſceretur, exilio damnatorum expleuit. quin ipſe Athanaſius in epiſtola ad Solitarios ſcripta, ait, ſe idcircò in Gallias à Conſtantino amandatum, vt crudelitati Arianorum ſubtraheretur, ijs verbis: Siquidem pater, nempè Conſtantinus calumnia Euſebianorum Athanaſium in Gallias ad tempus amandauit, quo liber eſſet ab eorum crudelitate, qui illi per inſidias imminebant. ita ille. hoc idem Conſtantinus filius, & ſucceſſor Conſtantini, ſuis litteris poſt mortem patris ad Alexandrinos datis, proteſtatus eſt, dum ait: Ad hanc igitur eludendam, tot faucibus inhiantium Athanaſius ſubtractus, vt ſub me ageret, iuſſus eſt, atque ita in hac Vrbe, nempè Treuiri, commoratus eſt, vt omnibus rebus neceſſarijs abundaret. ita ille. Conſtantinum porrò nequaquàm Arianis, vt optabant, indulgentiorem effectum, ſed eorum petulantiæ

contrarium; ex eodem Athanaſio, ad Solitarios ſcribente, conſtat, cum ait: Sed tamen illi quidem, hoc eſt Conſtantino, non perſuaſum eſt ab Euſebianis, vt in Athanaſij locum Epiſcopum, quem ipſi poſtulabant ſubmitteret, imò eos, qui id moliebantur, compreſſit, & eam rem ipſam conantes, grauibus minis deterruit. hæc Athanaſius. qui Arianos appellat Euſebianos, cum ipſi Euſebium, ſpecie pietatis in aula potentem, impietatis haberent patronum. Theodoretus lib. 1. cap. 33. excuſat Conſtantinũ, quòd credens Epiſcopis Catholicis, Athanaſium relegarit. Nam fidem adhibuit, inquit, Epiſcopis, qui occultare ſtudebant veritatem, illuſtrem quandam vitæ ſpeciem præſeferentes, quã Imperatorem dolo deluſerunt: neque ſanè eos fugit, qui ſunt in ſacris litteris eruditi, Dauidem prophetam deceptum fuiſſe, quem non Pontifex, ſed verna, & verbero (Sibam dico) qui falſum crimen contrà Miphiboſeth detulit ad Regem, illiusq; agrum ſuum ita reddidit, veteratoriè circumuenit; atque iſta quidem dico; non quo prophetam inſimulem, ſed quo pro Imperatore reſpondeam, oſtendamque humanæ naturæ imbecillitatem, & doceam ſimul non ſolis accuſatoribus credendum, quamuis digni videantur, quibus ſit habenda fides, ſed alteram aurem ſeruandam reo. hæc ille: at quantum pro ſua ſingulari reuerentia ergà ſacros Præſules eiſdem Conſtantinus ſemper detulerit, præter tot exempla ſuperius allata, ſatis claré conſtat ex reſcripto ad Ablauium Præfectum prætorio datum, in quo poſt aliqua: Sanximus namque, inquit, ſicut edicti noſtri forma declarat, ſententias Epiſcoporum, quolibet genere prolatas, ſine aliqua ætatis diſcretione, inuiolatas ſemper, incorruptaſque ſeruari; ſcilicet, vt pro ſanctis ſemper & venerabilibus habeatur, quicquid Epiſcoporum ſententia fuerit terminatum. ſiue itaque inter minores, ſiue inter maiores ab Epiſcopis fuerit iudicatum, apud vos, qui iudiciorum ſummam tenetis, & apud cæteros omnes iudices, ad exequutionem volumus peruenire: idem paulò poſt: Omnes itaque cauſæ quæ vel prætorio iure, vel ciuili

tractan-

tractantur, Episcoporum sententijs terminatæ, perpetuò stabilitatis iure firmentur. nec liceat vlterius retractare negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Testimonium enim, ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant: nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. illud est enim veritatis authoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancto homine conscientia mentis illibatæ protulerit. hæc & plura alia constitutio Constantini. vt mirum non sit, qui tantùm vnico Episcopo credi ab alijs voluerit, pluribus contrà vnum credidisse. verùmtamen explorata tandem integritate Athanasij, & detecta Episcoporum calumnia, Imperator factum emendare voluit, sed morte præuentus minimè potuit. scripto tamen id eum cauisse ad filios successores, vt pium & æqui amantissimum Imperatorem ad finem vsque posteritas noscat, ex Athanasio eodem constat. cuius verba in Apologia sua, hæc sunt: Certè quidem beatus Constantinus minor scriptorum patris sui memor, dum nos patriæ restitueret, in hæc verba epistolam dedit. Constantinus Cæsar populo Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ. Neque vestram sacram mentem latere arbitror, ideò Athanasium adorandæ legis interpretem in Galliam missum esse, ne quo tempore sanguinolentorum hostium feritas sacro eius capiti, quàmmaximè immineret, implicitusq; malorum collimitio, aliquod intolerandum, & cui remedium nullum esset, pateretur. ad hanc igitur feritatem eludendam, tot faucibus inhiantium subtractus, vt sub me ageret, iussus est. atque ita in hac Vrbe commoratus est, vt omnibus rebus necessarijs abundaret; tametsi eius reuerenda virtus diuina ope freta, onera asperioris fortunæ vilipenderet. iam cum inprimis vestræ in Deum pietati, suisq; sedibus hunc Episcopum dominus noster & pater Constantinus restituere vellet, & humana sorte præuentus, antequàm hoc votum impleret, requieuerit, ego mihi conuenire puto, vt suscepta voluntate sacræ memoriæ Imperatoris, idipsum adimplerem, quod ille non potuit. hæc Constantinus iunior, pluraq; alia, vt pietatis ma-

ximi, pijq; Constantini erga Deum, & eius Antistitem, splendor, qui nubecula aliqua alicui, deliquium quoddam passus videbatur, digna tanto principe iustitia, & charitate, purissimus elucescat. nec piæ menti scrupulus inde subrepat, quatenùs Cõstantinus princeps sæcularis, Episcopum virum sacrum, & ipsomet principe, vt vidimus, in Nicæno Concilio judice ita sentiente, violatione sacrorum canonum videatur in exilium mandasse. etenim satis constat ex Apologia ipsius Athanasij, & ex omnibus scriptoribus de hac re agentibus, egregiè à Baronio examinatis, Constantinum nequaquàm vt iudicem damnasse virum Episcopum, sed à Concilio iudicatum & damnatum, instantibus iudicibus Ecclesiastici ordinis, latam ab ipsis sententiam, vt Canonum obseruantissimum decet Principem, executioni mandasse, & quantum potuit, ab extremo & immani rigore temperasse. hinc inter innumera encomia, quibus sancti Patres Constantinũ sunt prosequuti. Epiphanius hæresi 69. agens de Cõstantio eius filio: Rex, ait, in omnibus quidem alijs mitis & bonus, velutì filius MAGNI ET PERFECTI Constantini, Qui rectam fidem integrè seruauit. hæc Epiphanius, æuo Constantini proximus. sed iam pium principem extremũ imperij tempus agentem, ab extremis Indis legationibus, muneribusq; cultum videamus apud Eusebium. Ecce autem ab Oriente, inquit, Legati Indi accessere: attulere dona; lapidum precij fulgorisq; eximij omne genus, harum nostrarum longè dissimiles animantes: illi Imperatoriam ditionẽ isto munere claudi Oceano denotabant: Indiæ viri principes ad statuam conferebant & dominum agnoscebant. ineunte regno primi occidui Britanni, sed exacto ferè orientales Indi conditiones eius acceperunt. ita Eusebius. qui exponens, quomodò pius parens quieti & dignitati filiorum cõsulturus, eisdem imperium orbis diuiserit, hæc ait. Porrò Imperij fines ijdem cum essent: nempè ab ortu Indi, ab occasu Britanni: atque orbis terrę hæredibus amantissimis accitis, ad vnum quasi patrimonium, tripartitò Imperium diuisit. sorte auita; maximo natu, alteri dominatione Orientis, intermedia portione,

ne, tertio cessit. hæc de diuisione Imperij filijs facta. inter quos nescio cur omiserit Dalmatium, & Annibalianum, quos ambos fratrum eiusdem nominis filios, Cæsarea dignitate insignitos, vt ex alijs scriptoribus constat, tanquàm successores filiorum futuros, bonus patruus honestauit: at quibus monitis præsidijsq; eosdem instructos voluerit, idem exponit. Semina verò, inquit, iustitiæ, quæ est animi hæreditas eruditione & disciplina informans, vnicè pios homines adstringens ad eam rem peperit, alios impensè doctos eruditionis externæ interpretes addidit, alios in re militari, ciuilium negotiorum experientes aliquot & legum, suppellex vnicuique Regia, satellites armati, legiones, harumq; manipulares & Duces, & Centuriones, expertæ industriæ patri in bellicis insultibus; tenella Cæsarum indoles, hac ætate cognitiones ad rem suam, necessariò habuit. aliàs vnus ad omnia satis adolescentum pater, adhortando palàm ad eandem paternam probitatem, religionemq; pergerent. edocens per epistolam præcepta institutaq; vitæ, cum aberant: hoc identidem veluti potissimum inculcabat: istius vniuersitatis illum principem colere, cognitionem veri pietatemq; diuitijs omnibus, atque adeò Imperio anteferre. ita ille. concludensq; ait: Commiserat eorum iudicio Rempublicam, sed Ecclesiam inprimìs alleuare, corámq; velle Christianos esse deposcebat. hactenùs Eusebius. tricesimo anno Regni. vnde discant Principes pietate & virtutibus Christianis filios, potius quàm vanitatibus politicis informare. Huic felicitati summa illa Catholico Principi à Deo est addita, vt quem ille Christiana patientia ad sanam mentem reuocare conatus fuerat insanum Arium, occultis artibus ab Eusebio vt diximus, ob peritiam litterarum Imperatori accepto, protectum, tolerauerat fictæ pietatis specie, Deo iudice mortalium in impijssimi hominis perfidiam potenti dextera animaduertente, horrenda morte viderit extinctum. Accersitus erat, inquit Athanasius, scribens ad Serapionem, ab Imperatore Constantino Arius, opera & studio Eusebianorum; quem ingredientem Imperator interrogauit: An fidem Ecclesiæ Catholicæ ser-

uaret? ille autem se rectè credere ieiurando affirmauit, suppressis ijs ob quę ab Ecclesia reiectus erat per Alexandrum Pontificem, Constantinopolitanū videlicet. adductis in speciem verbis scripturæ. illum igitur ita iuratum se nihil eorum ob quæ ab Alexandro eiectus fuerat, fecisse; absoluit Imperator, cum his verbis. Si recta est tua fides, benè iurasti; sin autem impia est, & tamen iurasti, Deus te pro iuramento condemnet: hæc ille, qui pergit describere, qua ratione dum Eusebiani conantur Arium in Ecclesiam introducere, idem homo impius vetusta hæresi, & recenti doloso periurio, secedens ad vitæ necessaria, derepentè pronus factus, medius crepuit, humiq; expirauit. quæ apud Ruffinum, Socratem, Sozomenum, fusè descripta, est videre. Nazianzenus scribens laudes Athanasij: Arius, inquit, petulantis & effrenæ linguæ pœnas dedit in obscænis, & impuris locis extinctus, atque orationis non morbi viribus oppressus; ac Iudæ instar disruptus, in eadem Verbi proditione. hæc Nazianzenus. & sanè synceram Principis imprecationem statim exaudiuit Deus, & iuxtà illam impiè peierantem condemnauit. mirum dictu, adeò notus apud posteros impurus ille locus, in quo Arius impurissimum spiritum exhalauit, perstitit, vt ipse meis oculis ab ipsis Turcis ostensum locum fuerim contemplatus. Intereà temporis, incertum qua de causa, Persæ arma sumentes contrà Constantinum, cum eum magno apparatu mouere intellexissent, missis legatis ad Imperatorem Paschalia fortè festa celebrantem, vota precesq; Deo persoluentem, pacem postularunt. D. Hieronymus in Chronico hæc vltimo eius imperij anno adscribit. at quo apparatu Cōstantinus bellum aggredi voluerit, quidvè firmata pace, in extremo vitæ margine, fati necessitatem præuidens, egerit, ex Eusebio audiamus: Per idem tempus, ait, audito barbarorum ad Orientem motu, reliquam illam esse victoriam exclamasse, belloq; instituto contrà Persas exercitum inspexisse. Episcopis ea de re consilium suum aperuit; illiciēs ad societatem pietati valdè necessarios homines; at ipsi vltrò consequi, neque abesse velle, precibus atque adoratione pugnaturi. quamobrèm lætior expeditio-

pędítionem quod eorum intererat apparauit. intereà præaltas ædes instruxit, omnigena gemmarum varietate resplendentes, & eodem genere vniuersas ab imo vsque ad summum tectum incrustatas, tenuissimo laqueari contignatio elegans; ac quantùm eminebat inaurata, desuper imbricibus æneis ad iniuriam aëris inhibendam, spreto latere protegebat opus. in qua parte auri quoque multum despicientibus eminùs, aliqua vi refractaria cōtrarios solis radios emittebat. æs, aurumq; pustulatum optima cælatura, totas ædes opere reticulato in orbem comprehendebat, ad quas opera & industria Imperatoris ædificatas itque consummatas subdialis area adiuncta, spatio laxiore, & aura defecatissima, quæ porticibus vndique cingebatur in quadrum: ibi cubicula, balnea, diuersoria, stationibus oportunissima; dedicauit autem Apostolorum memoriæ; sed intentionem tamen animi, dū id ageret, incognitam, ipse rei finis vnicuique detexit. etenim illum locum sepulturæ tempore appetente, memorabilem nomine dignissimo prospexerat, ea spe, vt obsecrationum, precumq; plurimarum particeps esse posset, apostolico numini debitarum, duodecim sepulchra fecit Apostolici chori cippis excelsis. vrnam suam medio collocauit, vtrinque senis Apostolis: istud vt dixi, prudentèr ac sobriè cogitans, vbinā iaceret ablatus ab hac vita. longum tempus hoc alta mente cōdiderat, antequàm ædem vouisset opinione sua animi adiumentum, ipsi allaturam ex eorum votis qui adoratum venissent. expectationem verò minimè fefellit, Deus. hic enim primus Imperator adorauit. hactenùs ille: ita qui Apostolico munere insignis, Apostolicæ sedi extollendæ, studium omne adhibuerat, intra tecta Apostolicæ gloriæ dicata quiescere meruit. antea tamen illa præstantissimorum Apostolorum reliquijs ornari voluit: translatis eò, Socratis testimonio, Andreæ, Lucæ, & Timothæi sacris corpusculis: meminit huius rei Diuus quoque Hieronymus agens aduersus Vigilantium, & eius insaniam in Sanctorum reliquias redarguens: Sacrilegus ergo fuit, inquit, Constantinus Imperator, qui sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothæi transtulit Constantinopolim,

nopolim, apud quas dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij, illorum se sentire præsentiam confitentur. hæc ille. Et quidem mirum obseruatu, nonnisi exportatis horum Sanctorum ex illa Vrbe reliquijs, eliminataq; inde Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ reuerentia, quam nobilissima portione Regni alienata pius Princeps augere studuit, eadē Vrbs ad impiorum manus deuenit, millesimo centesimo quadragesimo septimo anno, ab eo tēpore, quo à Constantino fuit instaurata, qui quamuis nobilissimis ædificijs illam illustrasset, ingenuarumq; disciplinarum magistris auxisset, visus est tamen nihili omnia duxisse, nisi Apostolicorum sacrorum cinerum præsidio illam communisset. tricesimo itaque & primo anno feliciter, pièq; in imperio exacto, Nicomediæ cōstitutus, cum sibi extremum vitę terminum instare videret. Postquàm, inquit Eusebius, Centuriones, Ducesq; affuere mæsti, quòd iri destitutum dicerent, æuumq; longius Imperatori exposcerent; adeptum se respondit esse vitam veram, ac quod ipse boni accepisset intelligere solùm probè. festinanter igitur ingredi ad iter, abrumpere moras omnes. insuper alia ordine suo quęque fecit. homini Romano ciui donationem annuam legauit. Imperium liberis attribuit; omnia descriptè, suo tamen ipsius arbitrio. tum festa Pentecostes erant, vt sanctitatis, ita religionis omninò primariæ: septem hebdomades aguntur, vnaq; die demùm obsignantur, in qua Seruatorem assumptum in cælum, immisisse hominibus Spiritum sanctum proditum est; Imperator ille tanti ęstimatus, eá postrema die, quæ festa inter ferias appellari iure debet, ád Deum circà meridiem abijt, relicto mortalitatis affini cadauere: quod enim verè illius erat, hoc est ánimum religiosissimum, cum Deo coniunxisse liquet. ille Constantini vitæ finis, cætera ipsi obeamus. Hastati atque satellites illicò vestem rumpere, prouoluere humi sese, contundere capita, gemere, vlulare, Imperatorem appellare dominum, haud secùs atque patrem liberi. Centuriones, ipsi Manipuli, Duces identidem vociferari hominem de se benèmeritum, ac conseruatorem prorsùs. illud ipsum Legiones agere; quomodò armenta pastorem

desíde-

desiderant. vulgò vrbes obire populi, dolorem intestinum, mæroremq; vlulatu commonstrantes. alij vultu deiecto, perculsorum similes: atque luctus ille priuatus vnicuique tanquam erepto sui cuique de vita bono; Prætoriani milites in vrnam auream coniecere corpusculum, obtectamq; purpura ardentissima, Constantinopolim deportarunt. illic exposito Regiæ loco deposuere in gradibus editis, accensis circùm facibus, in aureo quaque loculo. quod theatrum hercle, admirabile fuit, ab æuo iubari solis antea non aspectum: nam, ipso in meditullio palatij cadauer Imperatoris impositum, aureo feretro, regio ornatu, atque diademate præclarissimum, noctu diuq; plurimi circumdabant, aduigilabantque. Principes exercitus, ordo Comitum & Ducum, quibus antiquum erat prius salutatum adire, nulla re immutata consuetudine; cum appetisset hora, progressi Imperatorem in vrna, quasi viuentem salutabant, genua incuruabant, insequebatur ordo Senatorius, atque vniuersa nobilitas. aderat autem variarum gentium frequentia, cum liberis & vxoribus, quæ diutissimè consilio militari facta, donec enim filij affuissent, efferrentq;, honorificè ita fieri decreuerant. itaq; imperabat ipsum demortui corpusculum, & ordine singula gerebantur, ac si viueret. istud vni ex hominum memória concessum; nam etiam ille vnus Imperator, altissimumq; eius officiosè Christum veneratus omni ex parte, meritò adeptus est imperij maiestatem inter alios, etsi animam efflauerat. nempè Deus innuebat animi regnum, interitu & senio vacare, nisi siquis animum contrà penitus obdurauit. Tribuni militum hisce illo ferè modo confectis, homines antiqua fide atque probitate emisere ad Cæsares, istam rerum seriem explicaturos. ij se negotio exoluerunt. omnes autem exercitus, veluti cælitùs afflati, audita morte summi Ducis, vno ore Imperatorem nullum, nisi illius magni liberos agnosci debere sanciunt. haud ita multò post Augustos administrare rempublicam dignauerunt, omisso tantùm Cæsarum titulo; quæ maxima atque præcipua totius imperij nota. illud studium legionum datatim auctum est, vnoq; penè momento, cognita omnium

omnium militum conſenſio. Romani Ciues & Senatus, intellecto Regis interitu, extrà aleam calamitatis hoc eſſe rati, miſerè lugere, balnea claudi, forum nullum, theatrum nullum, denique quicquid ad vitam agendam iucundius homini comparatum, nuſquam eſſe. mæſti prodire munditiarum proceres: acceptiſſimum Deo virum omnes, ac fælicem appellare, proculdubiò imperium promerentem; verùm non huiuſmodi vocibus eiulatuq; ſolùm, ſed etiam re ipſa illius honorē perſequuti, quaſi viueret, ad ſtatuam contulerunt. etenim depicto cæli globo, regione ætherea ad orbiculi ſummam teſtudinem quieſcere videbatur. huius appellauere liberos Imperatores Auguſtoſque. alterius prætereà nullius meminere. buſtum verò corpore deportato Romani, ſui Imperatoris iſthic eſſe, clamore ſupplici expetebant. hæc honorum ſumma erat apud eos. Cum filius ille ſecundus hæres ad cineres paternos affuiſſet, ad vrbem princeps efferendi funeris, aduexit. omnium primo cunei militum decem millia armatorum funus obibant. in templum Apoſtolici nominis vt ventum eſt, vrna deponitur, & quieti traditur, quæ fuit in adoleſcente Cōſtantio pietas ergà parentem cum præſentia, tum officijs illi ſanctiſſimè perſolutis. eo ſecedente cum militari manu, ſacerdotes atque populi religioſa frequentia progreſſi, fudere preces. hic tum editiore loco poſitus efferri laude homo beatiſſimus. hic admiſſo gemitu lachrymis à plebe & ordine initiatorum, ſuſcipi vota cauſa Imperatoris, quo nihil ipſi gratius eſſe poterat, aut optabilius obſeruantiſſimo numinis. hic ſe Deus aduerſus famulum ſuum perfacilem oſtendit. Imperio primum reſtituto liberis, vbi iam fato concedendum illi erat. tum deinde quod omni ſtudio concupiuerat, apoſtolica memoria, dignato animæ feliciſſimæ contubernio, cum apoſtolico nomine gloriam indepto, conſorte religioſi populi ac myſtici miniſterij; poſtremò communione precum ſanctiſſimarum atque ſocietate freto. hactenùs Euſebius mortem, funeris pompam, lachrymas populorum, & ſepulturam eius deſcribit. addens prætereà ſimilitudinem phænicis, graniq; tritici ex Euangelio, tū ſubiungit; Num-

mus

mus excusus est eo typo, vt parte altera caput occultum, priore, quadrigæ insistentem, posteriore intenta instar aurigæ dextera manu. quæ Deus aperiens oculo nostro inq; vno Christianorum Imperatorum designans, ille quantùm excelleret intelligi voluit. ita ille. huiuscemodi nummum æreum à Baronio descriptum, & erudita explicatione illustratum tanti Principis memoria, magna veneratione penès me seruatum habeo. Nicephorus libro 8. cap. 55. corporis eius imaginem describens: Fuit, inquit, Constantinus formæ decore nemini secundus, & cùm gratiosus maximè fuit, tum decentiæ ipsi magnificentiam coniunxit. statura quoque corporis spectabundus, nam neque nimiùm procerus est habitus, & exiguam breuitatem longè supergressus est; humeris latis, sensim ceruicem crassiorem prætulit: colore corporis rubicundus; minus densum habuit capillum, eumq; flauescentem. barba mediocriter tenuis & rara, neque admodùm demissa erat; ita, vt in pleraque faciei parte succrescere non videretur: oculi quales virum decent, & placidi, ex quibus mirifica quædam eminebat gratia, acutioresq; illi & grandiores. nasus subaduncus, cui carnosum quiddam insidebat: facies ipsa latior, & magnanima admodum: ita Nicephorus illum describit. animi pulchritudinem ipsi Ethnici nobilissimis pingunt coloribus, inter quos Eutropius: Innumeræ, inquit, in eo animi, corporisque virtutes claruerunt. quas ipse enumerat; nos in ijs repræsentandis minime lectorem detinendum censemus, cum præsertim ex dictis ad viuum sint expressæ. Notat Baronius ex Eusebio rem, quæ propheticum ei spiritum minimè defuisse satis ostendit. Cum enim aliquando Constantinus perstringendo auaritiam Ablauij præfecti prætorio, eundem ita interrogasset: quousque tandem, ò bone, inexplebilem hanc auaritiam cumulamus? eodem tempore corporis humani perfectæ ætatis hasta quam manu tenebat, mensuram humi inscripsit, ac subiunxit: omnes vitæ diuitias, & totius orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc à me circumscripto loculo non possidebis, & si illud fortè possederis. hæc ille. & probè, in-

N quit,

quit ſecundum illud diuinæ ſcripturæ: Diuinatio in labijs Regis; nam Conſtantinus de Ablauio vera vaticinatus eſt, cum finem infeliciſsimum ſit conſequutus. in morem enim pecudis fruſtatim diſſectus, incertum eſt, an, vel vbi, fuerit humili ſaltem ſepultura donatus, ſub Conſtantio. ita Baronius. & quidem vt aliæ innumeræ virtutes tanti principis ſummum gradum attigerint, profuſiſſima liberalitas in egenos & Eccleſias inprimis. modeſtiam tamen & manſuetudinem eius incredibiles in eo admiremur eſt neceſſe. & de modeſtia certum eſt ex innumeris ſacris ædibus, quas toto terrarum orbe magnificentiſſimè ſtruxit, ingentiq; mole operum æternitati dicauit, nulli nomen ſuum inſcribi permiſiſſe: ipſi enim authores ethnici, & non benè illi affecti, ſcribunt, adeò eum ab inani vulgi aura abhorruiſſe, vt Traianum principem, herbam parietariam, appellare conſueuerit, ob titulos multos ædibus inſcriptos. manſuetudinem porrò & incredibilem eius patientiam D. Ioannes Chryſoſtomus, homilia ad populum Antiochenum ita extollit, vt illius verba non retuliſſe, ſanctiſſimo principi præiudicaſſe videremur: Fertur, inquit ille, Beatus Conſtantinus effigie ſua quandoque lapidata, multis ipſum inſtigantibus ad ſupplicium de authoribus contumeliæ ſumendum, & dicentibus quòd omnem ipſius faciem ſaxis conuulnerauerint; manu faciem palpans, & leniter ridens, dixiſſe: Ego verò nuſquàm vulnus in fronte factum video, ſed ſanum quidem caput, ſana verò & facies tota; illi verò reueriti & confuſi, ab hoc iniquo deſtitere conſilio. & hoc verbum hactenùs canunt omnes, nec tantum temporis labefecit, aut huius ſapientiæ memoriam extinxit. quot non ſit hoc trophæis ſplendidius? multas vrbes ille condidit, & multos barbaros ſuperauit. ſed meminimus illorum nihil. hoc autem verbum vſque in præſentem diem canitur, nec hoc ſolùm eſt admirandum, quod audient, verum quod laudibus & fauſtis verbis proſequentur: dicentesq; laudabunt, & audientes gratè ſuſcipient. nec vllus eſt qui hæc audiens ſilere poſſit, quin pariter exclamet, & talia dicentem laudet, & innumera ipſi vel defuncto bona precetur.

quod

quod si propter illud verbum apud homines tãta potitus est gloria, quot apud benignum Deum coronas assequetur? hæc Chrysostomus, aureo ore, de verè aureo principe. reliqui Sancti Patres ita in eius laudibus extollendis sunt facundi, vt nullus finis illarum referendarum habeatur. obijt pius Imperator vndecimo Kalendas Iunij. quo die cum Helena matre anniuersaria memoria ab Orientali Ecclesia, tàm ea, quæ Grecæ perfidiæ schismate laborat, quàm quæ Romanæ Catholicæ sedi Christiana vnitate adhæret, perpetuò celebratur. Romana porrò Ecclesia imagines illius sanctorum ornamentis insignes, ita retinuit, vt ad hãc vsque diem, & in Sessoriana triumphalis Crucis Basilica, & in Lateranensi Ecclesię proximo sacello, Laurentio martyri dicato, & ob excellentiam religionis, qua ab vniuerso orbe Christiano habetur, Sancta Sanctorum appellatur. imagines eius, Imperatorio paludamento conspicuas, orbiculariq; diademate, sanctis viris tantùm appingi solito, seruet ac veneretur. has sacras imagines ante viginti octo annos, dum Romanæ disciplinæ studijs, iuuenis addictus essem, Romanæ Ecclesiæ syderi nunquam occasuro, & Historiæ Ecclesiasticæ vnico illustratori, Illustrissimo Cardinali Baronio, post multa cum illo, discendi gratia, de sanctitate Constantini collata, earum prorsus ignaro, me idcircò pro Dei, & Sancti sui gloria, aperuisse, glorior; quod tantus Heros lachrymis præ pietate effusis, in meum proruens complexũ, magnas se mihi debere gratias; & à iuuene imberbi talia didicisse minimè pudere, disertis verbis, non solùm sit protestatus, sed conscenso curru ad easdem sacras imagines adorandas statim sese contulerit. quantis porrò Deus post mortem, pium principem benignitatis suæ muneribus illustrarit, constat ex Nicephoro lib. 8. capite 55. dum ait: Magna enim gloria postea bonorum conciliatur Deus virum eum, veluti fidelem ministrum cumulauit, sanationum & miraculorum gratia, & vrnæ, & statuæ ipsius, quæ in porphyretici marmoris columna posita est immissa; vt deinceps nulla ægritudo contrectatis eis non cederet, & fides verbi illius Christi impleatur. Ego glorificantes me glorificabo.

Vide Theophil. Raynaudum in Titulis colendi specialiter aliquem Sanctum fol. 400. n. 70.

hæc ille. Diem porrò festum memoriæ sanctissimi Principis magna celebritate & congregatione Episcoporum coli solitum, testis est Ioannes Cantacuzenus Imperator cap. 92. suæ Historiæ libro tertio: quo etiam die tanquàm faustissimo suam inaugurationem in Imperatorem, apud Hadrianopolim factam, hisce verbis describit: Iam verò placuit etiam Imperatorum more coronari, quandoquidem & Patriarcha Hierosolymorum & Episcopi complures coràm adessent, cumq; mandasset artificibus, vt coronam, & alijs vt alia ad eam celebritatem, ceremoniamq; accommodata conficerent, paratis omnibus, à Lazaro Patriarcha Hierosolymorum, mense Maio, quando Constantini Magni, & Helenæ matris eius Apostolis comparandorum memoria colitur, corona induitur. hactenùs Imperator. & capite quarto libri quarti, eodem sacrosancto die vxorem sponsam iuniori Imperatori traditam fuisse scribit, cum ait: Duodecimò Kalendas Iunij, qui dies Constantini & Helenæ clarissimorum Imperatorum memoriæ consecratus est, in eodem templo Deiparæ in Blachernis, iuniori Imperatori vxor tradita est, nam Sophiæ templum elegantia, ac magnitudine quæcumque templa orbis terrarum superans, & veluti quoddam commune Romani Imperij decus atque ornamentum, magnificæq; structuræ, & ambitiosi cuiusdam studij pulcherrimè ædificandi specimen, biennio antequàm Cantacuzenus Byzantium caperet, immani terræ motu conciderat. ita Cantacuzenus. Romani Pontificis obseruantissimus, vt ex eiusdem historia Iacobus Pontanus Soc. Iesu, luculenter describit. idem in notis ad citatum 92. cap. duo cantica eodẽ sacro die gloriæ sanctissimi Imperatoris à Græcis dicata refert ita sonantia: Qui in cælo Crucis tuæ formam aspexit, & vt Paulus non ab hominibus vocatus est, ille inter Imperatores Apostolus tuus Domine, Imperatricem Vrbem in manus tuas tradidit, quam tu qui solus benignus es precibus Deiparæ semper conserua. ita primum Canticum. posterius verò: Hodie Constantinus, eiusq; mater Helena, Iudæis omnibus congregatis, Crucem, lignum omnimodè venerandum proferunt. nos

igitur

igitur pro eo ac merentur collaudemus; per illos enim oſtenſum eſt ſignum magnum, ante ſæcula tremendum. hactenùs Cantica, à Ruthena Eccleſia Romanæ Sedi fæliciſſimè vnita, cum eadem magni Imperatoris ſolennitate perpetuò retenta. Hinc Chriſtiani Orbis Vrbanus Moderator, vt grauiſſimus, ita gratiſſimus antiquitatis æſtimator, vix inito Pontificatu, locum Baptiſmo ſanctiſſimi Principis ſanctificatū, auguſtali maieſtate, pro ea,qua fertur in Auguſtiſſimum Principem pietate,reſtitutum,ad hanc vſque diem illuſtrare non ceſſat. quin ipſius venerandam imaginem, in penetralibus ſacroſanctæ Vaticanæ Baſilicæ,ne illa in hac quoque parte Lateranenſi, & Seſſorianæ concedat, ornamentis viris ſanctitate conſpicuis, appingi ſolitis, exornare curauit; ſub ipſo ſanctiſſimæ Helenæ Auguſtæ ſacello, in quo eiuſdē Reginæ ſtatuam erectam immortalitati cōſecrauit. vt quod Nicephorus paulò ante laudatus de tanto Principe concluſit, verè D. O. M. ſe glorificantes, glorioſiſſimis Eccleſiæ ſuæ locis glorificet. Vltima huiuſce impreſſionis linea ducebatur, cum vir illuſtriſſimus & pro ſuo eruditiſſimi animi candore, & morum innocentia, nunquam ſatis laudatus, D. Ioſephus Suarez Aueniònenſis Eccleſiæ Præpoſitus,proq; ſuo in bonas artes, & præcipuè in hiſtorias illuſtrandas affectu, oſtendit nobis locum ex Iacobi Sirmūdi annotationibus in epiſtolas Sidonij, pro innocentia Criſpi Cæſaris & pietate Conſtantini in eundem filium elucidandam aptiſſimum: Conſtantinus, inquit, Magnus filio ſtatuam argenteam, auro ſuperfuſam, aureoq; capite poſuit, cum hoc titulo, quo famam eius reſtituebat in integrum, & innocentiam poſteris teſtabatur litteris Græcis,ita latinè ſonātibus INIVSTE' DAMNATVS FILIVS MEVS. illum igitur,elogio Conſtantinianæ pietatis, vitæ eius ſanctiſſimæ ſigillum, libenter appoſui, Aurelijs nempè principibus Imperatorio more, aureum.

# VITA S. CONSTANTIAE. FILIÆ. S. CONSTANTINI IMPERATORIS.



IAM post pietatem Auiæ Helenæ, Constantiniq; patrjs, hæreditate possidentis sanctuarium Dei Constantiæ, aliqui Constantinam appellari malunt, sanctissimos mores attingamus, quam successionem dum in Augustissima domo contemplor, occurrit, sacrum illud oraculum facile in eam à Spiritu Sancto directum: Generatio rectorum benedicetur. & illud. Semen cui benedixit Dominus. & sanè cuius gentis studio & pietate Hæreditas seruorum Dei, ad integræ libertatis conditionem est restituta, meritò debuit illa prærogatiua insigniri, quam Deus inter homines, etiam post funera suis impertiri consueuit. iuxta illud Regij Vatis. Cũ dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris. hanc felicitatem Flauiæ, siue Aureliæ domus, ab ipso perpetuo hoste hæreditatis Dei, & veritatis ipsius, fuisse prænunciatam longè ante, testatus est Vopiscus in Aureliano cum ait: Mirabile fortasse videtur, quod compertum Diocletiano, Asclepiodotus Celsino Consiliario suo dixisse perhibet, sed de hoc posteri iudicabunt: Aurelianum Gallicanas consuluisse Druidas, sciscitantem, vtrum apud eius posteros Imperium permaneret: tum illas respondisse dixit: Nullius clarius in Republica nomen, quàm Claudij posterorum futurum. ita Ethnicus scriptor, & quid re vera clarius vnquàm in Romano Imperio, stemmate Claudiano visum? in quo octo Imperatores Augusti,

& to-

& totidem Cæsares numerantur. ipse videlicet Claudius, optimus ab orbe Romano, etiã mortuus prædicatus, vt nũmus apud me existens ostendit. Quintillus frater eiusdem, Constantius, Constantinus, tres eius liberi, & Iulianus demum. Cæsares verò, Crispus Cõstantij auus, Claudij frater Cæsar appellatus, vt ex nũmo itidem apud me extante liquet, omnibus alijs scriptoribus tenebris silentij id inuoluentibus. Crispus itidẽ Constantini filius, eiusdẽ ex sorore nepos Licinianus, ac Nepotianus, ex fratribus verò, Dalmatius, Annibalianus, Gallus, & Procopius, itidẽ nepotes, interq; hos omnes veri luminis fulgore radiantes, quorum vitam descripsimus & cuius describendam aggredimur, præter eos qui posterioribus sæculis, se huius stemmatis seros nepotes esse sunt professi. Constantia igitur Constantini filia fuit. mater eius Mineruina ne an Fausta fuerit, incertum habetur. Faustæ saltem opera credibile est eam impeditam, ne in illa pietate proficeret, quã sanctissimę auiæ studio potuisset imbibere, vt enim ex Glycæ colligitur Annalibus, Fausta in auita impietate in finem vsque infaustissimum perseuerauit. eius tamen opera liberalibus disciplinis exculta fuit. frustrà se porrò curasse ædificare impietatis domũ in generatione quærentium Dominum, vel inuita, antequàm infausto fato vitam concluderet animaduertit, dũ faustissimę pietati filiam vidit cõsecratam. rei seriem authores ex sancto Ambrosio ita tradunt: Cùm Romanæ Virginis Agnetis martyrio clarissimæ gloria magis ac magis celebraretur, factum est, vt ad Constantiam Constantini filiam fama præclari certaminis, & gloriæ eius perueniret. Constantia autem intolerabili quodam cruciatu ita vexabatur, vt nulla corporis pars à vulneribus immunis esset. & quamquàm à Christi sacris aliena, cœcis ignorantiæ tenebris inuoluta esset, humanæ tamen prudentiæ opinione præstans, animum ad quandam salutis spem excitabat. nec mora, habito consilio iter capessit, & ad sacrum beatæ Agnetis tumulum excubans, opem eius assiduis precibus implorabat; donec repentinò correpta sopore, virginem sibi adesse, & hisce ferè verbis alloquentem conspicit: Constanter age Constantia, crede

Iesum

Iesum Christum Saluatorem tuum, cuius bonitate modo integram corporis tui sanitatem consequeris. ad hanc protinus vocem euigilans, sensit se ab omni membrorum ægritudine liberatam, ergo non potuit continere se, quin ingentem lachrymarum vim, præ gaudij magnitudine funderet, & Christum in Agnete ardenti fide amplecteretur, & prædicaret. domum autem reuersa, parentibus & fratribus incredibilem lætitiam attulit. & vt accepti beneficij magnitudinem cunctis declararet, sempiternaq; memoria consecraret, Templum D. Agneti construi, & Mausoleum sibi in eo collocari præcepit. Constantia autem sempiternæ dignitatis amore vehementer accensa, Christo se, perpetuo castitatis vinculo sociauit. cuius spiritu omnes incõtinentiæ motus, non tantum in se oppressit, sed alias plurimas insigni nobilitate Virgines præclaro virtutis exemplo ad suum institutum aggregauit. hactenus ex Agnetis actis, quæ D. tribuuntur Ambrosio. vndè constat, Constantiam Reginam primam in Vrbe Roma, & in orbe Christiano, Virginum choros, Virginem ipsam, Virginis filio, Virginiq; Regum, Reginam Reginas desponsasse, vt sicut Monastici Instituti primatum Ecclesia Catholica Sireno Martyri, vt supra docuimus, ita sanctimonialium Regiam institutionem Constantiæ virgini, Illyricis acceptam referat. reliquum vitæ eius potiùs perstrictum, quàm descriptum ex Actis sanctorum Ioannis & Pauli, à Terentiano cõscriptis, ita habemus: Cum Gallicanus Romani dux exercitus, Persarum gentem, quæ Syriam inuaserat, insigni victoria profligasset; eaq; de causa triũphalibus infulis sublimatus, Augusto Constantino valdè acceptus esset; Constantiam virginem sanctissimam filiam eius, poposcit vxorem. idq; eo tempore, quo Scythica gens, quæ Thraciam occupauerat, infestis sanè armis imminebat; & quia authoritate & potentia valebat plurimũ, Comites & Præfecti, cum vniuerso populo Romano, vt honestissimæ eius postulationi fieret satis, magna vi precum instabant. Constantinus verò Augustus, cum sciret filiam suam, nè morte quidem proposita, à virginitatis amore auellendam, maximo animi dolore cruciabatur, incer-

tus

tus quonam modo ab ijs se difficultatibus extricaret. at filia eius cælesti lumine mirabiliter iam antea illustrata, cum patris solicitudinem studio sanctitatis conaretur excludere, dixit ad eum: Cum certa sim, mi pater, Deum, cui nocte dieq; deseruio, virginitatis meæ curam habiturum, quæso te vt hanc animi solicitudinem quæ te excruciat, missam facias; teq; me illi coniugem daturum promittas; ea conditione, vt si Scytharum gentem felici morte prostrauerit, me Victor simul & Cōsul accipiat; porrò huius sponsionis gratia, duas filias virgines, quas ex amouissa coniuge suscepit, vsque ad nuptiarū diem apud me esse sinat; atque ipse Ioannem & Paulum Primicerium meū apud se comiter habeat, vt & ipse me per familiares meos penitùs cognoscat, & ego vicissim per eius filias clarissimam morum illius, vitæq; instituti cognitionem accipiam. placuit Gallicano virginis prudentissimę oblata conditio, & protinus Gallicani filiæ Constantiæ traditæ, & Eunuchi similiter summa cum humanitate accepti sunt. porrò duæ illæ sorores quarum altera ex ijs, Attica, altera Artemia dicebatur, cum essent liberalibus studijs apprimè eruditæ, facili negotio ad Christi cognitionem, ac fidem ab Augusta adductę sunt. ante tamen dum Gallicanus Scythico bello implicatur, Constantia hisce precibus egisse cum Deo, scribitur ab Antonio Gallonio: Mi Deus, qui meritis Agnetis sanctissimæ non solùm lepra me mundare dignatus es, & lege tua instituere, sed præterea inter sponsas tuas me aggregare voluisti, hanc mihi concedas precor gratiam, vt hæ puellæ & earum parens te cognoscant, & ament. mi pater, mi sponse, Mariæ fili, æterna sapientia, summe, omnipotens, incōprehensibilis, mundi Creator, humani generis Saluator, preces meas exaudi, vota mea respice, has tuas creaturas illumina, tuæq; fidei illis munus impertire: animas hasce quas tuo sanguine redemisti, concede mihi Domine, ita vt ad te conuertantur, aperi os meum Deus, & aures illarum simul, vt perceptis verbis meis salutari lauacro expientur, & tibi æterno sponso iungantur. interim duæ germanæ superueniunt, quas illa amantissimè complectitur. dumq; quotidianis precibus tàm illas

quàm

quàm Gallicanum Deo commendat, fit voti compos. illæ enim datis Christo nominibus, perpetua quoque puritate sese Christo sanctimoniales consecrarunt; & Gallicanus ibidem ad fidem accessit. hæc Gallonius. obtenta itaq; victoria Gallicanus, vt habent acta, glorioso triumpho elatus domum reuertitur, & antequàm Vrbem Romanã ingreditur, rectà ad sacra Petri Apostoli limina pergit: quare Constantinus Imperator, totaq; nobilium aula, quæ ad excipiendum eum debito cum honore parata stabat, vehementer admirati sunt. ipseq; Constantinus Gallicanum toto mentis & corporis habitu supplicationi intentum accedens ait: Gallicane quidnam hoc rei nouæ est, quam ego in te conspicio, quod ad bellum pergens, Capitolium & templa ingressus dæmonibus immolasti, & iam victor è bello rediens Christum adoras, & Apostolorũ limina supplex veneraris? cui Gallicanus: Desine, inquit, admirari, ô Imperator, nam Christum verum, cęli terræq; Dominum ex summa eius potentia cognoui. Cum enim Scythica gens me in Thraciarum Philippopoli conclusisset, stragesq; nostrorum plurimas edidisset, formidante me cum illis confligere, quod exigua mihi esset militum manus, illorum autem innumera multitudo, insistebam sacrificijs, & varias Marti victimas offerebam; & quid multis moror? creuit tandem obsidio, & omnes Tribuni & milites mei se hostibus dedidere. cum autem ego cuperem fugæ aditum reperire, Paulus & Ioannes, quorum alter Præpositus, alter Primicerius est dominæ meæ, filiæ pietatis vestræ, Constantiæ Augustæ, dixerunt mihi: Nuncupa votũ Deo cęli, si te liberauerit fore te Christianum, sicq; eris victor amplius quàm fuisti. fateor sacratissime Imperator, simul atque votum hoc ore meo prolatum est, apparuit mihi iuuenis statura excelsus, ferens in humero Crucem, & dicens: Sume gladium tuum, & sequere me. cumq; ego sequerer illum, apparuerunt mihi hinc inde milites armati, cõfirmantes me, atque dicentes: Nos tibi præstamus officium, tu ingredere castra, & dextra læuaq; tenens gladium euaginatum, respice donec ad Regem ipsum peruenias, ad quem cum peruenissem, prostratus ille ad pedes meos, rogauit vt

sanguini

ſanguini ipſius parcerem. ego flexus pietate, nullum penitùs ex illis occidi iuſſi, atque ita vniuerſa Thracia à Scythis liberata eſt. & Scythæ facti ſunt tributarij: Tribuni omnes qui cum tuis militibus ad me reuerti voluerunt, niſi fierent Chriſtiani, à me minimè recipi potuerunt. eos tamen qui in id conſenſere, gradu ſublimiore affeci, cæteris militia priuatis; porrò me ipſum iam Chriſtianum effectum ita Deo deuoui, vt etiam à coniugio promiſerim abſtinere. en habes quadruplicatum exercitum, habes Scythas tributarios, & omnem Thraciam in libertatem vindicatam. mihi quæſo propitius, ſuccedi iube, vt liberè poſſim vacare religioni, quam didici, & in veritate perſtare, quam profectò cognoui. hæc dicente Gallicano, Imperator miſit ſe in amplexus eius, referens quæ geſta erant circà filias eius. quemadmodum Virgines Chriſto conſecratæ eſſent. deinde cum Auguſto Gallicanus intrauit in palatium, cui beata Helena cum Conſtantia, & duabus eius filiabus, occurrit, fundebanturq; lachrymæ gaudijs plenæ. nec permittebatur in domum ſuam redire Gallicanus, ſed quaſi gener Auguſtorũ in Palatio morabatur, cernẽs filias ſuas in laudibus Dei. hæc acta, quibus deſcribitur quomodò Gallicanus cũ Hilarino ſancto viro ad Oſtia Tiberina ſeceſſit, ibiq; peregrinis excipiendis, vitam tranſegit. Conſtantia itaq; in virginalis vitę inſtituto perſeuerans Romæ, pio patri magna admiratione Romani orbis ſuperuixit, ac demum meritis quàm annis grauior, in pace quieuit. ſed quo anno, nil certi authores tradunt. extat illius memoria tabulis Eccleſiaſticis, duodeuigeſimo die menſis Februarij nobiliſſima. hæc de triplici funiculo ſanctitatis Conſtantinianæ Auguſtalis familiæ, fæcunditatem Regiæ ſanctitatis Illyricanę, mirum in modum nobilitante: & ſuprà omnes humani generis eminentias augente.

# VITA
# S. PLACIDIAE VIRG.
## VALENTINIANI. III.
## IMPERAT. F.



XCIDISSET fermè memoria, locumq; inter fæcunditatem Illyricanæ Regiæ ſanctitatis, profundo ſcriptorum ſilentio amiſiſſet, ac planè latuiſſet inter ſpinas oppreſſi barbarie ſæculi, candidiſſimum pietatis Illyricæ lilium, virgo Placidia, ni religioſiſſimæ Veronenſis Eccleſiæ ſacra monimenta, vtcumque, vtpotè ſobriora quàm præſtantiſſimæ virginis diuturnior ætas acta, expoſceret, illam inter popularium ſuorum Regiam fæcunditatem reponendæ, commoditatem nobis ſubminiſtraſſent, miro diuinæ prouidentiæ in ſuos, & ſuorum gloriæ inter mortales, adlaborantes, argumento: etenim Regiæ ſanctitatis Illyricanæ fæcunditati, vt licuit, vltima manu poſt imagines ſanctorum principum publicatas, impoſita; dum Aureliæ Valeriæ ſacræ Dalmaticæ gentis vnicam nobilitatem typis exprimimus, Valeriæ Veneticæ nobilitatis decus, præſtantiſſimus Veronenſium Antiſtes, dignus Auguſtino patruo, zelo æquè apoſtolico, ac Romana ſacra purpura, in omne æuum nobiliſſimo, nepos, & in ſacra ſede ſucceſſor ſuffectus, Patauini præſulis, ſacriq; Romani Senatoris Petri frater, Albertus, ex antiquiſſimis Eccleſiæ ſuæ notis, quibus anniuerſaria memoria ſacræ virginis apud Veronenſes eſt celebris, opera Ioannis Baptiſtæ Porti, inter Vicentinos ciues & genere, & eruditione nobiliſſimi, quem nuper laborum in Dalmatica apoſtolica viſitatione ſocium, honoris gratia nomino, pia opera, opportunè ſubmiſit materiem, duabus lectionibus expreſſam,

breui compendio vitam exhibentem Virginis; quæ trium augustissimarum familiarum, post Flauiam gentem, subindè sibi succedentium, magno Christianæ Reipublicæ incremento, posteritatem, cum ipsius Imperij Romani defectu occidentem, spectatissimarum virtutum augmento, immortalitati felicissimè restituit. Patrem habuit Valentinianum huiusce nominis tertium, inter Romanos Augustos, natum patre Constantio Illyrico, ex Paneso Cadiæ vrbe, Olympiodoro teste. cuius industria, virtutes Constantij adhuc priuatam vitam agentis, dignissimas imperio, dum inter Illyricanos Cæsares vitam eius descripsimus, cum reliquis eius gestis expressimus; viro pietate Christiana, præsertim verò præclaris victorijs de Romanis hostibus reportatis, in ijsq; sex Tyrannorum Augustalibus insignibus fulgentium, Constantini nempè ac Iuliani Britannorum, Iouini & Sebastiani fratrum Gallorum, Maximi & Attali Italorum triumpho, ipsi Imperatorũ maximo Constantino hac in parte proximè æquãdo. matre verò Placidia magni Theodosij filia; huic quoad nobilitatem generis spectat, quod nulli Augustalium Reginarum ad hanc vsque diem contigisse certum est, accidit. vtpotè quæ præter patrem Theodosium, auum auiq; fratrem Valentinianum & Valentem, auunculos Gratianum & Valentinianum iuniorem, fratres Arcadium & Honorium, nepotes ex patre Theodosium iuniorem & Pulcheriam Augustam, Constantium maritum, & Valentinianum filium, Romanos principes, vndecim numero, vnum post alium sortita est, sui generis illustratores. at quod virtutes eius genere superiores, iniquissimis temporibus illustrat in primis, cãdidissima duo virginitatis sacræ lilia accessere, quibus tot principum successio, dedignata amariora caduci sæculi absynthia degustare, conclusa, & tanquam pretioso sigillo obsignata stetit, fratris Arcadij filia Virgo, eademq; prima ad Regum Reginæ exemplar, vxor intacta, Pulcheria; & neptis ex Valentiniano filio, itidẽ sponsa & virgo Placidia. hęc igitur habuit patrem Valentinianũ, dignum qui ruentis Imperij molem suis, & fortissimis suorum ducum humeris sustentatum retinuisset ab interitu, ni

tyrannorum re & nomine Maximi, inaudito ſcelere, ab Idatio eorum temporum Epiſcopo & ſcriptore grauiſſimo, idcircòq; omnibus alijs præferendo, deſcripto, cum occidentalis imperij gloria, ducibus ipſis par fato, occidiſſet. eo quo in ipſius vita modo iã expoſuimus; Matrem verò Eudoxiam Theodoſij iunioris filiam pietatis eximiæ Heroinam, tertio anno quarti ſæculi, Valentiniano copulatam. cui mirũ illud contigit, nimirùm vt quæ ſequenti à connubio anno, à matre Eudocia ab Hieroſolymitana peregrinatione reuerſa, dono acceptam cathenam, qua princeps Apoſtolorum Petrus ſub Herode rege fuerat conſtrictus, Romæ coràm Sixto Pontifice, cùm contuliſſet cum ea, qua idem Petrus ſub Nerone Romæ vinctus fuerat, & vtraque ita in vnum coiuiſſet, ac ſi vnica ab vno opifice fuiſſet fabrefacta, tanti miraculi memoriæ, pia Regina auguſtiſſimum templũ extruxit, quod Petri Vinculis dicatum, inter ampliſſimas Vrbis numeratur Eccleſias, mox filiam pareret Placidiam, quam poſt mariti funeſtiſſimum fatum, ſuasq; cathenas inter barbaros, vt videbimus, æternum Deo templum conſecraret. auiæ itaq; nomine appellata puella, eiuſdem viuis exemplis, & parentum pietate Rauennæ inſtituta, vbi & in lucem fuerat edita, ex innocentis infantiæ annis, ad adoleſcentię puriſſimæ ætatem progreſſa, magnis virtutum Chriſtianarum aucta eſt incrementis: eò tamen illuſtrioribus, quòd inter Regalis aulæ ſplendorem, humilitate piæ virginis ab hominum, ipſorumq; parentum oculis ſubtractæ, Deo, qui eiuſcemodi modeſtia mirum in modum capitur, communi tamen bono, illas diutiùs deliteſcere minimè patiente, in eum, qui ſequitur modum authore innotuere. ægrotauerat grauiſſima vi morbi Valentiniani filia Eudocia, Veronenſibus ſacris monimentis Honoria dicta, Placidiæ ſoror, iamq; medicorum eluſa induſtria, exigua in ſpe animam vix retinebat; cum nocte intempeſta, ſomnum inter & vigiliam, Eudoxiæ matri ob filiæ morbi acerbitatem, ingenti mæſtitia afflictæ, adfuit ſpecies viri veneranda canicie conſpicui, amictusq; maieſtate venerandi, ſolantis dolore merſam, & affirmantis, filiam violentia morbi proſtratam, ac fermè exanimem, me-

ritis & interceſſione Placidiæ, vitæ reſtituta, valere incolumem. proſilit è ſtrato Auguſta, accurrit anxia ad filiam, quam vbi iuxtà è cælo lapſi viri verba, ex ſemimortua, repentina ſalute conualuiſſe cognouit, Placidiam ſumma veneratione de cætero eſt proſequuta. at virgo humilitatis ſtudijs eò magis inſiſtens, ieiunijs, orationibus, pauperibusq; ſubleuandis addicta, omnia aliorum oculis occultare ſatagebat. nequit tamen ſolida virtus intrà domeſticorum parietum contineri penetralia, cæleſti ſponſo, ſponſas ſuas in terris adhuc agentes, glorificante: extruxerat auia Placidia extremo maris periculo perfuncta, Euangeliſtæ Ioannis auxilio, eiuſdem memoriæ, molis eximiæ Baſilicam, intra vrbis Rauennæ mœnia. è cuius ſummo culmine, cum vir quidam Annianus nomine, præceps deorsùm corruiſſet, fractisq; oſſibus, & mēbris conuulſis, proximam mortem expectaret, orante virgine conſolidatis repentè membris, priſtinā integritatem recepit. vndè quò magis Placidiæ virtus per ora virum volitare cæpit, eò ſtudioſius illa, aulicorum, matronarum, ipſorumq; domeſticorum, conſortia & alloquia deuitauit. vt ſemper ſe ipſa maior in Chriſti ſcholæ inſtitutis proficeret; nec tantùm tranquillis rebus Romanis, & parentū florente imperio, ſed Valentiniano interfecto, ipſa demùm cum matre & ſorore in Africam, à Gezerico ſæuiſſimo Vandalorum Rege captiua abducta, virginalis inſtituti perpetuò tenax perſtitit, vt Rex barbarus, Eudocia eius ſorore Honorico filio & Regni hærede, matrimonio iuncta, eandē cum matre, Conſtantinopolim, inſtante Leone Imperatore remiſerit. noui ſcriptores omnes qui poſt Procopium ſcripſere, ipſosq; noſtri æui præſtantiſſimos, Sigonium & Baronium, Valentinianum inſidijs Maximi Tyranni idcircò ſublatum tradidiſſe, quòd Valentinianus Maximi vxorem anteà conſtupraſſet. at falsò tantùm crimen optimo principi imputari, patet, vt diximus, ex Idatio ea tempeſtate res ſuo tempore contingentes ſcribente: Maximum, nulla ſtupri adulterijve mentione facta, in occiſorum per Valentinianum, & in ipſius Valentiniani interitum, ambitu Regni tantùm conſilia ſceleſta patraſſe. ſimilia Idatio Marcellinus quoque

in

in ſuo Chronico illorum temporum res continente tradit, dum ſine vlla ſtupri mentione, Valentinianum & Ætium dolo Maximi, ſcribit interijſſe vtrumque. excuſatione tamen dignos maximos noſtri æui ſcriptores Sigonium & Baronium cenſeo, quatenùs Procopium ſequuti, ſcelus immane Valentiniano adſcripſerint, cum Idatij Chronicon poſt eorum obitum in lucem fuerit editum; ita vt rei veritatem minimè agnouiſſe potuerint. mirari tamen ſatis non queo Baronium tot, quæ Valentiniano mala contigerunt accepta referre ſanctioni ab eodem principe quinquageſimo ſecundo anno quarti ſæculi contrà immunitatẽ fori Eccleſiaſtici editæ, cum biennio poſt extet data ab eodẽ ac Marciano altera ſanctio, qua priuilegia pridem Catholicis Eccleſijs conceſſa ſunt reſtituta. & quamuis idem Baronius in Valentinianum iniquior contendat eiuſcemodi ſanctionem Marciano tantùm authore editam, pace tamen tanti viri, conſtat contrarium, cum ibi primo loco nomen Valentiniani legatur, & reſtitutio priuilegiorum, non Eccleſijs ſub Marciani ditione, ſed vbique terrarum conſtitutis, ante cladem Ætij, Valentinianiq; interitum ſit promulgata, cum data legatur, Ætio & Studio Conſulibus. vt paulò poſt ex ipſa ſanctione in vita Marciani proponenda patebit. Et vt omnes fermè ſcriptores conueniant, poſt Valentiniani interitum Gezericum Vandalorũ Regem Eudoxiæ in Maximum mariti ſui interfectorem furentis hortatu, Romam inuaſiſſe ac diripuiſſe; ego tamen ægrè de pijſſima Regina quid tale crediderim, tum quia Maximus duobus, vt alij tradunt, tribus menſibus vix Valentiniano ſuperſtes, à populo Romano in vltionem Valentiniani diſcerptus fuerit, vt impoſſibile videatur adeò exigui temporis ſpatio potuiſſe Eudoxiam nuncios in Africam tranſmittere, ibiq; Claſſem Romæ opprimendæ aptam exornari; tum etiam quia Eudoxiam cum filiabus, non vt amicam, ſed vt hoſtem captiuam à Vandalo Rege conſtat abductam. præterea quia, vt habet Theodorus lector, Marcianus Imperator cognitis quæ contra Romanam ciuitatem & Imperatrices ab Afris fierent, pro maieſtate imperij commotus ad bellum ſe parauit.

at non video cum Marcianus princeps integerrimus, qui olim ex captiuo liber à Gezerico effectus, perpetuæ pacis fœdera cum suo liberatore pepigerat, pactisq; perpetuò steterat, bellum contrà eundem paulò post moriturus præparasset, miseratione Imperatricis, quæ sibi suisq; tantum procurasset infortunium; cum Roma vel Occidentale Imperium nequaquam ad illum, sed ad Auitum Maximo suffectum, spectaret: multò minùs cur Leo qui post Marcianum regnauit, Imperatricis libertatem instantissimè solicitasset, eademq; difficilè obtenta Reginam cum filia Placidia Regio honore Constantinopoli excepisset, si ream sceleris, quod illi imputatur, agnouisset. huc accedit, quod Sidonius Apollinaris Valentiniano infensissimus, vt eum per cõtemptum semiuirum appellet, extollendo Auitum qui à Maximo tyranno ad honores fuerat euectus, Romam à Gezerico improuiso latrocinio captam canit, cum ait:

*Intereà incautam furtiuis Vandalus armis*
*Te capit:*

ita Apollinaris alloquens Romam in suo ad Auitum carmine Panegyrico. cæterum Placidia cum matre & Eudocia sorore in Africam abducta libertatem spiritus inter vinctos, virgo inuicta semper seruauit. hinc Gezericus Eudociam eius sororem Honorico filio Regni hæredi, dedit vxorem. virginem verò cum matre Eudoxia Leone instante, post biennium fermè remisit Constantinopolim. verùm, vt est proprium Dei, ex aduersis prospera, ex malis bona, elicere; dum Eudoxiam filiam cum nepotibus, post Valentiniani generi necem Eudocia Augusta captiuas inter Afros agnouit, caducitate rerum humanarum perpensa ex animo, ex hæresis Eutychianæ errore resipiscens, ad fidei Catholicæ vnitatem sese recepit, vt ex Cyrillo Monacho in vita S. Euthymij scribit Baronius. Placidiam porrò Olybrio Senatori ex antiquissima Aniciorum familia desponsatam fuisse, consentiunt authores. at eam in virginitate perseuerasse, monimenta Veronensia, & Ecclesiasticæ tabulæ satis declarant. vnde cum Nicephorus scribat Placidiam antè captiuitatem fuisse desponsa-

tam

tam Olybrio, eamq; ob causam libertati restitutam, facilè mihi persuadeo, cum intereà in manus barbarorum incidisset, reuersam Constantinopolim, ita cum Olybrio sponso conuenisse, vt reliquum vitæ spatium, in arreptæ virginitatis proposito liceret sibi transigere. præsertìm cum eiuscemodi perseuerantiæ recentia tunc extarent exempla Marciani & Pulcheriæ Augustorum, gloria virginitatis in matrimonio seruatæ præstantissimorum. Constantinopoli Placidiam matri superstitem diu vixisse verosimile censeo, proprijsq; ædibus ab Imperatore assignatis, pietatis exemplo Regiæ vrbi & Aulæ præluxisse. quas ædes Placidiæ nomine appellatas, posterioribus temporibus hospitio Legatorũ Romanorum Pontificum inseruiuisse, inde colligo, quod pleriq; eorum in Placidiæ ædibus egisse, quamdiu Constantinopoli moram traxere, legantur apud Anastasium, aliosq;. post matris obitum Hierosolymitanam peregrinationem auiæ Eudociæ exemplo, magna pietate, biennio in sanctis Palestinæ locis exactis peregit. inde ad Regiã Vrbem reuersa, in Italiam rediens, Venetias nuper coalescentes in eam quam terrarum orbis Vrbem admiratur, appulit. inde Veronam animi gratia diuertens proposito Rauennam redeundi, puellæ cuidam Drudæ nomine, Orabilis Veronensis ciuis filiæ, auditum & loquelam, quorum vsu carebat, à Deo impetrauit. quare ciuium precibus diutiùs ibi morari coacta, vertente anno, grauissimo febris morbo correpta, quinto idus Octobris, ad cælestem sponsum Virgo migrauit. multisq; miraculis illustris, in æde Prothomartyri Stephano dicata, magno Veronensium mærore sepelitur. extat tabulis Ecclesiasticis celebris eius memoria prædicto die quinto idus Octobris consignata, verbis eiuscemodi. Veronæ sanctæ Placidiæ Virginis. apud quam Ecclesiam duarum lectionum sacro officio dies eius festus quotannis piè recolitur.

# VITA MARCIANI EXIMII IMPERAT.



ARCIANVM Principem, non vt virum ſanctorum albo ab Eccleſia adſcriptum, inter principes fæcundæ ſanctitatis Illyricanæ adnumero, ſed qualem Chriſtiani quique Reges obſeruãdum & imitandum ſibi proponant digniſſimum. & quidem, ſi D. Hieronymus ethnicũ Philoſophum Senecam inter Eccleſiæ Chriſtianæ ſcriptores, ob ſolam amicitiam cum Paulo Apoſtolo familiaribus epiſtolis cultam, retulit, Marcianum inter Catholicos Imperatores ſpectatiſſimum, & quod ante illum in nemine principum veteris æquè ac nouæ legis eſt auditum, quatuor annorũ coniugio cum Pulcheria virgine, ſeruato pari continentia, nobiliſſimum, omnibusq; alijs ſummis virtutibus eminentiſſimum, omiſiſſe nefas, ſuaſit nuper & perſuaſit, vir inter Illyricos nobilitate generis, tum apoſtolicorũ morum prẹſtantia, litterarumq; ſacrarum peritia præſtantiſſimus, Franciſcus Lignicenſis, Iadrenſis Eccleſię Archidiaconus, ſacræ antiquitatis obſeruantiſſimus Sicẽſis patricius. Adeſt itaq; Flauius Iulius Valerius Marcianus, Theodoro teſte, Illyricus, Thracia gente prognatus. qui magnanimitate Chriſtiani pectoris, naturæ vim nullam prorſus eſſe, vbicumque Chriſtiana virtus radicibus inſederit, vnico Deo duce, magno poſteritatis bono declarauit. is enim primus ex ſummis terrarum Regibus, coniugale thorum, Angelica puritate ſeruari poſſe, raro exemplo edocuit. Regnum diuino placito illi deſtinatum fuiſſe, teſtatur Nicephorus, dum de Theodoſio iuniore proximè morituro ſcribit; eum Epheſum veniſſe ſanctũ Ioannem

illum

illum Virginem & Euangelistam honoraturum, templumq; illius ingressum orationi sese dedisse, in qua quis ei in Imperio Romano successurus esset, cum à Deo edoceri petijsset, rem totam percepisse. quare Constantinopolim rediens euocata sorore Pulcheria, de Marciano Tribunitio viro locutum esse, Deo gratum placitumq; esse, vt ille post se Romanam administraret ditionem. Euagrius Marcianum, dum Philippopolim militiæ nomen daturus, æmulatione professionis paternæ contenderet, impegisse scribit in cadauer hominis occisi, cui astans; erat enim, inquit, cum in alijs vitæ officijs facilè præstantissimus, tum propensissimus ad misericordiam, factum admodum miseratum esse, & dum cupidus fratri iusta persoluendi, diutiùs ibi moraretur, ad magistratum delatum tanquàm mortui interfectorem, quæstioniq; subiectum, negantem licet; morti damnatum fuisse; cumq; iam pœnas homicidæ persoluturus esset, ex improuiso, diuina gratia cædis authore deprehenso, Marcianum capitis periculo liberatũ fuisse. prosequitur Euagrius quod inde ei in omen Imperij contigerit: mirandum, inquit, in modum ereptus discrimine, ad quandam militum turmam ibi accolentium venit, cupiens in eorum numerum nomen dare; illi admirati hominem, & præpotentem fore certis coniecturis augurati, libentissimè eum admittunt, inq; suorum album referunt, neque ponunt in infimo loco, sed ad quendam honoris gradum, quem vir nuper mortuus, cui nomen erat Augustus, obtinuerat, Marcianum, qui item Augustus appellabatur efferunt, inq; album scribunt, sicut nomen quo donantur Imperatores nostri vnà cum purpura (vocantur Augusti) priusquàm potiretur Imperio obtinuit. hæc Euagrius. idẽ aliud etiam augurium regni eius in Africa, vbi cum alijs bello captis militibus captiuus tentus fuerat describit; cum enim aliquando dormiens in campo, Rex Gezericus Aquilam alis ipsum dormientẽ ab imminente solis feruore protegere conspexisset, omen imperij futuri id esse coniectans, optimè habitum, & perpetuò pacis & amicitiæ fœdere cum illo, quandocumque peruenisset ad regnum transacto, liberum abire permisit. Pomponius quoque

Letus

Letus simile portentũ in Licia ægrotanti contigisse tradit, quamobrem à duobus fratribus Iulio & Tatiano in proprias ædes exceptus, & post humanitatis eximiæ officia muneribus etiam cumulatus ab ijsdem, Imperator factus, alterum Illyrici præfectura, Constantinopolitana alterum, beneficij ab eis accepti memor honestauit. vt hominem pietati natum, tot signis bono reipublicæ Christianæ, per ea tempora afflictissimæ, à Deo sceptris destinatum agnoscamus. mortuo ergo Theodosio, & opera Pulcheriæ à Senatu Imperator acclamatus, primò omnes qui ob religionem Catholicam exulabant, teste Cedreno, ad suas reuocauit Ecclesias, & patrias. erat enim Marcianus, vt idem scriptor ait, vir temperantia ac æquitate insignis, & rebus gerendis aptissimus, venerabilis, moribus sanctis, in facie ruborem gratia temperatum habens, magnanimus, auaritiæ vacuus, temperans, religiosus, & de fide rectè sentiens, miseratione peccantium præditus, cæterùm profanarum litterarum atque disciplinarum imperitus. ita ille. Imperator factus, & virgo in posterum futurus, Virginis & Augustæ Pulcheriæ maritus, ad Leonẽ Romanum Pontificem, litteras suæ in Deum pietatis, & in eius in terris vicarium, obseruantiæ dedit eiusmodi: Ad hoc maximum imperium venimus Dei prouidentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæq; militiæ; vnde pro reuerenda & Catholica religione Christianæ fidei, cuius auxilijs virtutem nostræ potentiæ cõfidimus gubernari, tuam sanctitatẽ PRINCIPATVM IN EPISCOPATV diuinæ fidei possidentem, sacris litteris in principio, iustum credimus alloquendũ; inuitantes atque rogantes, vt pro firmitate statuq; nostri imperij, æternã diuinitatem tua sanctitas deprecetur, vt & tale propositum atque desiderium habeamus; quatenùs omni impio errore sublato, per celebrandam Synodum, te auctore, maxima pars circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura, & intemerata consistens. Actum Constantinopoli &c. ita pius Imperator exordia sui imperij à pietate auspicatur, quarti sæculi anno quinquagesimo: mox aduenientibus Leonis legatis Constantinopolim, ad eandemq;

demq; vrbem Catholicis Episcopis vndique euocatis, plurima pietati, Ecclesiasticæq; disciplinæ fermè collapsæ, hæreticorum perfidia, Theodosijq; iunioris conniuentia, sunt constituta, dum interea Vniuersale Concilium ad Nicęam vrbem indictum, ex toto terrarum orbe congregatur. quod tamen paulò post ob hostiles Hunnorum motus, Illyricum turbantes, Marciano agente, Chalcedonem, vtpotè regiæ vrbi proximã ciuitatem, est translatum. quo pòstquam sexcenti triginta Patres conuenerunt, adfuit & Marcianus ipse sacro conuentui, non ad confirmandam fidem, vt prima die qua interfuit, est protestatus, cum hoc Episcoporũ munus esse proprium affirmauerit, nec ad ostendendam virtutem tanquàm Imperator; verùm exemplo Imperatoris Constantini, ne in posterum multitudo populi (verba eius sunt) institutionibus prauis attracta inueniatur dissentiens. ita pius princeps illa prima Patrum sessione, quæ eadem verba, longiori tamen oratione, primò Latino, mox Græco sermone, septima sessione, cũ Pulcheria Augusta, ac magistratibus, sacra ingressus comitia, repetijt: post quæ verba, vt ipse nouus Cõstantinus, ab vniuersis Patribus est acclamatus, ita Pulcheria Helenæ nomine salutata. at quanta modestia Marcianus ergà sacrum conuentum se gesserit, inde est videre; quòd cum haberet in animo aliqua religioni Christianæ sancire proficua, abstinuerit ipse tanquam Imperator illa publicare, malueritq; præmissa modestissima rogatione, quam acta Concilij exhibent, vt à Patribus sancirentur. licet enim Imperatorem se agnosceret, ouem tamen pastoribus sese subiectam fateri, Heroica pietate non dedignatus est. vt iure merito apud Metaphrastem 11. Iulij, Cõstantinus Episcopus in Oratione de inuentione reliquiarum S. Euphemiæ: Marcianum beatæ memoriæ, piè & sanctè dixerit imperasse. & sanè vel frequentissimus tot Patrum conuentus, pietatem eximiam principis commendat, ille enim omnes humanissimè exceptos; liberalissimè habitos, summa libertate munere suo Pastorali ac Senatorio perfunctos, mira tranquillitate sedatis religionis negotijs, ad sua remisit. eadem humanitate, & patientissima pietate, Auxentium

Mona-

Monachorum per ea tempora sanctissimum, ad assentiendum tot Patrum decretis induxit. cuius facti iucundissimam historiam, ab eorum temporum scriptore traditam, ad quartam decimam diem Februarij apud Surium est videre. Absoluto Concilio, pietate princeps exæstuans, gẽtilicæ superstitionis reliquias eiuscemodi sanctione est insectatus. Nemo venerandi, adorandiq; animo delubra, quæ iam olim clausa sunt reseret. absit à sæculo nostro infandis, execrandisq; simulacris honorem pristinum reddi, redimi sertis templorum impios postes, profanos aris accendi ignes, adoleri in ijsdem thura, victimas cædi, pateris vina libari, & religionis loco existimare sacrilegium. quisquis autem contra serenitatis nostræ sanctiones, & contra interdicta sanctissimarum veterum constitutionum sacrificia exercere tentauerit; apud publicum iudicem reus tanti facinoris accusetur, & conuictus proscriptionem omnium bonorũ suorum, & vltimum supplicium subeat. conscij criminis, ac ministri sacrificiorum eandem pœnam, quæ in illum fuerit irrogata, sustineant; vt hac legis nostræ seueritate perterriti, metu pœnæ desinant sacrificia interdicta celebrare. Quòd si vir clarissimus Rector prouinciæ post accusationem legitimam, & post crimen in cognitione conuictum, tantum scelus dissimulauerit vindicare, quinquaginta libras auri ipse iudex, quinquaginta etiam officium eius confestim fisco nostro inferre cogatur. hæc zelo propagandæ pietatis flagrans Imperator. pro firmitate porrò Chalcedonensis Concilij solicitus, hæc sequenti anno edixit: Tandem aliquando quod summis votis, atque studijs optabamus, euenit: remota est de Orthodoxa Christianorum lege contentio. tandem remedia culpabilis erroris inuenta sunt, & discors populorum sententia in vnum consensum, concordiamq; conuenit. cesset igitur iã profana contentio. nam verè impius atque sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum reliquit: extremæ quippè dementiæ est, in medio & perspicuo die commenticium lumen inquirere. qui enim post veritatem repertam aliquid vlteriùs discutit, mendacium quærit. nemo itaq;

vel Clericus, vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana, publicè turbis adunatis, & aduenientibus, tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidię occasionem requirens; nam iniuriam facit religiosissimæ Synodo, siquis semel iudicata, ac rectè disposita, reuoluere & publicè disputare contendit; cum ea, quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, iuxtà apostolicas expositiones, & statuta sanctorum Patrum, trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, definita esse noscantur. hæc Imperator: quibus addit mulctas & pœnas contraria audentibus præscriptas. Monachos præterea per Palęstinam hæretica labe infectos, datis mitissimis epistolis, ad veritatis semitam studuit reuocare: nec quidquam eorum pius princeps omisit, quibus Catholicæ puritati posset prodesse. hinc ea quoque, quæ à prędecessore suo Theodosio contrà sanctum Flauianū Cōstantinopolitanum Episcopum lege statuta fuerant, rescripto suo, pietatem cognationi præferens, prorsùs aboleuit; multisq; subindè legibus latis hęreticos exagitauit. quibus dum omni studio totus incumbit, Pulcheriam Augustam sanctissimo fine functam amisit; omniaq; ab illa pijs vsibus ingenti liberalitate legata executus est. post cuius obitum in arreptæ castitatis obseruantia, vsque ad vitæ finem perseuerauit, nè magis regni terreni, quàm cælestis ambitu, difficilimam humanarum virtutum castimoniam videretur amplexus. extat mirificæ eius pietatis in Deū eiusq; Ecclesiam, necnon Ecclesiarum ministros nobile argumentum, ex fragmento sanctionis, à Baronio relatæ: vnanimi consensu, vt ex titulo patet, cū Valentiniano Imperatore promulgatum, eiuscemodi: Priuilegia quæ generalibus constitutionibus vniuersis sacrosanctis Ecclesijs Orthodoxæ religionis retrò Principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuū decernimus custodiri. Omnes sanè pragmaticas sanctiones, quæ contrà Canones Ecclesiasticos interuētu gratiæ vel ambitionis elicitę sunt, suo robore & firmitate vacuatas esse præcipimus. Et quia humanitatis nostræ ęst egenis prospicere, ac dare operam, vt pauperibus alimenta non desint; salaria etiam quæ sacrosanctis Ec-

clesijs, in diuersis speciebus de publico hactenùs ministrata sunt, iubemus nunc quoque inconcussa, & nullo prorsus imminuta præstari; liberalitatiq; huic promptissimæ, perpetuam tribuimus firmitatem: hactenùs lex, siue legis fragmentum verè principibus omnibus maximè curandum, si salutis sibi cura est aliqua. magna hactenùs hæc à magno pietatis cultore lata videri possent alicui, vt à Principe viribus omnibus in Dei gloria promouendâ, & piorum incolumitate curanda intento; sed quæ in huiusmodi finem cum abrogatione, antecessorum principum, specialiter expressorum, legum; sexto imperij sui anno edidit, maxima perpetuo sunt habenda: Sæpe, inquit, materiam scribendi, ferendisq; legibus, negotia inopinato exorta suppeditant; & aut nouas constitui sanctiones, aut duriùs & asperiùs latas faciunt abrogari: æqualis enim in vtroque æquitas est, vel promulgare quæ iusta sunt, vel antiquare quæ grauia sunt. Nuper cum de testamento clarissimæ memoriæ Hypatiæ, quæ inter alios virum religiosum Anatolium presbyterum in portione manifesta bonorum suorũ scripsit hæredem, amplissimo Senatu præsente, tractaret pietas mea; & dubium videretur, an veræ esse deberent hæ voluntates viduarum, quæ testamento suo aliquid his Clericis relinquunt, qui sub prætextu religionis, huiusmodi fœminarũ domos adeunt; cum lex diuæ memoriæ Valentiniani & Valentis, & Gratiani, ecclesiasticos, vel eos qui se continentium volunt nomine nuncupari, nihil quacumque libertate viduarum extremo iudicio permittat adipisci; contrà verò hæc diuæ memoriæ Valentiniani, Theodosij, & Arcadij constitutio legeretur: Inspicientibus & æstimantibus nobis latoris animum; visum est iusta ac rationabili pœnitentia priorum constitutionum vigorem antiquare voluisse; nam cum in prima lege viduarum tantummodò mentio fiat, in secunda autem tantummodo Diaconissarum; intelligitur, eam constitutionem, quæ viduarum & diaconissarum meminit; de lege vtraque dixisse; quod cum, de voluntate latoris, & de sanctione legis nobis videretur, vniuersum testamentum nobis iussimus relegi, atque replicari; & cum repertum fuisset alias

quoque partes eiusdem voluntatis ita iustè & prudentèr institutas; vt nullum benè de se meritum neglexerit, multa sacrosanctis Ecclesijs, multa pauperibus, multa Monachis religionis intuitu, multa captiuorum redemptioni, commota miserabili eorum sorte contulerit; alteram quoque partem institutionis, in qua Anatolium presbyterum reliquit hæredem, aduertimus ordine fuisse dispositam; ea enim mobilia quæ plurimis iustè ac piè reliquit, per hunc voluit vniuersa compleri, vt non solùm hæredis, sed etiam dispensatoris fungatur officio. ideo huiusmodi clarissimę memoriæ Hypatiæ voluntatem, etiam in ea parte, qua Anatolium presbyterum instituit hæredem, mea auctoritate firmaui. Sed ne in posterum vel ex prioribus constitutionibus, quarum fecimus mentionem, & quas nunc præcipio penitus abrogari; vel ex præsētis negotij dubitatione aliquid fortè relinquatur ambiguum, securitati vel fiduciæ morientium prouidentes, generali perpetuoq; victura hac lege sancimus, vt siue vidua, siue diaconissa, siue virgo Deo dicata, vel sanctimonialis mulier, siue quocumque alio nomine religiosi honoris vel dignitatis fœmina nuncupetur, testamento vel codicillo suo, quod tamen alia omni iuris ratione munitum sit, Ecclesiæ vel Martyrio, vel Clerico, vel Monacho, vel pauperibus aliquid; vel ex integro vel ex parte, in quacumque re, vel specie, crediderit relinquendum, id omnibus modis ratum, signatumq; consistat, siue hoc institutione, siue substitutione, siue legato, aut fidei commisso per vniuersitatem, vel specialiter, siue scripta, siue non scripta voluntate fuerit relictum, omni in posterum de eiusmodi negotio ambiguitate submota. donationibus etiam vel qualibet liberalitate tàm viduarum, quàm diaconissarum, siue virginum quæ Deo dicatæ sunt, vel sanctimonialium quæcumque in Ecclesiam, vel Martyrium, vel Clericum, vel Monachum, vel pauperes collata fuerint, pari robore firma esse præcipio. hactenus Marcianus animo principe Christiano dignissimo. Deo pro cuius ipse gloria indefessus agebat, imperij eius limites ab omni hostium impetu illæsos tuente, vt toto sui imperij tempore perpetua pace

Orien-

Orientale regnum sub Marciano sit gauisum. vltimo imperij anno, cum accepisset quæ Gezericus in Vrbem Romanam post Valentiniani mortem patrauerat, & quomodò Eudoxiam cum filiabus captiuas detineret in Africa, bello illum aggredi decreuit, quamuis eo tempore quo ab eodem Gezerico olim miles fuerat libertate donatus, perpetuam pacem, vt diximus, cum illo pactus fuisset: cum itaque vt tradit Theodorus, Marcianus ad supplicationes quæ in campo fiebant egressus, multa largitus esset egenis, & Anatolio Episcopo suasisset, vt secundum consuetudinem vrbis illius Episcoporum, à Tauro vsque ad campum vectus supplicaret, pedibus supplicationem peragens, Episcopo idem agendi fuit author. peractaq; supplicatione vitam cũ morte commutauit. quinquagesimo septimo anno quarti sæculi. mores eius describens Euagrius; hæc ait: Sicut pietate erga Deum, sic iustitia erga subiectos admodum excelluit; diuitias putauit, non quæ sunt conditæ in thesauro, aut ex tributis collectæ, sed eas solùm quæ possint, tum his qui opis indigent, subsidio esse, tum illis qui multa possident vitam tutam, securamq; præstare. suis erat formidini non in puniendo, sed ne aliquando puniret. ac propterea imperium ei non fuit hæreditas, sed virtutis præmium. hæc Euagrius. Nicephorus verò Callistus lib. 15. capite itidem quintodecimo: Marcianus, inquit, multa religione & sanctitate vir; vt qui in supplicationibus publicis alijs præierit, & maximam indigentibus pecuniam præbuerit; si quis alius, & ipse Christianissimus, Imperij administrationem veluti monumentum vitæ piè agendæ hominibus reliquit. eo imperante in Romana ditione tranquilla pax fuit, vt tum aurea existimarentur esse sæcula. hactenùs Nicephorus. Cardinalis Baronius repetitis quæ à Nicephoro, alijsq; de illo scribuntur, subiungit: Celebratur & admiranda eius tum corporis tum animi castitas; vt non tantùm ab alienis abstinens fuerit, sed quam accepit Augustam virginem, coniugem virginem pariter transmiserit ad Christum, primum eius sponsum in cælis, cum eo perpetuo regnaturam; atque demum vt vna sententia plura, tanquàm vno

fasce perstringam, vix sit reperiri inter Constantinopolitanos Imperatores aliquis post Constantinum, qui cum Marciano conferendus videatur. quod igitur robore bellico, atque religione polleret, in numismatibus galeatus, & dextera iaculum tenens exprimitur, ex parte verò altera, insignis Cruce gemmata victoria collocatur. hæc Baronius, qui ipsum numisma aureum ibidem exponit. celebratur à scriptoribus Marciani sententia Christianis principibus, vtpotè pacis hæredibus à Christo relictis & institutis, omnino seruanda: IMPERATORI ABSTINENDVM BELLO, QVANDIV HONESTA PACE FRVI LICERET hæc de Marciano Principe, quinque dotibus à Bellarmino Cardinali in Christiano moderatore requisitis, illustrissimo sanctissimoque.

FL.

# FL. VALERIVS GLYCERIVS IMP. ET EPISCOPVS.



IRCVMAMICTAM varietatibus fæcunditatem Illyricanæ Regiæ ſanctitatis, ijsq; planè miris ad verum Catholicæ Eccleſiæ parentis exemplar, poſt tot Regias propagines omni varietate virtutum inſignes, poſtq; ipſum Regum miraculum Marcianum, occurrit nobis Flauius Valerius Glycerius Virgo, & Auguſtus, poſt Auguſtũ virginali gloria inter faſces & arma principem. idemq; præter virginitatis prærogatiuam, & imperij maieſtatem, Epiſcopalis eminentiæ ſublimitate, ad hanc in orbe Romano diem, vnicus; quem, ſicuti & Marcianum, nequaquam publicis Eccleſiæ tabulis ſanctitatis titulo clarum, at inter Eccleſiæ Salonitanæ per Domnum martyrem Principis Apoſtolorum diſcipulum fundatæ, aliorumq; plurium Chriſti confeſſorum ſanguine purpuratæ, Præſules, ſanctitatis opinione memorandum, eiuſdem Eccleſiæ Archipresbyter Vincentius de Franciſcis, morum candore, ingenijq; amænitate inter Dalmatas facilè princeps, cum ex antiquiſſimis dictæ Eccleſiæ notis, dignum quem ſacrę fæcunditati Illyricanę adnecterem, præclaris probauerit memorijs, quo tempore tanquàm apud illius ſacri fori Vicarium, Capitulariũq; negotiorum ſummum curatorem, reſidebat, magno meo commodo, ſuprema authoritas, abſque magno gentis meæ præiudicio, omittere hic nequaquam potui. Glycerius itaq; nobiliſſima totius Dalmatiæ vrbe genitus, vt ex dictis memorijs à Marco Marulo Dalmatarum ante centum annos, pietate, eruditioneq; nobiliſſimo collectis, conſtat; ex primario ciue, militaribus

mune-

muneribus addictus, breui per omnes gradus, ad Tribunatum ascendit, Valentiniano Imperatore, Ætij popularis sui Ducis fortunam sequutus. sed infortunio eiusdem ducis per absentiam ab Vrbe euitato, infelicissimorum temporum fluctus perosus, in otium sese recepit. at post Maximum Tyrannum, Auito quoque sublato, Maiorano itidem post quadriennale imperium, Seueri fraude necato in Hispania, sed & Seuero quinto regni anno Ricimeris Gothi Romani patricij dolo intereunte, sub Anthemio principe, quem Leo Orientis Imperator occidentalibus principem præfecerat, cum Marcellino patritio inter Dalmatas ditissimo, in Italiam virtute militari pridem conspicuus redijt: vbi Marcellino contra Vandalos singulis annis in Italiam inuadentes, eoq; tempore Siciliæ incubantes, egregiam nauauit operam reipublicæ: verum Marcellino interfecto dolo Romanorum pro quibus pugnabat, vt alter Marcellinus in suo Chronico testatur, sexagesimo octauo quarti sæculi anno; Anthemio etiam à genero Ricimere occiso, Olybrio itidem post Ricimeris mortem vix septimestri gustato Imperio; à Gothis extincto; septuagesimo tertio illius sæculi anno; Glycerius qui tunc temporis forte Rauennæ agebat, authore Gundebado inter Gothos principe viro, sumpsit Imperium, quod & innata mansuetudine, & sancti Epiphanij Ticinensis Episcopi consilijs, ita gessit, vt reipublicæ in pristinum statum restituendæ, bonis omnibus spes affulsisse videretur. scribit Ennodius in vita S. Epiphanij: Glycerium postquàm accitus est ad Imperium, Epiphanium tanta veneratione coluisse, vt non solùm plurimis extremo supplicio destinatis, illo volente ignouerit, sed illatam matri, à ditionis suæ hominibus iniuriam, quoque concesserit. sedatis Imperij turbis; Gothos qui passim oberrabant per Italiam, magnis muneribus Vidimiro eorum Duce effecto, teste Iornande; transtulit in Gallias. sed qui pacem Italiæ pepererat, hostibus magna dexteritate longè remotis, populares hostes expertus, sacri otij sectandi breui occasionem arripuit. mortuo namq; Constantinopoli Leone Imperatore, qui Glycerium ob virtutem in admiratione habebat,

Iulius

Iulius Marcellini quondam Patricij, ex sorore nepos, in principem suum arma capiens, vnica regnandi cupiditate, solio deturbatum, in Portu Romano, Salonitanum fieri curauit Episcopum teste Euagrio. factum Glycerius tanta animi æquitate tulit, vt ad Salonitanam accedens Ecclesiam miris effulserit virtutum incrementis, sacer pastor, quam profanus Imperator, longè felicior, quibus eousque progressus est, vt Lupicinus vir per ea tempora eruditissimus, apud Ennodium, sermone ad Epiphanium Episcopum habito, Glycerium cum Firmino magnæ sanctitatis in Gallia Metense Episcopo, illius ætatis sydera nominet, dum per prosopopeiam, vt aiunt Rhetores, ambos Epiphanium alloquentes inducit. ipse quoque Ennodius, egregio inter sua poemata carmine, Glycerium quem inscriptione carminis Venerabilem appellat Episcopum, excellentia virginitatis, inter alias virtutes prædicat eximium: cuius ipsa verba libenter, tanquam maximi, ex Imperatore Pastoris, ære perennius elogium damus.

## De Venerabili Glycerio Episcopo.

Suffusus minio, perq; optima facta rubescens,
  Virginei vultus Glycerius sequitur,
Puram sanguineo maculat dum rore figuram,
  Picta genas facies simpliciter placuit.
Candentem crocea gestans aspergine frontem,
  Læta verecundis tinxerat ora notis.
Indeptus sceptrum, tribuit quod testis imago,
  Purpura quem mentis prodidit Imperio.
Hunc habuit populus, paruo vix tempore felix,
  Sed rursus magni missus ad obsequium.

hæc Ennodius morum optimi præsulis, & faciei contemplator: quem authorem, vt aliqua epigrammata de Ambrosio sanctissimo Mediolanensis Episcopo, aliquotq; eiusdem Ecclesiæ præsulibus scripsisse non iuerim inficias, ita carmen hoc, Glycerio, quem Mediolanenses ex suo ciue Episcopum celebrant, conue-

nire posse nequaquam assentior, vtpote quod nullatenus ijs quæ de Glycerio, a Ioanne de Deis, & Cattaneis in opusculo de successoribus S. Barnabæ scribuntur, adaptari possint; Glycerium verò Dalmatam ex Imperatore Episcopum, egregiè exprimant. & vt sex prima carmina quibus facies eius describitur, omittamus, certum est septimum & octauum, quibus de sceptro & purpura agitur, Mediolanensi Episcopo conuenire minimè posse, cum vel ipso S. Ambrosio teste ad Theodosiũ Principem: purpura Imperatorem non Episcopum faciat; Glycerio autem Dalmatæ Imperatori & Episcopo quadrare appositè. nec dicendum sacrum pedum poetico more per sceptrum intelligi, cum per ea tempora Christiana modestia, cuius Ennodius tenacissimus extitit, sobrietate magis fortè quàm sequens ætas in verbis vteretur. purpura porrò præterquàm propria est Imperatoris, ex Ambrosio, hic eò magis nostrum designat Glycerium, quod mentis Imperio fertur illam prodidisse. illo nimirùm Imperio, quo teste Ennodio, iniuriam matri suæ illatam ab ipsismet subditis, Epiphanio Episcopo condonauit; & quo Iulium Nepotem cuius opera fuerat ab Imperio deturbatus, Regno pulsum regio more excepit, penès se fouit & aluit. vt eiusmodi splendore purpuræ, post primum eiusce paludamenti textorem Christum, & primũ in ea subtexenda alumnum Stephanum, rutilantem, vix alium Glycerio comparandum, noscat Ecclesia. postremi verò dysthichi primum carmen, vel ipso Ioanne de Deis, & Cattaneo testibus asserentibus Glycerium suum octo annis sedisse in Episcopatu, tanto spatio temporis manifestè repugnat, cum dicat iuxta correctionem Sirmundi.

*Hunc habuit populus paruo vix tempore felix.*

Glycerium nostrum omnibus apicibus exprimit, quem optimum principem, vix annuũ Romanus populus habuit, vt apud omnes illius æui authores est in confesso. denique postremum carmen quo post paruum tempus, dicitur:

*Sed rursus magni missus ad obsequium.*

quomodo alium quàm nostrum Glycerium, qui post exiguum imperij

imperij tempus, rurſus ad magni, ideſt Dei, obſequium miſſus traditur, denotet, præfatos Ioannem & Cattaneum iudices expoſtulo; cum Glycerius Mediolanenſis Epiſcopatu ſimul cum vita functus, ad nullum Dei obſequium rurſus mitti potuerit, vt eſt miſſus poſt imperium Dalmata Glycerius. Hiſce itaq; virtutibus eximius, anno vix in Epiſcopatu exacto, cum Oreſtes, quem ad dignitatem magiſtri militiæ Iulius Nepos Imperator extulerat, eundem ſuum principem præcipitaſſet imperio, Auguſtulo filio ſubrogato; Iulius in Dalmatiam fugiens, ad Glycerium, ab illo omni humanitatis officio excipitur. cui & ampliſſimas ædes, quas Diocletianus olim Imperator auguſtali maieſtate extructas propè Salonas, per decem annos ocij ſui incoluerat, fruendas conceſſit. reliquumq; ætatis ingenti charitate cum eodem tranſegit. ac demum magno ſui deſiderio apud Salonitanos relicto è viuis exceſſit. obitus tempus, vti & annorum quibus Eccleſię Salonitanæ præfuit, omnino incerta habētur. Vir eruditiſſimus, & de ſacratiori antiquitate, optimè meritus, Diaconię S. Nicolai in Carcere Canonicus; Franciſcus Turrigia, nuper nobis vetuſtiſſimum manuſcriptum librum exhibuit, in quo hæc de Glycerio leguntur: Glycerius verò factus fuit Auguſtus à Gundibaldo Patritio, voluntate totius exercitus, ſed poſtea nolens mundo militare, reliquit Imperium. & fuit factus Epiſcopus in Salona Dalmatiæ, ita ibi. vnde apparet Glycerius non vi, ſed ſpontè, abiecto Imperio, Dei ſe deuouiſſe miniſterio. Duobus tandē principibus Marciano, & Glycerio, Tiberium addamus ijſdem planè verbis, quibus Illuſtriſſimus vir Cardinalis Bellarminus illius vitam libro tertio de officio Principis Chriſtiani, inter vitas ſanctorum Principū Teſtamenti Noui propoſuit. vt Regię ſanctitatis Illyricanę fæcunditas hoc quaſi triplici virtutum funiculo appenſa, in ſui admirationem & imitationem Regum animos rapiat auguſtior. cuius Principis natale ſolum licet ille non exprimat, cū tamen, eorum teſtimonio, ex quibus Bellarminus vitā eius collegit, conſtet Illyricum genere Thracē, & Conſtantini cognomine appellatum, nos nil de noſtro addendo ipſa eius verba referemus.

# VITA ET VIRTVTES TIBERII IMPERATORIS OPTIMI, ET RELIGIOSISSIMI.



IBERIVS Imperator cum Iustino regnauit, vt Cæsar, annis tribus; solus autem, vt Augustus, annis quatuor. Fuit autem omnibus Dei donis mirificè exornatus, sed potissimùm quatuor. Primùm enim populos sibi subiectos gubernauit, vt pater, non vt dominus; ex quo factum est, vt ab omnibus subditis mirificè diligeretur. Deinde in bello, quod gessit cum Persis, exercitum tàm copiosum collegit, & virorum fortissimorum plenum, vt nullus vnquam Imperator eiusmodi castra habuisse legatur; proinde mirum non fuit, si Persas omnino domuerit. Ad hæc, ergà pauperes Christi, ob eiusdem Christi amorem vsque adeò liberalis, & munificus fuit, vt metas omnes liberalitatis excessisse videatur: cùm eius prædecessor Iustinus, & eius successor Mauritius auarissimi fuisse legantur. Ex quo factum est, vt Iustinus in pœnam peccati, in delirium inciderit, & coadiutore in Imperio, opus habuerit; & Mauritius exosus Militibus factus, cum vxore & liberis occisus sit. Denique in fide catholica asserenda, & defendenda ardentissimus fuit sic, vt amicissimo antistiti, & de se optimè merito, Eutychio Episcopo Constantinopolitano non pepercerit, cùm eum à sancto Gregorio Romano, tunc Diacono, post Pontifice, de hæresi conuictum fuisse animaduertisset. Hæc, & alia eiusdem generis, ex quatuor scriptoribus, duobus Græcis, Euagrio, & Nicephoro; & duobus Latinis, Gregorio

Turonico, & Gregorio Romano cognosci possunt; qui omnes, Nicephoro excepto, ipsius Tiberij Augusti tempore floruerunt. Sed iam Euagrium audiamus, Tiberij laudes enarrare incipientē.

Interea temporis Iustinus de consilio Sophiæ, Tiberium Cæsarèm declarat: taliaq; verba in eo declarando locutus est, qualia à nulla historia vel vetere, vel recentiore, sunt omninò commemorata, Deo videlicet propitio ei tempus largiente, tum ad sua ipsius peccata confitenda, tū ad explicanda ea, quæ ex vsu Reip. forent. Nam cùm Ioannes Episcopus vnà cum suis, cùmque Principes, ac Magistratus, cùm denique milites Prætoriani in atrio sub dio, vbi eiusmodi negocia de more inueterato agi solebant, in vnum cogerentur; Iustinus Tiberium tunica induens Imperatoria, & læna circumuestiens, sic clara voce locutus est, Ne te in errorem inducat vestis splendor; neque illustris ornatus istarum rerum, quæ sub aspectum cadunt, decipiat: quibus ipse in fraudem impulsus, imprudens me ipsum grauissimis supplicijs obnoxium reddidi. Itaq; tu in Reip. summa cum mansuetudine, & animi lenitate regenda, mea vitia præstato. Atque digito magistratus demonstrans, Non oportet, inquit, horum consilijs morem gerere: nam hi me in istas, quas cernis miserias, deduxerunt. Aliaq; eius generis protulit verba, quæ omnes cum in maximam traduxere admirationem, tum ad immensam vim lacrymarum profundendam impulere.

Erat iste Tiberius corpore maximè procero & robusto, & pulchritudinis excellentia omnium opinione maiore, adeò vt non Regibus solum, & Imperatoribus, sed omnibus etiam hominibus facilè præstaret. Ac primum, quod ad corporis formam attinet, ea principatu planè digna fuit: quòd autem spectat ad animum, illum mansuetudo, & benignitas exornauit. Primò ipso aspectu omnes videbatur ad se diligendum inuitare. Diuitias eas putauit, quæ cuique satis essent ad largiendum, non solum ad necessitatem, verum etiam ad affluentiam. Nam non istud modo considerabat, quòd qui opis indigeant, illis beneficia accipienda sint, sed quod Imperatorem Romanum deceat liberaliter

dare.

dare. Aurum verò adulterinum existimauit, quod cum subiectorum lacrymis collectum est. Qua re inductus, tributum vnius integri anni vectigalibus condonat. Quin etiam prædia, quæ Ardamanes tributis impositis ferè labefactauerat, quasi in libertatem vindicauit; & non modo damnum, pro eius magnitudine, sed etiam cum fœnore sarciuit. Atque iniquas largitiones, pro quibus alij Imperatores suos subiectos magistratibus pro libidine abutendos exponere, & quodammodo diuendere consueuerant, remisit, cauitq; per leges ne quid eiusmodi in posterum committeretur.

Idem Tiberius cùm pecuniam malam, & iniquè partam ita collocasset, sicut ratio & æquitas postulabat, res ad bellum faciendum necessarias parare, ingentem cogere exercitum virorũ facile præstantissimorum tam ex gentibus transalpinis circiter Rhenum incolentibus, quàm ex cisalpinis, quin etiam ex Massagetis, alijsq; ex genere Scytharum, ex Pæonia prætерea, Myssia, Illyria, & Isauria collectorum, adeò vt prope centum quinquaginta turmas equitum lectissimorũ instructas haberet: quorum subsidio Chosroem, qui statim post Daras expugnatas, tempore æstiuo in Armeniam inuaserat, indeq, iter versus Cæsaream vrbem Cappadociæ primariam susceperat, penitùs profligauit. Iste Chosroes tam insolenter se gessit aduersus Imperium Romanorum, vti cum Imperator legatos ad eum misisset, illis ne se quidem adeundi potestatem facere dignaretur; sed iuberet eos Cæsaream vsque sequi. Ibi namq; se consilium de eorum legatione initurum dixit. Postquam verò exercitum Romanum ex aduerso sibi occurrentem, & à Iustiniano fratre Iustini, qui tam miserabiliter interfectus fuit, gubernatum, & armis firmè munitum, & turbas classicum canentes; & signa ad pugnam sublata, & milites acutè vociferantes, & in acie pulchro ordine locatos, iram, & furorem anhelantes, & tantum, ac tam egregium equitatum, quantum nemo aliquando ex Imperatorum numero, vel ipsa cogitatione conceperit, animaduertit, vehementer obstupefactus, præ re tam insperata, inexpectataq; ex intimo pectore

ingemuit, & prælium exordiri noluit. Eum igitur pugnam differentem, cunctantem, terentem tempus, & callide ludificantem, Curs Scytha, qui dextero cornu exercitus Romani præfuit, adortus est: & cùm Persæ impetum eius ferre non possent, sed aciem penitus desererent; Curs magnam cædem hostium fecit. Postremum agmen à tergo inuadit: vbi apparatus tũ Chosrois, tum totius exercitus locatus fuit. Capit thesaurum Regis vniuersum, & omnem præterea apparatum bellicum, idq; Chosroe inspectante, toleranteque, atque hoc potius perpetiendum arbitrante, quàm Curs impetu facto in ipsum irrueret. Curs igitur cum suis magna pecuniæ vi, & multis spolijs potitus est: iumenta cum sarcinis, inter quas ignis fuit, quem pro Deo coluit Chosroes, abducit: atque Persarum exercitu repulso, lætum pæana canentes, sub crepusculum redit ad suos, qui iam stationes, in quibus ordine locabantur, reliquerant. Et adhuc neque Chosroes, neque illi præliari cæperant; sed quædam duntaxat velitares pugnæ factæ sunt; sicubi singuli ex vtroque exercitu, vti fieri solent, cum singulis congrederentur. Chosroes autem ingenti rogo noctu accenso, prælium nocturnum instituit. At cùm Romani duos haberent exercitus, illum, qui versus Septentrionem erat, intempesta nocte adoritur. Quo repente, & de improuiso pedem referente, Melitinam vrbem sitam in proximo, præsidijs nudatam, atque prorsus desertam à ciuibus, inuadit; qua igne absumpta, parat se ad fluuium Euphratem traijciendum. Vbi verò copiæ Romanorum in vnum coactæ, eum sequi cæperunt; ipse metuens de salute sua, conscenso Elephante, fluuium transmittit: magna autem pars exercitus sui tranando flumine, vndis obruta est. Quam submersam cùm accepisset, maturè decessit. Itaq; Chosroes hoc postremum supplicium, pro insana temeritate contra Romanos admissa luens, vna cũ suis, qui supererant, in Orientem reuertit. Ibi autem pactas habuit inducias, ne quis eum inuaderet. Iustinianus verò incursione cum toto exercitu in fines ditionis Persarum facta, tota hyeme ibi commoratus est; nemine quicquam omnino ei exhibente molestiam. Circiter ve-

rò Solistitium æstiuum redit, nulla parte exercitus amissa: atque in finibus, quibus Romanorum, & Persarum Imperium terminatur; cum magna vitæ prosperitate, & rerum gestarum gloria, totum æstatis tempus contriuit. Chosroes autem ingenti doloris cumulo oppressus, animo fracto, & ancipiti cura debilitato languens, crebris denique & varijs ægritudinis fluctibus demersus, miserandum in modum interijt: ac legem, quam scripsit, ne Rex Persarum in posterum contra Romanos arma ferret, velut sempiternum suæ fugæ monimentum post se reliquit. Quo extincto, Ormisdes eius filius regnum capescit: de quo in præsentia ommitto dicere; quandoquidem res deinceps exponendæ, me ad se vocant, & sermonis nostri cursum eò transferri expectant.

Audiuimus Euagrium: audiamus nunc Gregorium Turonicum lib. 5. cap. 19. Cùm autem Iustinus Imperator amisso sensu, amens effectus esset, & per solam Sophiam Augustam eius Imperium regeretur, populi, vt in superiore iam libro diximus, Tiberium Cæsarem elegerunt, vtilem, strenuum, atque sapientem, eleemosynarium, inopumq; omnium defensorem. Qui cùm multa de thesauris, quos Iustinus adgregauit, pauperibus erogaret; & Augusta illa eum frequētius increparet, quòd Rempublicam redegisset in paupertatem; diceretque: Quod ego multis annis congregaui, tu infra paucum tempus prodigè dispergis; aiebat ille, Non deerit fisco nostro: tantum pauperes eleemosynam accipiant, aut captiui redimantur. Hic est enim magnus thesaurus, dicente Domino, Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea corrumpit, & vbi fures non effodiunt, nec furantur: Ergo de quo Deus dedit, congregemus per pauperes in cælo, vt Dominus nobis augere dignetur in sæculo. Et quia, vt diximus, magnus, & verus Christianus erat, dum hilari distributione pauperibus opem præstat, magis, ac magis ei Dominus subministrat. Nam deambulans per palatium, vidit in pauimento domus tabulam marmoream, in qua Crux Dominica erat sculpta, & ait, Cruce tua Domine

frontem munimus, & pectora; & ecce crucem sub pedibus conculcamus. Et dicto citius, iussit eam auferri, defossaq; tabula, atque erecta, inueniunt subter & aliam hoc signum habentem. Nunciantesq; iussit & illam auferre. Qua amota reperiunt & tertiam: & iussuq; eius & hæc aufertur. Qua ablata inueniunt magnum thesaurum, habentem supra mille auri centenaria. Sublatumq; aurum, pauperibus adhuc abundantius, vt consueuerat, subministrat: nec ei Dominus aliquid deficere permittebat, pro bona voluntate sua.

Quid ei in posterum Dominus transmiserit, non omittam. Narses ille dux Italiæ, cùm in quadam ciuitate domum magnam haberet, in Italiam cum multis thesauris egressus, ad supra memoratam vrbem aduenit: ibiq; in domo sua occultè cisternam magnam fodit, in qua multa millia centenariorum auri, argentiq; reposuit: ibiq; interfectis conscijs, vni tantummodo seni, per iuramentum condita commendauit. Defunctoq; Narsete, hæc sub terra latebant. Cùmq; supradictus senex, huius eleemosynas assiduè cerneret; pergit ad eum dicens, Si, inquit, mihi aliquid prodest, maximam rem tibi Cęsar edicam. Cui ille, Dic, ait, quod volueris; proderit enim tibi, si quiddam nobis profuturum esse narraueris. Thesaurum, inquit, Narsetis reconditum habeo, quod in extremo vitæ positus celare non possum. Tunc Cæsar Tiberius gauisus, mittit vsque ad locum pueros suos. Præcedente verò sene, hi sequuntur attoniti. Peruenientesq; ad cisternam, deopertamq; ingrediuntur; in qua tantum aurum, argentumq; reperiunt, vt per multos dies vix euacuaretur a deportantibus. Ex hoc ille amplius hilari erogatione dispensauit egenis.

Dum hæc gererentur, Iustinus ait, lib. 5. c. 30. impleto Imperij octauo decimo anno, amentiam quam incurrerat, cum vita finiuit. Quo sepulto Tiberius Cæsar arripuit iam olim adgressum Imperium. Sed cùm eum secundum consuetudinem loci ad spectaculum circi præstolaretur populus processurum, parare ei cogitans pro parte Iustiniani insidias, qui tunc nepos Iustini habebatur; ille per loca sancta processit. Completaq; oratione, vo-

cato ad se vrbis Papa cum consulibus, atque præfectis, palatium est ingressus. Dehinc indutus purpura, diademate coronatus, throno Imperiali impositus, cum immensis laudibus Imperium confirmauit. Factionarij quoque operientes ad circum, cùm cognouissent quæ acta fuerant, pudore confusi, sine effectu regressi sunt, nihil homini, qui in Deo spem posuerat, aduersari valentes. Transactis igitur paucis diebus adueniens Iustinianus, pedibus se proiecit Imperatoris, quindecim ei centenaria auri deferens ob meritum gratiæ. Quem ille secundum patientiæ suæ ritum colligens, in palatium iussit adsistere. Sophia verò Augusta, immemor promissionis, quam quondam in Tiberium habuerat, insidias ei tentauit intendere. Procedentem autem eo ad villam, vt iuxta ritum Imperialem triginta diebus ad vindemiam iocundaretur, vocato clam Iustiniano Sophia, voluit eum erigere in Imperium. Quo comperto, Tiberius cursu veloci ad Constantinopolitanam ciuitatem regreditur. Apprehensamq; Augustã, ab omnibus thesauris spoliauit, solum ei victus quotidiani alimentum relinquens. Segregatisq; pueris eius ab ea, alios posuit de fidelibus suis, mandans prorsus, vt nullus de anterioribus ad eam haberet accessum. Iustinianum verò obiurgatum tanto in posterum amore dilexit, vt filio eius filiam suã promitteret: rursumq; filio suo filiam eius expeteret: sed non est res sortita effectum. Exercitus eius Persas debellauit, victorq; regressus, tantam molem prædæ detulit, vt crederetur cupiditati humanæ posse sufficere. Viginti Elephanti capti ad Imperatorem deducti sunt.

Audiamus nunc Sanctum Gregorium lib. 14. Moral. cap. 29. disputantem cum Eutychio Patriarcha de resurrectione carnis, vt intelligamus Tiberium Imperatorem nõ pepercisse Eutychio erranti; quãuis ipsum Eutychium maximi faceret, eo potissimũ nomine, quòd sibi imperium prædixisset, vt Eustathius in eius vita testatur. Sic igitur loquitur Sanctus Gregorius in lib. Moralium quartodecimo. Et rursus circundabor pelle mea. Dum apertè pellis dicitur, omnis dubitatio veræ resurrectionis aufertur: neque sicut Eutychius Constantinopolitanæ vrbis Episco-

pus ſcripſit, corpus noſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile, ventis, aereq; ſubtilius. In illa enim reſurrectionis gloria erit corpus noſtrum ſubtile per effectum ſpiritualis potentiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ. Vnde etiam Redemptor noſter dubitantibus de ſua reſurrectione diſcipulis, oſtendit manus, & latus, palpanda oſſa, carnemq; præbuit dicens, Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut mē videtis habere. Qui cùm eodem Eutychio in Conſtantinopolitana Vrbe poſitus, hoc euangelicæ veritatis teſtimonium protuliſſem, ait: Idcircò Dominus hoc fecit, vt dubitationem reſurrectionis ſuæ de diſcipulorum cordibus amoueret. Cui ego, Mira, inquam, eſt res valdè quam aſtruis, vt inde nobis dubietas ſurgat, vnde diſcipulorum corda à dubietate ſanata ſunt. Quid enim deterius dici poteſt, quam vt hoc nobis de eius vera carne dubium fiat, per quod diſcipuli eius ad fidem ab omni ſunt dubietate ſeparati. Si enim non hoc habuiſſe aſtruitur, quod oſtendit: vnde fides diſcipulis eius confirmata eſt, inde noſtra deſtruitur. & paulò infrà. Cùm piæ memoriæ Tiberius Imperator ſecretò me, & Eutychium ſuſcipiens, quid inter nos diſcordiæ verſaretur agnouit, & vtriuſque partis allegationes penſans, eundem librum, quem de reſurrectione ſcripſerat, ſuis quoque allegationibus deſtruens deliberauit, vt flammis cremari debuiſſet. Hæc S. Gregorius. Ex qua hiſtoria perſpicuè cernitur, quantus fuerit in eo Principe catholicæ fidei zelus. Erat enim Eutychius nō ſolùm Imperatori gratiſſimus, & amiciſſimus; ſed etiam Epiſcopus Regiæ ciuitatis, & vir doctus, qui libros iam ſcripſerat, &, quod maius eſt, opinione ſanctitatis, & ſignis, atque miraculis editis clariſſimus. Contra, Gregorius homo externus, ordine Diaconus, ætate iunior, nulla ſcriptione celebris, nullo miraculo edito illuſtris, nullo beneficio Imperatori adſtrictus: & tamen vbi cognouit Imperator, opinionem Eutychij hæreſeos labe eſſe ſuſpectam; non ſolum eam reijciendam cenſuit, ſed etiam librū ipſum continuò flammis voracibus cremandū exiſtimauit. Itaq; pius Imperator, vbi periculum fidei catholicæ vidit, oblitus eſt

amici-

amicitiæ, & beneficiorum Eutychij, necnon dignitatis pontificalis, ætatis senilis, opinionis doctrinæ, vitæ sanctitatis, & famæ cælestium miraculorum: & cum Apostolo clamandum censuit, Etiam si Angelus de cælo euangelizet, præter id, quod hactenus euangelizatum est nobis, anathema sit.

Audiamus rursus Gregorium Turronicum lib. 6. cap. 30. de felici exitu, ex præsenti vita Imperatoris Tiberij. Hoc anno Tiberius Imperator migrauit à sæculo, magnum luctum relinquens populis de obitu suo. Erat enim summæ bonitatis, in eleemosynis promptus, in iudicijs iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona voluntate complectens, omnes diligens; ipse quoque diligebatur ab omnibus. Hic cum ægrotare cœpisset, & se iam viuere desperaret, vocauit Sophiam Augustam, dicens, Ecce iam impletum sentio tempus vitæ meæ, nunc cum consilio tuo eligam, qui Reip. præesse debeat. At illa Mauritium quemdam elegit, dicens, Valde strenuus, & sagax est vir iste: nam & sæpius contra inimicos Reip. dimicans, victorias obtinuit. Hæc enim dicebat, vt isto transeunte, huius coniugio necteretur. Sed Tiberius postquam consensum cognouit Augustæ de huius electione, iussit exornari filiam suam ornamentis Imperialibus; & vocato Mauritio ait, Ecce cum cõsensu Sophiæ Augustæ ad Imperium eligeris: in quo vt firmior sis, filiam meã tradam tibi. Et accedente puella, tradidit eam pater Mauritio, dicens, Sit tibi Imperium meum cum hac puella concessum. Vtere eo felix, memor semper, vt æquitate, & iustitia delecteris. At ille accepta puella duxit eam ad domum suam, & transacta solemnitate nuptiarum, Tiberius obijt. Igitur celebrato iustitio, Mauritius indutus diademate, & purpura, ad circum processit: acclamatisq; sibi laudibus, largitis populo muneribus, in Imperio confirmatur.

Audiamus denique Nicephorum lib. 18. cap. 16. de morte Tiberij hæc narrantem. Imperator in lecto suo repositus, insomnis viri speciem ex forma, quæ neque verbo, neque scripto exprimi queat, & veste tam candida, vt cubiculum eius illustraret,

ret, vidit. Vir is manu protenſa talia verba ad eum præfatus. Hæc tibi, Tiberi, ter ſanctum numen renuntiat, Tiranni impij Imperij tui temporibus non exſtabunt. Poſtquam autem euigilauit, ſomnium illud amicis expoſuit; legibus deinde naturæ; quamuis Imperator eſſet, obſecutus, terrenam tunicam depoſuit, anima autem veluti vmbraculum quoddam, ad ſedes ſuperas euolante. Imperio Tiberius cum Iuſtino tribus annis, ſolus autem quatuor annis præfuit. Hæc Nicephorus. Porrò viſio illa mirabilis ad Imperiũ temporale Tiberij referri non potuit; cùm iam completum eſſet: neque ad Imperium ſucceſſoris, cùm conſtet, Mauritium à Phoca tyranno crudeliter interfectum fuiſſe. Proinde neceſſe eſt, promiſſionem illam ad cæleſtis imperij ſecuritatem eſſe referendam, ad cuius conſortium Tiberius vocabatur; vnus enim ex illis fuit, quibus in iudicio dicitur, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare &c. Obijt Tiberius Imperator anno Domini 586. cùm imperaſſet annos ſeptem, tribus cum Iuſtino, quatuor ſolus.

Hæc de Tiberio religioſiſſimo Principe, pietate, atque eruditione, Magnus Bellarminus: qui Princeps ſicuti ob morum præſtantiam Conſtantinus eſt cognominatus, ita inter alios titulos, prædeceſſoribus quoque vſitatos, Anicius eſt dictus: fortè quia per ea tẽpora nobilitas Anicia inprimis haberetur illuſtris: hinc D. Hieronymus ſcribens ad Demetriadem, ita Anicij generis nobilitatem extollit, vt nullum, aut rarum in illo fuiſſe dicat, qui non meruerit Conſulatum. immortale tamen huiuſce familiæ eo æuo decus effulſit, poſt cateruas ſanctorum vtriuſque ſexus huius generis, cælo illatas, Tiberij amiciſſimus, Magnus Gregorius. cuius præſtantiſſimæ gentis ſplendorem, mira Dei prouidentia, ad hanc vſque diem, non minus in Vrbe Roma, quàm in Illyrico, digna talibus Atauis Poſteritas, Frangipanorum Procerum virtus, ſemper eundem exhibet.

VITA

# VITA
# B: IVANIS PRIMI
## IN BOHEMIA EREMICOLÆ
## FILII GOSTVMILI
## REGIS DALMATIAE.



LLYRICANA Regia sanctitas videri potuisset alicui, fortasse insolita fæcũditate fuisse beata, inde præcipuè, quòd sub vmbra mansuetudinis Imperij Romani, omnium bonarum artium, & disciplinarum fontis inexhausti, incrementa pietatis hauserit; potius quàm ab ea naturæ ingenijq; Illyrici ergà res diuinas propensione, qua veteres, Strabo præsertim, gentem nostram Thracum nomine, primam omnium aliarum immortalitatem animorum agnouisse, diuinitatisq; maiestatem, longè ante Græcam philosophiam fuisse professam, testati sunt. verumenimuerò ne quemquam talis mordeat suspicio, Regia progenies posthac explicanda, omnem suspicionis vmbram adimet. quippe quæ nullo Romani imperij commercio, sed geniali solo solioq; edita, & aucta, solùm Deum suæ pietatis authorem agnoscit. cuius primum fructum, habita temporum ratione, vt hactenùs est obseruatum, ostendet Iuan suis, Ioannes latinis appellatus, Dalmaticæ Regiæ nobilissima progenies. Dalmatarum autem Regum nomen, & authoritas ab eo tempore enituit, quo inclinato Romano Imperio, & eius reliquijs in Oriente vix retentis, vastato Illyrico, eiusq; præcipua portione Dalmatia, deletis Romanis præsidijs sub Heraclio Phocæ successore, per Auares, qui

Simicata

Simicata eorum temporum scriptore, Constantinoq; Porphirogenito, testibus, cum Gothis, Slaui sunt habiti; Croatæ Latinis scriptoribus Curetæ dicti, antiquissimi Dalmatiæ incolæ, Lucani Poetæ carminibus celebrati, Heraclij hortatu, in suos desolatores armis insurgentes, patrio solo recuperato, Regem sibi ex suis, authoritate, legibusq; ab Apostolica Romana sede acceptis, hostiumq; reliquijs per sacerdotes ab Apostolico throno submissos, ad veram pietatem adductis, & sibi admixtis, Reges Croatarum, Dalmatarumq; titulis decorarunt. quibus continuata serie succedētibus, nono Christiano sæculo, regnum ad Gostumilum Branimiri filium, deuenit. huius Branimiri tanta pietas in Deum, & obseruantia ergà Petri Cathedram extitit, vt quod aliquot antecessorum incuria, fuerat varijs casibus omissum, publica legatione se sancti Petri subditum sit professus. extant hinc Apostolicæ litteræ ad eundem, à Ioanne octauo Pontifice transmissæ. quibus exaggerata singulari eius pietate, benedictionem Apostolicam expetitam, Regi Regnoq;, Romanus Pontifex impartitur. hæc peculiari opusculo de rebus Dalmaticis digesta, breuiter hic innuere tantùm volui. Gostumil igitur, qui Latinis, hospitum amans, filius Branimiri, qui defensor pacis interpretatur, ex Elizabetha Regina, filium Iuanem suscepit. hic vix infantilibus egressus, magni præcursoris, cuius nomen gerebat, æmulando virtutes; salutatis parentibus: vt habent Bohemorum annales, per Nicolaum Salium editi, in eremum se Deo credens profugit. & formidolosis syluarum flexibus duce Angelo pererratis, in Bohemiam adhuc idolis deuotam, Neclane rerum summam in ea administrante, deuenit, circa annum Domini 857. cumq; in specu quadam tribus circiter milliaribus, à Praga dissita, molestissimis dæmonum incursibus biennio quateretur, fessus tanta insectatione eorum, locum mutans abibat. & sic eunti B. Ioannes Baptista obuiam factus, percunctari ex eo cæpit: quonam sese, & cuius rei gratia aliorsum ferret? ille quod res erat fateri, dæmonum immoderatis se, & continuis vexationibus adeò conturbari, vt nec consistere, nec morā ferre queat. hic Baptista

sanctus

sanctus rudem, teneramq; tyronis Christi militiam miseratus, præsidio Crucis donatæ eum firmat; qua ille fretus, intrepidè ad deserta castra redire, & contra ouantes hostes, clamoribus eum incessantes, quod ibi se balneum habere dicerent, infesto signo procedere. cuius virtutem illi non ferentes, quaquà versum dilabuntur.. ille victoriam prosequitur, & vlteriùs ad eos penetrare; vnus ibi teterrimus appresso petræ corpore, proteruius hærebat dæmon, durissimis vocibus, & immanioris rictus, deuoraturus similis frendens, in cuius ille putentem hiatum Crucem conijciens, adeò illum hoc iactu perculit, vt perfossa grandi petra, foras erumpere coactus fuerit. cernitur nunc quoque id altè ductum foramen, & profugi hostis pudendos conatus testatur. sic coercitis dæmonum efferatis ausibus, pacatiùs deinde quadraginta & duobus annorum curriculis Eremitam egit Iuan. nulli mortalium quatuordecim annis visus. lacte interim Ceruæ diuina cura ei tempestiuè fæcunda vbera exhibere iussæ, pastus. quo tempore Boriuoius Dux feras persequens, Ceruam hanc nutricem Iuanis, & sagittis traiecit, & vestigijs eius hærens, ad antrum viri Dei, ignarus decurrit. miratus Ceruam iacentem tam copioso lacte exuberare. Cum vir procero corpore, veste promissa, impexo & intonso crine, superciliis oculos tegentibus, specu progressus, sæueriùs cum principe expostulare cæpit, quod animal suum telis appetierit. consternatus Princeps non expectata talis viri facie, prodigiosamq; belluam existimans, vnà cum comitum manu, pedem retrò tulit. deinde animosior factus, imperat ei per Christum (quem primus Bohemorum principum fide agnouerat) edicere, quid hominis sit. ille adiuratus, nomen, patriam, genus, euentusq; suos palàm docet. quin & in petræam aulam, qua exierat, flagitantem hoc, principem inducit, & Dei circà se administrationem euulgat. rogatusq; enixius, vt Equo se in vrbem Tetinam deferri pateretur, ibi quippè Boriuoius vitam priuatæ similem, cum Ludmilla coniuge sanctissima tenebat, recusauit, & quod equitandi omninò ignarus esset, & quod commodiùs consequenti tempore, id se obsequij principi exhibere

poſſe, opinaretur. monuit interim vt Ceruam quam Venator confecerat, egenis diſpertiretur. verùm Ludmilla videndi tanti viri auida, Boriuoium perurſit, vt Myſta ſuo cum ſex famulis & aſino emiſſis, eum ad ſe deportarent. cui aduentanti, & illa & ille, honoris ergo longè progreſſi, Aue detulerunt. & ſuſceptum intrà limina, dignis eorum nomine epulis honorarunt. ſed ille perpetua ieiunij lege appetitum, guſtumq; ſuum definiens, nihil ex eis libare, nedùm comedere elegit. ſed ad ſuam ſpecum anhelans, finito cùm ijs de rebus diuinis colloquio, quamprimùm reuerti contendit. reuerſusq; eſt ſacerdote Paulo, & ſex comitibus ſtipatus. omnibus Regijs oculis, exeſi ſui antri præferens horrorem. ad eum triduo poſt Paulus Myſta profectus, lapſibus vitæ veteris auditis, eum & expiauit, & re diuina ad aſpectum eius facta, ſacro Chriſti corpore refecit. quo ille ſumma animi & corporis demiſſione ſumpto, traditaq; Presbytero Cruce, quam D. Ioannis Baptiſtæ gratia, ad retundendos dæmonum impetus acceperat, tertia die poſt Synaxim, ex ſpelunca tenebroſa, cæli Regiam adijt. corpore tantùm ibi (nam ita fieri depopoſcerat) depoſito. quo in loco Boriuoius monaſterium ſub nomine Diui Ioannis Baptiſtæ à ſe ædificatum, amplis prouentibus dotauit. duobusq; ſacerdotibus eius curam pro tempore tradidit. eo poſtea viri ad normam D. Benedicti viuentes traducti ſunt. hactenùs Annales apud Surium. Progreſſu temporis, cōtinuatis miraculis, Deo ſerui ſui ſanctitatem approbante, Carolus quartus Imperator, ac Rex Bohemiæ Monachorum Collegio, ex ijs qui inter Dalmatas vernacula lingua, ſacra peragerent euocato, monaſterium ampliſſima bibliotheca Illyricæ linguæ conſtructum, aſſignauit. donec per impios hęreticos ſub Caroli ſucceſſoribus, oppreſſa Catholica pietate in illo nobiliſſimo Regno, Monachi quoque ſolum vertere ſunt coacti.

VITA

# VITA S. STEPHANI PATRIARCHÆ CONSTANTINOP. FILII BASILII MAGNI IMP.

NEc minus obsequiosa Illyrica tellus ergà nouam Romam, in suo proprio sinu, ab ipsa sua sobole conditam, & ad orbis terrarum Imperium excultam, vllo vnquàm tempore reprehendi posset, quàm fuerit ergà veterem gentium Dominam, eandemq; futurorum sæculorum illustriori semper moderamine fruituram, quatuor eximiæ sanctitatis Pastoribus huic exhibitis, Pio nempe Aquileiense, Caio Salonitano, Ioanne Iadrense, Conone Thrace, suæ verò nouæ Romanæ maiestatis aris, tribus tantùmodò, Domitio, Probo, Metrophane Sirmiensibus, natiuite, Dalmatis origine, vt se vtriq; æquam redderet, eo planè tempore, quo filiá ab vberibus optimæ parentis, Græcanici monstri Photij sacrilego ausu abstrahi conquerebatur, nobilissimæ Augustalis gentis, post Flauiam maiestatem, Basilianam sobolem, Stephanum Angelicæ puritatis Præsulem, ad meliora, vino veræ matris, vbera anhelantem, magno Christiani orbis bono, insigniq; Regiæ sanctitatis Illyricæ incremento, edit & prodit. Patrem hic habuit Basilium Hadrianopolitanum Thracem, ex eo Macedonem appellatũ, quod ex communione nationis & eiusdem linguæ, vetus Vscudama, & Eumolpia, Hadrianopolis inquam vrbs, per ea tempora inter Macedonicas vrbes recensebatur. cuius principis originẽ, quàm ineptè græcanica adulatio ad Arsacidas Parthos, apud Cedrenum referat, peritos antiquitatis appello iudices, vtpotè minimè ignaros,

ros, ſexcentis fermè annis ante Baſilij ortum, Parthorum Regnum, cum Regibus Arſacidis à Perſis deletum, nunquàm amplius repullulare potuiſſe. Baſilium inſignem religione & iuſtitia, dum breuibus more ſuo Turſelinus prædicat, Is, inquit, magiſtratus integerrimis mandabat viris, maximèq; ab ambitione alienis, & ipſe quoties vacaret, iudicijs aderat, præconibus per vrbem circummiſſis qui denuntiarent, adeſſe Auguſtum, eius ope aut opera vti volentibus: in ſumma caritate annonæ, apertis publicis horreis, cum maximo fiſci detrimento, populi inopiá leuauit, nec facilè alius plura templa vel inſtaurauit, vel condidit; Iudæorum complures, etiam pecunia, ad Chriſti ſacra pellexit; barbarorum quoque ingentem vim, in ijs Ruſſos ad veram traduxit religionem, miſſo ad eos egregiæ ſanctitatis Epiſcopo; igitur propitio Deo bella contra Saracenos feliciter per Duces geſſit; Ameras Rex cum exercitu cæſus, Cretenſium Saracenorum claſſis oppreſſa, Tarentum de ijſdem receptum: hæc Turſellinus: nos plura vbi inter Cæſares Illyricanos eius vitam deſcripſimus: at inter eximias eius virtutes, præclariſſimum eius pietatis & obſeruantiæ ergà Catholicam religionem enitet augurum; quod octauæ Synodi cogendæ promotor, Schiſma inſanum Photij, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ incubatoris, caput ex orco attollens, oppreſſit, Romani Pontificis in toto terrarum orbe Primatu, egregiè defenſo & aſſerto. prædicatur inſuper mira ergà ſubditos populos charitas, nunquàm enim ſibi perſuaderi paſſus eſt, vt vectigalibus, prædeceſſorum incuria, maximo ærarij publici detrimento, deperditis, exigendis, nedum augendis, aſſiduorum bellorum onere grauatus licet, aures adhiberet, cum populos leuare, non premere boni principis eſſe dictitaret, vt patris. Tali parente Stephanus, Romani Pontificis repromiſſione & benedictione, progenitus eſt: Hadrianus enim eiuſcemodi nominis ſecundus, vbi pietate Baſilij, impio Photio Conſtantinopolitani throni prædone deiecto, Ignatium ſuæ ſedi reſtitutum, Legatosq; ſuos ſumma reuerentia ab Imperatore exceptos accepit, ad eundem ſcribens, ita loquitur: Quoniam tranquilliſſime Imperator

perator audiſti vocem Dei, per Apoſtolicę ſedis officium tibi delatum, & honoraſti eximios eius Apoſtolos, & reſtituiſti Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ throno proprium paſtorem, repellens adulterum; benedictus ſis ab omnipotenti Deo, & videas ſubiectionem inimicorum, & temporum longitudinem, ac in ſolio de lumbis tuis hæredem, atque in futuro, vitam perpetuam. ita ille vt Chriſti Vicarius, ipſius Chriſti verbis, potiùs quàm humanis alloquijs. etenim & plurima de ſæuiſſimis hoſtibus retulit trophæa, & Imperium ad viceſimum annum feliciſſime produxit, & ex lumbis ſuis, Conſtantinum, Leonem, & Alexandrum filios vidit imperitantes, & ipſum filium quartum Stephanum diuino cultui, ab ipſa infantia ſacratum, quatuor præterea filias Chriſto immortali Regi, deſponſatas. denique quod nulli Romanorum principum ad ea tempora contigerat, eius poſteritas ad ſextam vſque progeniem, ipſis fœminis poſt mares ſuccedentibus, vt in noſtris Illyricis Cæſaribus oſtendimus, Romani frena tenuit imperij. Stephanus itaq; Apoſtolicę benedictionis fructus eximius, Imperatore Baſilio, ſed ante imperiũ natus, circa 60. annum noni Chriſtiani ſæculi, adſcitis à Baſilio, Conſtantino, Leone, Alexandroq; filijs, in partem curarum Regni, ipſe planè infans, eodem pio patre authore, Deo dicatur, diuinisq; mancipatur officijs, Anaſtaſio, & Curopalata teſtibus. eum à faſcijs ſanctum fuiſſe, teſtatus eſt Nicephorus Philoſophus, in oratione funebri, quã habuit in funere Antonij eiuſdem Stephani, in ſacra ſede ſucceſſoris. vt mirum non ſit iuuenem adhuc, conſilio fratris eius Leonis imperãtis poſt Baſilium, & ob optimarũ diſciplinarum peritiam, Sapientis cognomine omni æuo præclariſſimi, aptum exiſtimatum, qui vulnera immania Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ab infami Photio inflicta, curanda ſuſciperet. eius ad Patriarchalem dignitatem ſublimationem, Cardinalis Baronius ex vetuſto codice græco, hiſce verbis exponit: Leo, eiecto tyranno, & inuaſore Photio, fratrem ſuum germanum introduxit, aduocato etiam Stephano Neocæſareæ metropolita, cognomento Mapa, & alijs eius in perſecutione commilitonibus Epiſcopis, Præpoſitis,

Presbyteris, Diaconis, & alijs eius pietatis sectatoribus, ait illis: Nostrum ex Deo imperium, perpensa veritate, iniquum illum hominem Photium, à sede Patriarchali eiecit, & vestram persecutionem sedauit, nec vllo pacto cogar quemquam vestrum, vt inuiti cum illo communicetis; quin potiùs oro pietatem vestram, vt communicetis cum fratre meo, & fiat vnum ouile; sin autem inconsultis Romanis, qui Photium damnauerunt, nolueritis fratri meo conuenire, quoniam videlicet à Photio Diaconus fuit ordinatus, venite scribamus & mittamus vnà Romam ad Pontificẽ, vt dispenset absolutionem anathematis ijs, qui à Photio fuerunt ordinati. hactenùs Imperator verè & sanè de authoritate Romanæ sedis, & sacrorum eius canonum sapiens. scripsit igitur propterea Leo ad Pontificem, similiter etiam metropolita Cæsareæ, & eiusdem socij. quorum epistolam Baronius statim subijcit. Stephano itaq; secundo eius nominis Romano Pontifice, orientalium Catholicorum, Leonisq; Imperatoris annuente supplicationibus, Stephanus ætate iuuenis, moribus senex, fit Patriarcha. eius in Pontificatu gesta, magno piæ posteritatis præiudicio, vel à nullo accuratius memoriæ cõmendata, vel hactenùs vulgata dolemus. tribus annis eũ Constantinopolitanæ præfuisse Ecclesiæ, & ex Curopolate, & ex serie græca Patriarcharum eiusdem sedis, liquido constat. ita vt qui Christi anno octogentesimo octuagesimo sexto, patriarchale thronum conscendit, sub finem octogentesimi octuagesimi octaui anni, ex hac vita migrasse noscatur. anniuersaria eius sacra memoria decimaseptima Maij celebris, habetur in Græcorum Menologio eiuscemodi elogio.

Sancti Stephani Patriarchę Constantinopolitani, Basilij Imperatoris filij. hic propter simplices mores, atque prudentiam, & quietem, virtutis sublimitatem, adhuc iuuenis, Imperatoris & sacræ synodi, Clériq; totius, ac populi suffragio, Dei beneplacito ac iudicio, Cõstantinopoleos Patriarcha fuit electus. in magno autem & sacro throno collocatus, & magnum habens creditũ gregem, totius illius Ecclesiæ curam gerens, vigil custos, & verus pastor, ad orthodoxæ fidei pascua, proprias agens pecudes, medicos

mise-

miſerans, viduas & orphanos protegens, iniuriamq; patientes ab iniquorum eruens manibus, Deumq; colens in omnibus; ſic itaq; faciens, & carnem continentia conſumens, in ipſo ætatis flore migrauit ad Chriſtum. hæc ibi. vndè ſatis ſuperq; Paſtores Eccleſiarum diſcere valent, nec ætatis impetum, nec Regias obſtare delicias, quominùs perfecti Præſulis munus exactè is qui in ſortem domini vocatus eſt, valeat præſtare. nam & ætas feruidior intra fines moderationis Chriſtianæ contenta, validior, & Regalis educatio, Regis Regũ gloriæ intenta, in domo Dei curanda ſplendeſcit illuſtrior. extant complures Leonis Imperatoris nouellæ conſtitutiones diuerſorum argumentorum, ad ſtatum tamen Eccleſiaſticum pertinentes, ad eundem Stephanum Patriarchã datæ: vndè conſtat Imperia eo tempore in primis floreſcere, cum ſæculi principes in eo ſunt toti, vt diuini cultus incrementum, & Pontificum ſacram authoritatẽ promoueant, magisq; pijs, quàm politicis curis, animum admotum habeant. Moyſe quippe ſacerdotum auxilio, manus ad Deum eleuante, felicitèr hoſtes exſcinduntur: quod planè Leoni ſapientiſſimo Principi contigiſſe nullum eſt dubium; eo nempè vulneribus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, cum ſacro fratre ſanandis conſpirante, hoſtes quilibet in eius imperium inſano furore debacchantes, inſanabili vulnere feliciſſimarum victoriarum, funduntur & exſcinduntur. notatu quoque digna, minimè ſilentio prætereunda videtur diuinæ beneficentiæ ergà Baſilij Magni pietatem munificentia, quæ pro quinque ex octo liberis Cæſareis, diuino cultui dicatis, duplici fænore adeò pium factum voluit in terris repenſum. decem diadematibus Cæſareis Baſiliana gente, fæminis etiam ipſis imperantibus exornata, per ducentos fermè integros perpetua & tranquilliſſima ſucceſſione, inter aſſiduas perfidiæ grçcanicæ inſidias, annos. & qua deficiente in orientali Imperio, ſanæ quoque Catholicæ pietatis obſeruantia in eodem orbe defecit.

# VITA
# S. STEPHANI APOST.
## ET PRIMI REGIS
## VNGARORVM.

ILLYRICAM pietatem in Bohemiæ partibus illustrem, Iuani virtutibus ostẽdimus. iam Bohemicæ gentis opera, Vngaricæ sanctitatis radios in Illyrico fulgentes, vt intueamur, Stephani Regis Apostolici mores inuitant. Vngaricam autem gentem nouam in Illyrico, à centum circiter annis, ante sancti Regis ortum, & à Christiana pietate diu alienam, in Pannonia Illyricæ telluris portione, quo tempore, quibusve Ducibus, consederit alibi docuimus. hæc lucem veritatis, quam in patrio solo olim nunquàm cognouerat, in Illyricam glebam transplantata, & agnouit, & quod nulli nationi contigit, primo suo Rege Apostolicum munus perurgente, magno Reipublicæ Christianæ incremento complexa est. rem memoria dignissimã Episcopus Charuitius aliquot retrò sæculis, cum in gratiam Colomani Regis commendarit memoriæ, ex ipsius penu, sed stylo per Laurentium Surium mutato, hic referemus. post præfationem igitur ad præfatum Colomanum: Omne datum optimum, inquit, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. huius quidem patris datum optimum, & donum perfectũ, ad omnes largiter dimanans, Neminem enim spernit, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ad Vngaros vsque, quos olim Christianorum flagellum fuisse constat, sese diffudit. Quod quemadmodùm, & quando factumq

sit,

sit, styli officio, ad posterorum notitiam transmittere visum est. Ea quidem tempestate, qua Vngarorum gens Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Vngaris in Pannoniam ingressuris, Ducem se præbuit, is Geisa dicebatur, seuerus sanè & crudelis homo in suos, potenter eis imperans: erga alios verò, præsertim Christianos, humanus, misericors, & liberalis, etsi autem paganismi adhuc erroribus esset implicatus, attamen cælestis gratiæ luce spirituali appropinquante, cum omnibus vicinis circumquaque prouincijs de pace cæpit accuratè tractare, vt iam in illo liceret animaduerti, cuius optaret esse filius, dicente in Euangelio Domino Saluatore; Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, edicto quoque proposito, iussit Christianis omnibus, in ipsius ditionem, siue Ducatum, ingredi volentibus, hospitalitatis, & publicæ fidei studium, & curam impendi. porrò Clericis, & Monachis, fecit potestatem in ipsius quoque conspectum veniendi, eosq; propenso animo audiuit; atque ita factum est, vt Orthodoxæ fidei semen in pectoris eius horto satum, in fruges erumpere gestiret. Quid multa? adest tempus cælitùs dispositum; credit ipse cum familiaribus suis; vndis salutaribus expiatus, omnes ditionis suæ homines pollicetur ad Christianismum perducturum. cum autem multum esset solicitus, de edomandis rebellibus; ritibus sacrilegis abolendis, ad sanctæ Ecclesiæ profectú, pro sua æstimatione statuendis Episcopatibus; mira quadam visione, nocte eum Dominus consolatus est: misit enim ad eum iuuenem speciosissimum, qui diceret ei: Pax tibi Christi electe; facessat cura isthæc, & solicitudo. non fiet per te id quod meditaris. habes enim manus humano sanguine pollutas: nascetur autem tibi filius, qui diuinæ prouidentiæ consilio id efficiet, quod tu animo concepisti: erit is Rex, & ex eorum Regum numero, quos Dominus elegit, coronam Regni temporarij, æterna commutaturus: tu verò hominem spiritali legatione apud te functurum, honorificè excipito; exceptum reuerenter habeto, eius adhortationibus syncerum pij pectoris assensum adhibeto. experrectus Princeps, stupens ad

 visio-

viſionem, priùs ſecum, deinde cum Chriſtianis, & ſuis hominibus pertractans, humi totus proſtratus, expanſis manibus humiliter gratias agit Deo, ſeq; principatumq; ſuum cum filio naſcituro, curæ illius, qui non dormit, neque dormitat, lachrymabundus commendat. admirante autem eo de viro diuinitùs ipſi prædicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum Bohemenſis Eccleſiæ Antiſtitem, ad ipſum venire, ad Chriſtianam religionem, fidemq; non fictam, eum traducere, & ob fidei profectum Domino laudis hoſtiam immolare cupientem. is nuncius nouis Chriſti tyronibus ineffabilem attulit lætitiam. Dux procedit obuiam ſeruo Chriſti, cum fidelibus quibuſque, honorificè eum excipit, & vt in viſione erat admonitus, modis omnibus ſe obedientiæ filium fore demonſtrat. deinde iubente ipſo, fit vbique congregatio indomitæ gentis; per ſanctum Epiſcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi conuertuntur, & baptizantur, multis locis Eccleſiæ conſtruuntur. lux enim illa quę illuminat omnem hominem, profligatis tenebris, cæpit in Vngaria enitere, & completum eſt in ea, quod Propheta ait: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Lux lucis inuiſibilis Chriſtus eſt, quem tunc gentiles videre meruerunt, quando è tenebris reuocati, illum eſſe & verum Deum, & hominem verum perfectè credidere. Non eſt autem ſilentio prætereundum, vt omnis ambiguitas tolleretur è medio, & ne parùm fidei habere videretur viſio Duci oblata; etiam vxorem eius, iam partui propinquã, eiuſmodi diuinitùs conſolatione affectam: apparuit illi beatus Leuita, & Prothomartyr Stephanus, Leuitici habitus inſignibus ornatus, ita eam compellans: Confide mulier in Domino, & certa eſto, te filium parituram, cui primo huius gentis, & Regnum & corona debetur. tu verò illi nomen impones meum. cum autem fæmina non ſine admiratione ſciſcitaretur ex eo, quiſnam aut eſſet, aut vocaretur? ſic reſpondit: Ego ſum Stephanus prothomartyr, qui primus pro Chriſti nomine martyrium obiui: ijs dictis diſparuit. naſcitur itaque, vt prædictum erat, filius Principi, notus Domino, ſecundum Prophetiam antequàm in vtero concipere-

cipere-

ciperetur, & per Stephanum prothomartyrem à Domino appellatus, antequam natus. eum verò beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizauit, & nomen Stephani ei impositum est; non sine nutu & consilio Dei, vt nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim latinè coronam significat. & illum Deus voluit tum Regni temporarij, tum futuræ beatitudinis redimire corona, vt vita & gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidem Strigoniensi natus est, & illic quoque puer præceptis grammatices ad plenum imbutus est. intereà creuit accuratè educatus; cumq; iam excessisset pueritiæ metas, pater eius conuocauit Vngariæ proceres, & reliquos ordines, cõmunicatoq; cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. vtq; ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. deinde iam grandæuus, anno à Christo nato nongentesimo, nonagesimo septimo, vitæ huius ærumnas, cum cælestibus gaudijs commutauit. eodem autem anno, beatus Adalbertus cum in Prussiam gentis eius conuertendæ causa, profectus esset, martyrij palmam adeptus est. Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, principum & plebis fauore, patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. nam tametsi etiamnum esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat; scripturarum diuinarum, quarum amore impensè flagrabat, non immemor, iudicium & iustitiam, semper ob oculos versabat, & pulchrè quadrabat in eum illud Salamonis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. cumq; omnia Dei præcepta sedulò obseruare conaretur, apud se pertractabat; quemadmodum populum suum ad vnius Dei cultum adducere posset. animaduertens autem sine vicinarum gentium confæderatione id nequaquam fieri posse, cum exteris prouincijs pacem fecit, fidemq; inchoatam egregiè confirmauit, vt posset eò securius, id quod animo cõstituerat, in nouella plantatione efficere. sed hostis totius boni, & aduersarius diabolus, malignitate & inuidentia plenus, vt eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitauit. eius enim instinctu populus gentilis Christianę

fidei

fidei iugo, colla ſupponere noluit, & cum principibus domini ſui imperio ſubducere ſe moliebatur, itaq; depopulabantur eius vrbes, prædia vaſtabant, poſſeſſiones diripiebant, miniſtros cædebant, &, vt cætera taceam, etiam ipſi inſultabant. cumq; ab huiuſmodi improbitate reuocare ſe nollent, nec ſuo furori, & amentiæ modum ſtatuerent; Dux ipſe diuinæ virtuti confidens, ad edomandam illorum rabiem, cum ſui exercitus copijs ſub ſignis Deo dilecti pontificis Martini, & clariſſimi martyris Georgij, mouit in hoſtes: qui tum fortè vrbem obſidebant, quam vulgò Veſprinum vocant. quod quidem illi in eius fecere contumeliam, vt quem ad locum ille familiariùs conſueuiſſet accedere, ibi ipſi conſiderent; eſſetq; ex eo loco facilior ipſis aditus, ad alia præſidia occupanda. at ille diuina fretus ope, & clementia, illos aggreſſus eſt; & illis quidem ſuis armis confidentibus, ipſo verò fide armato, vtrinque congreſſi ſunt. victis tandem hoſtibus & partìm cæſis, partìm captis, Dux victor abſceſſit, & ſapienter quidem de illorum villis & agris, ſiue poſſeſſionibus ſtatuens; non quemadmodum olìm Saul, quo ſuperatis Amalechitis contrà quam Dominus iuſſerat, ex eorum ſpolijs optima quæq; ſeruauerat; ſed quia Pannonia beatiſſimum Martinum apud ſe natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Chriſto fidelis, vt iam dictum eſt, ex hoſtibus victoriam reportauit; nihil de rebus eorum in ſuos vſus conuertit; ſed ex Dei amantium conſilio, iuxtà eiuſdem ſancti Præſulis fundum, eo loco, qui ſacer mons dicitur, vbi ſanctus Martinus cum in Pannonia degeret, precari ſolitus erat; ſub eius nomine monaſterium conſtruxit, poſſeſſiones, & redditus ſufficientes ei attribuens. idem verò de Epiſcopis conſtituit, ex illorum captiuorum facultatibus, decimas perſolui volens, idq; adeò exactè, vt ſiquis decem haberet proles, decimam prolem ſancti Martini cænobio daret. ita ergo hoſtibus ſub iugum miſſis, Chriſti miles gaudio ſpiritali perfuſus, omnem ingenij ſui vim contulit, ad conſectandam doctrinam Euangelicam. itaq; dabat operam eleemoſynis, vacabat precibus, crebrò adhærens Eccleſiæ pauimento, cum lachrymis orabat

Dominum, vt animi sui propositum ipse ad effectum perduceret; vt qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante prouidentia, bona quæ facere decreuisset, cum virtutum incremento etiam re ipsa exequi valeret. Cum autem facilè intelligeret ad hæc inchoanda & consummanda, fideliũ Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuncios & litteras in partes omnes suum declarauit votum & desiderium. multi igitur Presbyteri & Clerici, sancti Spiritus gratia compuncti, relictis sedibus suis Christi causa peregrini esse voluere. Abbates & Monachi, nihil proprij habere cupientes, sub tam religioso principe, statuerunt ad sui instituti præscriptum viuere: in quibus fuit Astricus Abbas cum discipulis suis; è quibus Bonifacius loco patris Abbas posteà creatus, & à Beato Rege in inferiores Vngariæ partes, causa prædicationis missus, in vertice gladio percussus, & si superuixit, non est martyrij corona frustratus. venerunt etiam duo è Polonia eremiticæ vitæ contemplationis causa, studiosi: ex ijs alter Andreas dictus, confessionis meritò choris Angelicis est adiunctus, haud obscurè id declarantibus miraculorum signis, quæ per eum Dominus effecit. alter Benedictus nomine pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. porrò Astricus Abbas cum suis honorificè acceptus, ad radices montis ferrei, cænobium in sancti Benedicti honorem construxit, vbi hodieq; monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerum copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelij præscriptum, suos aliorumq; pedes, quotidianis precibus, & lachrymis lauet. Cum hic Dei seruis princeps Christianissimus, modò communiter cum omnibus, modò separatim cum singulis colloquia miscens, vsqueadeò diuinis conspectibus gratum, & acceptum se præbuit, vt per eum omnes militiæ eius comites, ad veri Dei cultum adducti sint. quos autem alios Deos colere animaduertit, eos & minis, & terroribus subiugauit, & conuenienter doctrinæ Ecclesiasticæ illos instituens, in eorum ceruices disciplinæ iugũ, & legem imposuit, omnesq; dæmonum spurcitias prorsus eliminauit. Posteà verò prouinciam

ciam in decem Episcopatus distribuit, quorum metropolim, & magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem. non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopum Colocensem constituit, canonica electione creatum. deinde quarto à patris obitu anno, diuinitùs promotus, eundem Astricum præsulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad sanctorum Apostolorum limina misit, à Petri Apostolorum Principis successore petiturum, vt recens conuersæ Pannoniæ, largam benedictionem impertiretur, Strigoniensem Ecclesiam sua authoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Ducem Regio Diademate cohonestaret; vt eò fultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio cæpisset, ea magis, magisq; promouere & constabilire posset. per idem tempus etiã Miesco Polonorum Dux Christianam complexus fidem, legatos suos Romam miserat, vt Pontificis benedictionem, & Regium ipsum titulum, impetrarent. assenserat quidem Pontifex, & iam coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus, qui sunt eius, qui etiam duobus ab Apostolis propositis Matthiam socio suo prætulit, & cum Apostolis annumerandum curauit; illa Corona Stephanum ornari voluit, posteà feliciùs gloria sempiterna coronandum. nocte enim eius diei, quo statuerat Pontifex coronam Polonorum principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitq; ad eum: Noueris cras hora diei prima, ignotæ gentis nuncios ad te venturos, suo Duci coronam Regiam, & Apostolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergò coronam, quam parari iussisti, illis incunctanter tribue, ad ipsorum ducem eam asportaturis; nec dubites, illi eam cum Regni gloria, pro vitæ eius meritis deberi. itaq; crastina luce, ea hora, qua prædictum erat, Præsul Astricus ad Pontificem venit, demandatumq; sibi officium prudenter exequens, sanctiq; Ducis res gestas ordine referens, à sede Apostolica Regni coronam petijt, ostendens dignum esse Ducem eo honore & dignitate, quippè qui diuina fretus ope, multos sibi populos subiugasset, mul-

tósq; infideles, sua potentia ad Christum conuertisset. His auditis mirè exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit. Crucemq; ante Regem, ceu Apostolatus insigne, gestandam adiunxit: Ego, inquiens, sum Apostolicus, at ille meritò Christi Apostolus dici potest, cuius opera tantum populum sibi Christus acquisiuit: atque ea de causa, quemadmodum diuina gratia ipsum docebit, Ecclesias Dei, vnà cum populis, nostra vice ei ordinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quæ postularat Antistes Astricus, lætus ad suos reuertitur, illud secum ferens, cuius causa iter illud emensus erat. allatis verò apostolicæ benedictionis litteris, cum Corona, & Cruce, Præsules cum Clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpunt, & Deo dilectus Stephanus princeps, vngitur in Regem, & diademate regio feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam egerit, qua prudentia & moderatione fuerit, illud satis declarat edictum, quod ab illo cum Episcopis, & Vngariæ primoribus promulgatum est; quo singulorum vitijs, singula adhibuit remedia; & vt pacis, qua Christus orbem coadunauit, se filium ostenderet, inter cætera cauit; ne quis alium hostiliter inuaderet; ne quis vicinum suum absque iudicis sententia læderet, ne quis viduas, & pupillos opprimeret. id verò decretum perpetui fœderis subscriptione ad posteros suos transmisit. Porrò consortem Regni præcipuè sobolis propagandę causa sibi adsciuit Henrici Imperatoris filiam, sororem meliores volunt Giselam; qui Imperator ob morum comitatem, & mansuetudinem, Pius est appellatus. ea autem Gisela, Chrismate vncta, & corona Regia insignita, qualem se præbuerit ergà Dei cultum ornandum, quam frequens & benigna, ac liberalis ergà Christo seruientium congregationes fuerit; multarum Ecclesiarum Cruces, vasa sacra, & vtensilia, miro opere effecta, vel contexta, in hunc vsque diem testantur. præcipuè tamen Ecclesia Vesprimiensis, quam illa à fundamentis constructam, rebus omnibus, quæ ad Dei ministerium sufficiant, in auro, argento, multigenisq; vestibus, præclarè ornauit. ipse verò Rex, nuper inchoatos Episcopatus,

ideſt, tàm Metropolitam, quàm cæteras Cathedrales Eccleſias, ampliſſima ſingulis aſſignata diæceſi, & idoneo præfecto Antiſtite, Abbatias quoque prædijs, Cohortibus, familijs, & redditibus, regia planè munificentia inſtruxit, Crucibus, vaſis ſacris, aliaq; ſupellectile ad Dei miniſterium ſpectante, pro cuiuſque neceſſitate, vel indigentia, ſatis exornauit, annisq; ſingulis quoad vixit, munera & oblationes ſemper auxit, ne aliquid extrinſecùs conquirere cogerentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoque vitam, & conuerſationem, modò per ſeipſum, modò per alios accuratè inueſtigans, deſides arguebat, alacres & vigiles charos habebat, Canonicorum miniſterium, Epiſcoporum moderationi, & circumſpectioni ſub Chriſti Eccleſiæ reſtificatione, commendabat, cum Apoſtolo omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Ea tempeſtate, in Monaſterio S. Martini, erat monachus quidam Sebaſtianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religioſa deuotio habebatur: eum venerabilis Rex miro cæpit amore complecti (quanto enim quiſque eſſet religioſior, tanto illi quoque charior erat) atque ob vitæ eius merita, dignum eum cenſens, qui Epiſcopi dignitate polleret, Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum eſſe voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium quem recipit, Sebaſtianum illum, vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriuſque luminis orbitate afflixit, ne verò nouellus grex paſtoris gubernatione deſtitutus, à recto itinere deflecteret, & aberraret, Romano Pontifice aſſentiente, Aſtricum Colocenſem Epiſcopum, cuius iam crebro eſt habita mentio, in eius locum Rex ſubſtituit; triennio inde euoluto, Sebaſtianus ex Dei benignitate, recuperauit viſum, & Pontifice Romano approbante, Aſtricus cum pallio, redijt ad ſuam Colocenſem Eccleſiam, Sebaſtianus Strigonienſem gubernandam recepit. Erat ſanè Rex ille fidelis, & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus, & addictus, ſe ipſum quoque & Regnum ſuum per votum & oblationem, in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam, aſſiduis precibus contulit. cuius ſacratiſſimæ Virginis honor & gloria, tam eſt cele-

bris apud Vngaros, vt festum assumptionis eius, tacito proprio nomine, sua lingua, diem Dominæ appellent; atque vt Rex pijssimus propensionem tantæ Virginis, defensioné, & patrocinium, posset promereri; in ipsa Regiæ sedis ciuitate, quam Albam vocant, in eiusdem perpetuæ Virginis laudem & honorem, & grandem & insignem, atque in primis celebrem basilicam condidit; opere sanè mirifico, celatis Chori parietibus, & pauimento marmore strato: quam basilicam qui vidit, testimonium perhibet dictis nostris. innumera illic haberi palliorum, & eorum quæ paramenta vocant, genera; tabulas altarium non paucas ex auro purissimo, preciosissimorum lapillorũ ordinibus conspicuas; Eucharistiæ ædiculam, quam ciborium dicunt, arte mirabili, supra Christi mensam extructam; conclaue omni genere vasorum, crystallinorum, onichinorum, aureorum, & argenteorum abundè refertum. tantæ verò elegantiæ Ecclesiam vsque adeò rex sibi vni vendicauit, adeòq; immunem esse voluit, vt nullus Episcopus quicquam in ea iuris haberet. quibus autem diebus absolutio esset pœnitentibus impendenda, aut sacrum Chrisma conficiendum, eum Episcopum voluit in ea, & absoluere, pœnitentes, & Chrisma conficere, quem ipse vel præsens id facere iuberet, vel quem absens eo mitteret. diuina quoque Missarum solemnia, Rege illic præsente, eum duntaxat Episcopum celebrare, cui Rex, consentiente cum fratribus Præposito, id demandaret; absente autem Rege, absque Præpositi & fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas celebrandi, vel cuiuslibet pontificalis ministerij exercendi, licentiam vsurpare. præterea eius Ecclesiæ populum, tanta libertate & immunitate gaudere voluit, vt nulli omnino Episcopo, decimas penderet, sed soli Præposito, & fratribus, prout ipse instituisset, seruitium exhiberet. Quæcumque autem seruus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Christum refundere studuit, à quo illa profecta non ignoraret. vt qui eum mundi huius gloria & honore dignum fecerat, etiam cælestis patrię ciuibus, clementer adscribere dignaretur. & in Prophetis quidem de Apostolis, scriptum legimus; In omnem

terram

terram exiuisse sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Non debet autem hoc de solis illis duodecim accipi, sed de omnibus à Deo ad euangelizandum missis, quorum fide, verbis, & moribus, Ecclesia suis augescit incrementis: ex eorum autem numero ille de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, vt qui bonæ voluntatis, & piorum operum famam, quã Ecclesijs in propriæ ditionis amplitudine construendis sibi peperit; in longinquas regiones, & vrbes celeberrimas diffuderit, ac propagarit: extruxit enim in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est, Monachorum Cœnobium, idemq; prædijs, & vineis, vnde eis quotidiani victus copia suppetat, ditauit; Romæ quoque quæ est mundi caput, sub Prothomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum Collegium condidit, rebus necessarijs, & ad eiuscemodi Collegium attinentibus, abundans, domos quoque & Hospitia Vngarorum, qui orationis causa Romam ad B. Petri Apostolorum Principis limina venirent, exædificauit, muro ea lapideo circumdans: tum quoque Vrbem Regiam Constantinopolim noluit suæ libertatis esse expertem: mirifici operis in ea condens Ecclesiam, rebus omnibus necessarijs ei adiunctis: itaque non immeritò suæ ditionis Apostolus appellatus est: & si verò ille sibi euangelizandi munus non sumpsit, attamen ceu quidã concionatorum Dux & Magister, defensionis & sustentationis solatia eis suppeditauit. Inter omnia autem cælestis gratiæ munera, beato Regi diuinitus collata, illa vel præcipuè admiranda, & scriptis commendanda videntur, quæ etiam ad promerenda æternæ vitæ gaudia primarium locum obtinent, puta misericordia & veritas: in cunctis enim felicibus factis suis, hoc vel maximè sibi consectandum existimabat, quod in Euangelio scriptum, fidelibus interioris hominis oculis contemplatus erat, ipsa veritate ita dicente: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: & alio loco: Date & dabitur vobis: tanta igitur misericordia, benignitate, & pietate, pauperes Christi, imò in pauperibus ipsum Christum complectebatur, vt nullum vnquam

hospitem & peregrinum, absque aliquo solatio, à se discedere pateretur, & ad recreandos egenos, quotidianas expensas, absque intermissione fieri iuberet. iam verò etiam nocturnis horis multa alacritate, & hilaritate, abluebat fidelium pedes, & in sinu pauperum abscondebat eleemosynas. Christum inopem membris eius consolari in hac vita cupiens, vt cum illo quandoque in illa cælesti domo, bonis omnibus refertissima, æternum exultare mereretur. Quadam autem nocte, diuino permotus instinctu, nemine sciente, crumenam nummis plenam accipiens, pusillum Christi gregem, suo more solus inuisit. & ecce pauperes cælestis thesauri distribuendæ pecuniæ nimium inhiantes, beati viri barbam euulserunt, ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. at ille gaudio perfusus ingenti ad beatissimã Creatoris omnium matrem se confert; humi prostratus, gratias agens exclamat: Regina cælestis & mea, en quem tu Regem constituisti, eum sic honorarunt milites tui: quæ si mihi ab aliquo hoste illata fuisset iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultam abire. at nunc sciens hinc mihi parari æternam felicitatem, impensè lætor, gratias agens illis pijssimi Saluatoris consolatorijs verbis, quibus discipulos suos confirmauit: Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit. His dictis cum se vir Dei cælesti gratia, & spiritali charismate perfusum sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia, opem poscentibus claudere, atque deinceps per semetipsum & alios, præcipuè tamen Christi seruos & familiares, nempe Clericos & Monachos, cælitus sibi datas facultates pauperibus impertijt, in æternis thesauris per illorũ manus reponendas. eius rei permulti sunt testes, atque in ijs beatus Guntherus ex sæculari nobilitate conuersus, atque Eremita & Monachus effectus, cum illo nunc vitæ beatæ particeps. is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus, è Bohemiæ regione, crebrò ad illum venire solebat. quoties autem suã præsentia eius aulam illustraret, curam Regni ei demandabat Rex: tum ille rebus quas in aula inuenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, Cænobia, & Ecclesias erogatis, breui illam exinaniebat,

ad eius quoque nutum Rex Deo deuotus monasteriũ, quod Beel vocant, inchoauit, bonis omnibus illud locupletans; in quo Gerardus Monachus, qui Venetijs eò venerat, Dalmata tamen, & Siccensi patria natus, vitam duxit contemplationi addictam, & postea diuina ordinatione creatus Episcopus, post obitum sancti Regis, orta Christianorum persecutione, lapidibus oppressus, diuino munere, martyrum contubernio dignus effectus est. nec hic prætermittendum puto, quod diuina virtus in beati viri vita demonstrare voluit, cuius meriti esset. nam quoties ad aures eius peruenisset, quempiam aduersa laborare valetudine, medicinæ loco misit ei, siue panis, siue pomi, vel herbæ odoriferæ particulam, simul mandans, vt sanus surgeret. mox verò diuinæ misericordiæ fauore eius sermonem prosequente, incolumis ille efficiebatur. Post gloriosam in cælos ascensionem, & mirabilem in paterna dextra consessum, Saluator noster paucis corporaliter apparuisse legitur, per visionem autem multos consolans, de rebus futuris eos fecit certiores. idem verò præstitit etiam huic sancto Regi: quadam enim nocte ex reuelatione experrectus, veredarium quemdam intra diem & noctem iussit properè ire ad Albam Transyluaniæ, & omnes ruricolas, vt ad Vrbes munitas celerrimè se cõferrent admonere, quod superuenturi essent Christianorum hostes Bessi ( qui tum Vngaris infensi & infesti erant ) eorumq; res depredaturi. vix nuncius compleuerat, quæ iussus erat, & ecce Bessorum inopinata incursio, & impetus incendijs & rapinis depopulatur omnia, corporibus hominum illæsis, quod ex beati viri præmonitione in tutiora loca se recepissent. Defuncto autem B. Regis amico Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in imperio successit. is pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniæ viribus & copijs cõtractis, Pannoniæ infesta signa inferre conatus est. tum verò Rex Stephanus Episcoporum & Principum coacto conuentu, in patriæ defensionem, totius Vngariæ exercitum euocauit. at prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus & corde sursùm erectis, Dominæ suæ perpetuæ Virgini & Dei genitrici,

# VITA S. STEPHANI APOST. ET PRIMI REGIS VNGARORVM.



LLYRICAM pietatem in Bohemiæ partibus illustrem, Iuani virtutibus ostendimus: iam Bohemicæ gentis opera, Vngaricæ sanctitatis radios in Illyrico fulgentes, vt intueamur, Stephani Regis Apostolici mores inuitant. Vngaricam autem gentem nouam in Illyrico, à centum circiter annis, ante sancti Regis ortum, & à Christiana pietate diu alienam, in Pannonia Illyricæ telluris portione, quo tempore, quibusve Ducibus, consederit alibi docuimus. hæc lucem veritatis, quam in patrio solo olim nunquàm cognouerat, in Illyricam glebam transplantata, & agnouit, & quod nulli nationi contigit, primo suo Rege Apostolicum munus perurgente, magno Reipublicæ Christianæ incremento complexa est. rem memoria dignissimã Episcopus Charuitius aliquot retrò sæculis, cum in gratiam Colomani Regis commendarit memoriæ, ex ipsius penu, sed stylo per Laurentium Surium mutato, hic referemus. post præfationem igitur ad præfatum Colomanum: Omne datum optimum, inquit, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. huius quidem patris datum optimum, & donum perfectũ, ad omnes largiter dimanans, Neminem enim spernit, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ad Vngaros vsque, quos olim Christianorum flagellum fuisse constat, sese diffudit. Quod quemadmodùm, & quando factũque

sit,

ſit, ſtyli officio, ad poſterorum notitiam tranſmittere viſum eſt. Ea quidem tempeſtate, qua Vngarorum gens Dei Eccleſiam populabatur, fuit in ea Princeps quidam, quartus ab eo, qui Vngaris in Pannoniam ingreſſuris, Ducem ſe præbuit, is Geila dicebatur, ſeuerus ſanè & crudelis homo in ſuos, potenter eis imperans: erga alios verò, præſertim Chriſtianos, humanus, miſericors, & liberalis, etſi autem paganiſmi adhuc erroribus eſſet implicatus, attamen cæleſtis gratiæ luce ſpirituali appropinquante, cum omnibus vicinis circumquaque prouincijs de pace cæpit accuratè tractare, vt iam in illo liceret animaduerti, cuius optaret eſſe filius, dicente in Euangelio Domino Saluatore; Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, edicto quoque propoſito, iuſſit Chriſtianis omnibus, in ipſius ditionem, ſiue Ducatum, ingredi volentibus, hoſpitalitatis, & publicæ fidei ſtudium, & curam impendi. porrò Clericis, & Monachis, fecit poteſtatem in ipſius quoque conſpectum veniendi, eosq; propenſo animo audiuit; atque ita factum eſt, vt Orthodoxæ fidei ſemen in pectoris eius horto ſatum, in fruges erumpere geſtiret. Quid multa? adeſt tempus cælitus diſpoſitum, credit ipſe cum familiaribus ſuis; vndis ſalutaribus expiatus, omnes ditionis ſuæ homines pollicetur ad Chriſtianiſmum perducturum. cum autem multum eſſet ſolicitus, de edomandis rebellibus, ritibus ſacrilegis abolendis, ad ſanctæ Eccleſiæ profectū, pro ſua æſtimatione ſtatuendis Epiſcopatibus, mira quadam viſione, nocte eum Dominus conſolatus eſt: miſit enim ad eum iuuenem ſpecioſiſſimum, qui diceret ei: Pax tibi Chriſti electe, faceſſat cura iſthæc, & ſolicitudo. non fiet per te id quod meditaris. habes enim manus humano ſanguine pollutas: naſcetur autem tibi filius, qui diuinæ prouidentiæ conſilio id efficiet, quod tu animo concepiſti: erit is Rex, & ex eorum Regum numero, quos Dominus elegit, coronam Regni temporarij, æterna commutaturus. tu verò hominem ſpiritali legatione apud te functurum, honorificè excipito: exceptum reuerenter habeto, eius adhortationibus ſyncerum pij pectoris aſſenſum adhibeto. experrectus Princeps, ſtupens ad viſio-

visionem, priùs secum, deinde cum Christianis, & suis hominibus pertractans, humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias agit Deo, seq; principatumq; suum cum filio nascituro, curæ illius, qui non dormit, neque dormitat, lachrymabundus commendat. admirante autem eo de viro diuinitùs ipsi prædicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum Bohemensis Ecclesiæ Antistitem, ad ipsum venire, ad Christianam religionem, fidemq; non fictam, eum traducere, & ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cupientem. is nuncius nouis Christi tyronibus ineffabilem attulit lætitiam. Dux procedit obuiam seruo Christi, cum fidelibus quibusque, honorificè eum excipit, & vt in visione erat admonitus, modis omnibus se obedientiæ filium fore demonstrat. deinde iubente ipso, fit vbique congregatio indomitæ gentis; per sanctum Episcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi conuertuntur, & baptizantur, multis locis Ecclesiæ construuntur. lux enim illa quę illuminat omnem hominem, profligatis tenebris, cæpit in Vngaria enitere, & completum est in ea, quod Propheta ait: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentiles videre meruerunt, quando è tenebris reuocati, illum esse & verum Deum, & hominem verum perfectè credidere. Non est autem silentio prætereundum, vt omnis ambiguitas tolleretur è medio, & ne parùm fidei habere videretur visio Duci oblata; etiam vxorem eius, iam partui propinquã, eiusmodi diuinitùs consolatione affectam: apparuit illi beatus Leuita, & Prothomartyr Stephanus, Leuitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellans: Confide mulier in Domino, & certa esto, te filium parituram, cui primo huius gentis, & Regnum & corona debetur. tu verò illi nomen impones meum. cum autem fæmina non sine admiratione sciscitaretur ex eo, quisnam aut esset, aut vocaretur? sic respondit: Ego sum Stephanus prothomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obiui: ijs dictis disparuit. nascitur itaque, vt prædictum erat, filius Principi, notus Domino, secundum Prophetiam antequàm in vtero concipere-

ciperetur, & per Stephanum prothomartyrem à Domino appellatus, antequam natus. eum verò beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizauit, & nomen Stephani ei impositum est; non sine nutu & consilio Dei, vt nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim latinè coronam significat. & illum Deus voluit tum Regni temporarij, tum futuræ beatitudinis redimire corona, vt vita & gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidem Strigoniensi natus est, & illic quoque puer præceptis grammatices ad plenum imbutus est. intereà creuit accuratè educatus; cumq; iam excessisset pueritiæ metas, pater eius conuocauit Vngariæ proceres, & reliquos ordines, cõmunicatoq; cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. vtq; ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. deinde iam grandæuus, anno à Christo nato nongentesimo, nonagesimo septimo, vitæ huius ærumnas, cum cælestibus gaudijs commutauit. eodem autem anno, beatus Adalbertus cum in Prussiam gentis eius conuertendæ causa, profectus esset, martyrij palmam adeptus est. Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, principum & plebis fauore, patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. nam tametsi etiamnum esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat; scripturarum diuinarum, quarum amore impensè flagrabat, non immemor, iudicium & iustitiam, semper ob oculos versabat, & pulchrè quadrabat in eum illud Salamonis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. cumq; omnia Dei præcepta sedulò obseruare conaretur, apud se pertractabat; quemadmodum populum suum ad vnius Dei cultum adducere posset. animaduertens autem sine vicinarum gentium confœderatione id nequaquam fieri posse, cum exteris prouincijs pacem fecit, fidemq; inchoatam egregiè confirmauit, vt posset eò securius, id quod animo constituerat, in nouella plantatione efficere. sed hostis totius boni, & aduersarius diabolus, malignitate & inuidentia plenus, vt eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitauit. eius enim instinctu populus gentilis Christianę

fidei

fidei iugo, colla supponere noluit, & cum principibus domini sui imperio subducere se moliebatur, itaq; depopulabantur eius vrbes, prædia vastabant, possessiones diripiebant, ministros cædebant, &, vt cætera taceam, etiam ipsi insultabant. cumq; ab huiusmodi improbitate reuocare se nollent, nec suo furori, & amentiæ modum statuerent; Dux ipse diuinæ virtuti confidens, ad edomandam illorum rabiem, cum sui exercitus copijs sub signis Deo dilecti pontificis Martini, & clarissimi martyris Georgij, mouit in hostes. qui tum forte vrbem obsidebant, quam vulgo Vesprinum vocant. quod quidem illi in eius fecere contumeliam, vt quem ad locum ille familiarius consueuisset accedere, ibi ipsi considerent; essetq; ex eo loco facilior ipsis aditus, ad alia præsidia occupanda. at ille diuina fretus ope, & clementia, illos aggressus est; & illis quidem suis armis confidentibus, ipso verò fide armato, vtrinque congressi sunt. victis tandem hostibus & partim cæsis, partim captis, Dux victor abscessit, & sapienter quidem de illorum villis & agris, siue possessionibus statuens; non quemadmodum olim Saul, quo superatis Amalechitis contra quam Dominus iusserat, ex eorum spolijs optima quæq; seruauerat; sed quia Pannonia beatissimum Martinum apud se natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis, vt iam dictum est, ex hostibus victoriam reportauit; nihil de rebus eorum in suos vsus conuertit; sed ex Dei amantium consilio, iuxta eiusdem sancti Præsulis fundum, eo loco, qui sacer mons dicitur, vbi sanctus Martinus cum in Pannonia degeret, precari solitus erat; sub eius nomine monasterium construxit, possessiones, & redditus sufficientes ei attribuens. idem verò de Episcopis constituit, ex illorum captiuorum facultatibus, decimas persolui volens, idq; adeò exactè, vt siquis decem haberet proles, decimam prolem sancti Martini cænobio daret. ita ergo hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnem ingenij sui vim contulit, ad consectandam doctrinam Euangelicam. itaq; dabat operam eleemosynis, vacabat precibus, crebrò adhærens Ecclesiæ pauimento, cum lachrymis orabat

Dominum, vt animi sui propositum ipse ad effectum perduceret; vt qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante prouidentia, bona quæ facere decreuisset, cum virtutum incremento etiam te ipsa exequi valeret. Cum autem facilè intelligeret ad hæc inchoanda & consummanda, fideliũ Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuncios & litteras in partes omnes suum declarauit votum & desiderium. multi igitur Presbyteri & Clerici, sancti Spiritus gratia compuncti, relictis sedibus suis Christi causa peregrini esse voluere. Abbates & Monachi, nihil proprij habere cupientes, sub tam religioso principe, statuerunt ad sui instituti præscriptum viuere: in quibus fuit Astricus Abbas cum discipulis suis; è quibus Bonifacius loco patris Abbas posteà creatus, & à Beato Rege in inferiores Vngariæ partes, causa prædicationis missus, in vertice gladio percussus, & si superuixit, non est martyrij corona frustratus. venerunt etiam duo è Polonia eremiticæ vitæ contemplationis causa, studiosi. ex ijs alter Andreas dictus, confessionis merito choris Angelicis est adiunctus, haud obscurè id declarantibus miraculorum signis, quæ per eum Dominus effecit. alter Benedictus nomine pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. porrò Astricus Abbas cum suis honorificè acceptus, ad radices montis ferrei, cænobium in sancti Benedicti honorem construxit, vbi hodieq; monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerum copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelij præscriptum, suos aliorumq; pedes, quotidianis precibus, & lachrymis lauet. Cum hic Dei seruis princeps Christianissimus, modò communiter cum omnibus, modò separatim cum singulis colloquia miscens, vsqueadeò diuinis conspectibus gratum, & acceptum se præbuit, vt per eum omnes militiæ eius comites, ad veri Dei cultum adducti sint. quos autem alios Deos colere animaduertit, eos & minis, & terroribus subiugauit, & conuenienter doctrinæ Ecclesiasticæ illos instituens, in eorum ceruices disciplinæ iugũ, & legem imposuit, omnesq; dæmonum spurcitias prorsus eliminauit. Posteà verò prouinciam

ciam in decem Episcopatus distribuit, quorum metropolim, & magistram esse voluit Ecclesiam Strigoniensem. non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopum Colocensem constituit, canonica electione creatum. deinde quarto à patris obitu anno, diuinitùs promotus, eundem Astricum præsulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad sanctorum Apostolorum limina misit, à Petri Apostolorum Principis successore petiturum, vt recens conuersæ Pannoniæ, largam benedictionem impertiretur, Strigoniensem Ecclesiam sua authoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Ducem Regio Diademate cohonestaret; vt eò fultus honore, quæ diuinæ gratiæ adiutorio cœpisset, ea magis, magisq; promouere & constabilire posset. per idem tempus etiã Miesco Polonorum Dux Christianam complexus fidem, legatos suos Romam miserat, vt Pontificis benedictionem, & Regium ipsum titulum, impetrarent: assenserat quidem Pontifex, & iam coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus qui sunt eius, qui etiam duobus ab Apostolis propositis Matthiam socio suo prætulit, & cum Apostolis annumerandum curauit, illa Corona Stephanum ornari voluit, posteà feliciùs gloria sempiterna coronandum. nocte enim eius diei, quo statuerat Pontifex coronam Polonorum principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitq; ad eum: Noueris cras hora diei prima, ignotæ gentis nuncios ad te venturos, suo Duci coronam Regiam, & Apostolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergò coronam, quam parari iussisti, illis incunctanter tribue, ad ipsorum ducem eam asportaturis; nec dubites, illi eam cum Regni gloria, pro vitæ eius meritis deberi. itaq; crastina luce, ea hora, qua prædictum erat, Præsul Astricus ad Pontificem venit, demandatumq; sibi officium prudenter exequens, sanctiq; Ducis res gestas ordine referens, à sede Apostolica Regni coronam petijt, ostendens dignum esse Ducem eo honore & dignitate, quippè qui diuina fretus ope, multos sibi populos subiugasset, mul-

tósq; infideles; sua potentia ad Christum conuertisset. Ijs audi-
tis mirè exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit. Cru-
cemq; ante Regem, ceu Apostolatus insigne, gestandam adiun-
xit: Ego, inquiens, sum Apostolicus, at ille meritò Christi Apo-
stolus dici potest, cuius opera tantum populum sibi Christus ac-
quisiuit: atque ea de causa, quemadmodum diuina gratia ip-
sum docebit, Ecclesias Dei, vnà cum populis, nostra vice ei or-
dinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quæ postularat An-
tistes Astricus, lætus ad suos reuertitur, illud secum ferens, cu-
ius causa iter illud emensus erat. allatis verò apostolicæ benedi-
ctionis litteris, cum Corona, & Cruce, Præsules cum Clero,
Comites cum populo, in laudes Dei prorumpunt, & Deo dile-
ctus Stephanus princeps, vngitur in Regem, & diademate regio
feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam
egerit, qua prudentia & moderatione fuerit, illud satis declarat
edictum, quod ab illo cum Episcopis, & Vngariæ primoribus
promulgatum est; quo singulorum vitijs, singula adhibuit re-
media; & vt pacis, qua Christus orbem condunauit, se filium
ostenderet, inter cætera cauit, ne quis alium hostiliter inuade-
ret; ne quis vicinum suum absque iudicis sententia læderet; ne
quis viduas, & pupillos opprimeret: id verò decretum perpetui
fœderis subscriptione ad posteros suos transmisit. Porrò consor-
tem Regni præcipuè sobolis propagandę causa sibi adsciuit Hen-
rici Imperatoris filiam, sororem meliores volunt Giselam; qui
Imperator ob morum comitatem, & mansuetudinem, Pius est
appellatus. ea autem Gisela, Chrismate vncta, & corona Re-
gia insignita, qualem se præbuerit ergà Dei cultum ornandum,
quam frequens & benigna, ac liberalis ergà Christo seruientium
congregationes fuerit; multarum Ecclesiarum Cruces, vasa sa-
cra, & vtensilia, miro opere effecta, vel contexta, in hunc vsque
diem testantur. præcipuè tamen Ecclesia Vesprimiensis, quam
illa à fundamentis constructam, rebus omnibus, quæ ad Dei mi-
nisterium sufficiant, in auro, argento, multigenisq; vestibus,
præclarè ornauit. ipse verò Rex, nuper inchoatos Episcopatus,
idest,

ideſt, tàm Metropolitam, quàm cæteras Cathedrales Eccleſias, ampliſſima ſingulis aſſignata diœceſi, & idoneo præfecto Antiſtite, Abbatias quoque prædijs, Cohortibus, familijs, & redditibus, regia planè munificentia inſtruxit, Crucibus, vaſis ſacris, aliaq; ſupellectile ad Dei miniſterium ſpectante, pro cuiuſque neceſſitate, vel indigentia, ſatis exornauit, annisq; ſingulis quoad vixit, munera & oblationes ſemper auxit, ne aliquid extrinſecùs conquirere cogerentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoque vitam, & conuerſationem, modò per ſeipſum, modò per alios accuratè inueſtigans, deſides arguebat, alacres & vigiles charos habebat, Canonicorum miniſterium, Epiſcoporum moderationi, & circumſpectioni ſub Chriſti Eccleſiæ teſtificatione, commendabat, cum Apoſtolo omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret. Ea tempeſtate, in Monaſterio S. Martini, erat monachus quidam Sebaſtianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religioſa deuotio habebatur: eum venerabilis Rex miro cæpit amore complecti (quanto enim quiſque eſſet religioſior, tanto illi quoque charior erat) atque ob vitæ eius merita, dignum eum cenſens, qui Epiſcopi dignitate polleret, Strigonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopum eſſe voluit. Sed quia flagellat Deus omnem filium quem recipit, Sebaſtianum illum, vt eius patientia probaretur, ad tempus vtriuſque luminis orbitate afflixit. ne verò nouellus grex paſtoris gubernatione deſtitutus, à recto itinere deflecteret, & aberraret, Romano Pontifice aſſentiente, Aſtricum Colocenſem Epiſcopum, cuius iam crebro eſt habita mentio, in eius locum Rex ſubſtituit; triennio inde euoluto, Sebaſtianus ex Dei benignitate, recuperauit viſum, & Pontifice Romano approbante, Aſtricus cum pallio, redijt ad ſuam Colocenſem Eccleſiam, Sebaſtianus Strigonienſem gubernandam recepit. Erat ſanè Rex ille fidelis, & integer in omnibus factis ſuis, Deo toto pectore deditus, & addictus, ſe ipſum quoque & Regnum ſuum per votum & oblationem, in perpetuæ Virginis Mariæ tutelam, aſſiduis precibus contulit. cuius ſacratiſſimæ Virginis honor & gloria, tam eſt cele-

bris apud Vngaros, vt festum assumptionis eius, tacito proprio nomine, sua lingua, diem Dominæ appellent; atque vt Rex pijssimus propensionem tantæ Virginis, defensionē, & patrocinium, posset promereri; in ipsa Regiæ sedis ciuitate, quam Albam vocant, in eiusdem perpetuæ Virginis laudem & honorem, & grandem & insignem, atque in primis celebrem basilicam condidit; opere sanè mirifico, celatis Chori parietibus, & pauimento marmore strato: quam basilicam qui vidit, testimonium perhibet dictis nostris. innumera illic haberi palliorum, & eorum quæ paramenta vocant, genera; tabulas altarium non paucas ex auro purissimo, preciosissimorum lapillorū ordinibus conspicuas; Eucharistiæ ædiculam, quam ciborium dicunt, arte mirabili, supra Christi mensam extructam; conclaue omni genere vasorum, crystallinorum, onichinorum, aureorum, & argenteorum abundè refertum. tantæ verò elegantiæ Ecclesiam vsque adeò rex sibi vni vendicauit, adeòq; immunem esse voluit, vt nullus Episcopus quicquam in ea iuris haberet. quibus autem diebus absolutio esset pœnitentibus impendenda, aut sacrum Chrisma conficiendum, eum Episcopum voluit in ea, & absoluere, pœnitentes, & Chrisma conficere, quem ipse vel præsens id facere iuberet, vel quem absens eo mitteret. diuina quoque Missarum solemnia, Rege illic præsente, eum dumtaxat Episcopum celebrare, cui Rex, consentiente cum fratribus Præposito, id demandaret; absente autem Rege, absque Præpositi, & fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas celebrandi, vel cuiuslibet pontificalis ministerij exercendi, licentiam vsurpare. præterea eius Ecclesiæ populum, tanta libertate & immunitate gaudere voluit, vt nulli omnino Episcopo, decimas penderet, sed soli Præposito, & fratribus, prout ipse instituisset, seruitium exhiberet. Quæcumque autem seruus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Christum refundere studuit, à quo illa profecta non ignoraret. vt qui eum mundi huius gloria & honore dignum fecerat, etiam cælestis patriæ ciuibus, clementer adscribere dignaretur. & in Prophetis quidem de Apostolis, scriptum legimus; In omnem

terram exiuisse sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorũ. Non debet autem hoc de solis illis duodecim accipi, sed de omnibus à Deo ad euangelizandum missis, quorum fide, verbis, & moribus, Ecclesia suis augescit incrementis: ex eorum autem numero ille de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, vt qui bonæ voluntatis, & piorum operum famam, quã Ecclesijs in propriæ ditionis amplitudine construendis sibi peperit; in longinquas regiones, & vrbes celeberrimas diffuderit, ac propagarit: extruxit enim in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est, Monachorum Cœnobium, idemq; prædijs, & vineis, vnde eis quotidiani victus copia suppetat, ditauit; Romæ quoque quæ est mundi caput, sub Prothomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum Collegium condidit, rebus necessarijs, & ad eiuscemodi Collegium attinentibus, abundans, domos quoque & Hospitia Vngarorum, qui orationis causa Romam ad B. Petri Apostolorum Principis limina venirent, exædificauit, muro eã lapideo circumdans: tum quoque Vrbem Regiam Constantinopolim noluit suæ libertatis esse expertem: mirifici operis in ea condens Ecclesiam, rebus omnibus necessarijs ei adiunctis: itaque non immeritò suæ ditionis Apostolus appellatus est: & si verò ille sibi euangelizandi munus non sumpsit, attamen ceu quidã concionatorum Dux & Magister, defensionis & sustentationis solatia eis suppeditauit: Inter omnia autem cælestis gratiæ munera beato Regi diuinitus collata, illa vel præcipuè admiranda, & scriptis commendanda videntur, quæ etiam ad promerenda æternæ vitæ gaudia primarium locum obtinent, puta misericordia & veritas: in cunctis enim felicibus factis suis, hoc vel maximè sibi consectandum existimabat, quod in Euangelio scriptum, fidelibus interioris hominis oculis contemplatus erat, ipsa veritate ita dicente: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: & alio loco: Date & dabitur vobis: tanta igitur misericordia, benignitate, & pietate, pauperes Christi, imò in pauperibus ipsum Christum complectebatur, vt nullum vnquam

hospitem & peregrinum, absque aliquo solatio, à se discedere pateretur, & ad recreandos egenos, quotidianas expensas, absque intermissione fieri iuberet. iam verò etiam nocturnis horis multa alacritate, & hilaritate, abluebat fidelium pedes, & in sinu pauperum abscondebat eleemosynas. Christum inopem membris eius consolari in hac vita cupiens, vt cum illo quandoque in illa cælesti domo, bonis omnibus refertissima, æternum exultare mereretur. Quadam autem nocte, diuino permotus instinctu, nemine sciente, crumenam nummis plenam accipiens, pusillum Christi gregem, suo more solus inuisit. & ecce pauperes cælestis thesauri distribuendæ pecuniæ nimium inhiantes, beati viri barbam euulserunt, ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. at ille gaudio perfusus ingenti ad beatissimã Creatoris omnium matrem se confert; humi prostratus, gratias agens exclamat: Regina cælestis & mea, en quem tu Regem constituisti, eum sic honorarunt milites tui. quæ si mihi ab aliquo hoste illata fuisset iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultam abire. at nunc sciens hinc mihi parari æternam felicitatem, impensè lætor, gratias agens illis pijssimi Saluatoris consolatorijs verbis, quibus discipulos suos confirmauit: Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit. His dictis cum se vir Dei cælesti gratia, & spiritali charismate perfusum sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia, opem poscentibus claudere; atque deinceps per semetipsum & alios, præcipuè tamen Christi seruos & familiares, nempe Clericos & Monachos, cælitus sibi datas facultates pauperibus impertijt, in æternis thesauris per illorum manus reponendas. eius rei permulti sunt testes, atque in ijs beatus Guntherus ex sæculari nobilitate conuersus, atque Eremita & Monachus effectus, cum illo nunc vitæ beatæ particeps. is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus, è Bohemiæ regione, crebrò ad illum venire solebat. quoties autem sua præsentia eius aulam illustraret, curam Regni ei demandabat Rex. tum ille rebus quas in aula inuenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, Cænobia, & Ecclesias erogatis, breui illam exinaniebat.

ad eius quoque nutum Rex Deo deuotus monasteriũ, quod Beel vocant, inchoauit, bonis omnibus illud locupletans; in quo Gerardus Monachus, qui Venetijs eò venerat, Dalmata tamen, & Siccensi patria natus, vitam duxit contemplationi addictam, & postea diuina ordinatione creatus Episcopus, post obitum sancti Regis, orta Christianorum persecutione, lapidibus oppressus, diuino munere, martyrum contubernio dignus effectus est. nec hic prætermittendum puto, quod diuina virtus in beati viri vita demonstrare voluit, cuius meriti esset. nam quoties ad aures eius peruenisset, quempiam aduersa laborare valetudine, medicinæ loco misit ei, siue panis, siue pomi, vel herbæ odoriferæ particulam, simul mandans, vt sanus surgeret. mox verò diuinæ misericordiæ fauore eius sermonem prosequente, incolumis ille efficiebatur. Post gloriosam in cælos ascensionem, & mirabilem in paterna dextra consessum, Saluator noster paucis corporaliter apparuisse legitur, per visionem autem multos consolans, de rebus futuris eos fecit certiores. idem verò præstitit etiam huic sancto Regi: quadam enim nocte ex reuelatione experrectus, veredarium quemdam intra diem & noctem iussit properè ire ad Albam Transyluaniæ, & omnes ruricolas, vt ad Vrbes munitas celerrimè se cõferrent admonere, quod superuenturi essent Christianorum hostes Bessi (qui tum Vngaris infensi & infesti erant) eorumq; res depredaturi. vix nuncius compleuerat, quæ iussus erat, & ecce Bessorum inopinata incursio, & impetus incendijs & rapinis depopulatur omnia, corporibus hominum illæsis, quod ex beati viri præmonitione in tutiora loca se recepissent. Defuncto autem B. Regis amico Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in imperio successit. is pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniæ viribus & copijs cõtractis, Pannoniæ infesta signa inferre conatus est. tum verò Rex Stephanus Episcoporum & Principum coacto conuentu, in patriæ defensionem, totius Vngariæ exercitum euocauit. at prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus & corde sursum erectis, Dominæ suæ perpetuæ Virgini & Dei genitrici, suas

suas iniurias commendans, in eiusmodi prorupit voces. Si placet tibi Domina mundi, tuæ partem hæreditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationem dissipari; ne quæso sinas illud imputari diffidentiæ meæ, sed potius dispositioni voluntatis tuæ. Si quid commeruit culpa pastoris, ipse luat, oues quæso insontes ne patiaris affligi: his dictis tanquam accepta consolatione ab ea, fidenter mouit in hostes. altera die nuncius venit ad singulos quosque Duces exercitus Germanorũ, ab Imperatore litteras adferens, quibus iubebantur pedem retrò referre. illis ergo discedentibus sanctus Rex diuina misericordia adiutum se sentiens, humi se abiecit, gratiasq; egit Deo, & sanctissimæ Genitrici eius, cuius protectioni seq; Regnumq; suum, assiduis precibus commendare solebat. at Imperator suorum tam repentina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset; audiensq; de nuncio, qui eos ipsius nomine redire iussisset, sciensq; illum à se haud quaquam missum fuisse, non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam ob fidelissimi Regis corroborandam spem; seq; deinceps ab eius inuadendo Regno, timore illius Iudicis æterni cohibuit. Porrò Rex pijssimus, ergà Regni sui politicam gubernationem, religiosa solicitudine occupatus, diurnum tempus colloquijs & consultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilias, preces, lachrymas, rerum diuinarum contemplationem incũbebat, orans sedulò iustum iudicem, vt ipse sua moderatione, quotidiè discutiendis rebus & ferendis sententijs adesse dignaretur. quod quidem cum ille magno spiritalis desiderij studio frequentaret, nocte quadam procul à templo Dei ( descenderat quippè cum illo suo magno & nobili comitatu ). in loco campestri fixis tentorijs, in cordis sui cubiculum se recepit, & flexis genibus, solo labiorum motu, ad sempiternæ misericordiæ fores gemitibus & lachrymis pulsabat. cumq; diutius inhæreret, Domini sui, Regis æterni ministris ad suscipiendas preces eius aduenientibus, papilio super eum extensus, à terra subleuatus est; atque tamdiu in aere mansit suspensus, donec vir Dei ad se reuersus ab illa contempla-

tione, ſpiritum à precibus relaxauit: quod licet inuiſibiliter illi ſoli, qui res nouit antequàm fiant, & ſecretorum eius conſcijs Angelis eſſet cognitum, attamen etiam cuidam magnæ ſimplicitatis & innocentiæ viro, qui tunc fortaſſis ſimili erat operi intentus, innotuit. quem Rex, Dei ſpiritu id reuelante, arcani ſui conſcium ſciens, ad ſe accerſitum, blandis primum verbis appellat, rogat quidnam viderit? deinde ſeueriter interdicit, ne cui id, dum ipſe ſit in humanis, reuelet. Fama nominis eius in multas gentes diuulgata, & iudicijs oris eius multa laude vbique propalatis, ſexaginta Beſſi, quorum ſupra meminimus, cum vniuerſo apparatu ſuo, auri, argentiq; copia, & multis varijs ornamentis curribus onuſtis, è finibus ſuis egreſſi, ad Regem venire volebant. cumq; ad Pannoniæ fines acceſſiſſent, multi è ſeruis, quorum animi inſtar ceræ facilè flectuntur, in vitium malignitatis ſuæ facibus inflammati, ijs exiere obuiam; & quoſdam gladijs cædentes, illorum res omnes abſtulerunt, eosq; vacuos, & ſemineces reliquerunt. at illi ea, quæ paſſi erant, ad Regem relaturi, cæpto pergunt itinere; cumq; in Regni conſpectum veniſſent, ad eius genua prouoluuntur. Rex ijs viſis percontatur, quid mali perpeſſi ſint: tum illi: Non, inquiunt, ſerui tui, Domine Rex, nihil cuiquam mali machinantes, ad te properabamus audituri iudiciorum tuorum diſciplinam, quidam autem in nos incurrentes, pecuniam omnem quam apud nos habebamus, nulla culpa noſtra abſtulere, atque inſuper quoſdam apprehenſos è nobis ceciderunt. denique vix compotes vitæ huc acceſſimus, vt eam rem tibi indicaremus. Rex ijs auditis, vt erat prudens, neque vultu, neque verbis minatus eſt eis; ſed conuenienter illi ſententiæ Salamonis: Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens differt, & reſeruat in poſterum. miſit ocius ad tribunal, ſub quo militabant illi, & ad certum diem iuſſit coram ſe ſiſti omnes. factum eſt ita, & ad eius aſpectum adducti ſunt, ab illo diſcutiendi. eos ergo ſic appellat Rex: Cur poſthabita, & contempta lege diuina, non eſtis vſi miſericordia, ſed homines innoxios tam malè mulctaſtis? ſicut ergo feciſtis, ita hodie vobis coram me

faciet

faciet Deus. Legis enim transgressores feriri par est. illata igitur in eos sententia, educti sunt, & ad omnes Regni aditus bini suspensi: quod ille credendus est zelo iustitiæ ita iussisse, vt exemplo suo, perditi illi homines, alijs terrorem adferrent. cum enim Regnum suum exteris omnibus in illud aduentantibus, ceu portum quendam tutissimum, & asylum esse vellet, liberum quoque in illud omnibus voluit patere ingressum, ita vt nemo ausus esset quemquam ex eis lædere aut molestiam ei exhibere. quod etiam sua authoritate consecutus est, quando illo viuente nullus quemcumque hospitem in aliquo violare ausus fuit. nec tamen beatus & pius Rex immunis fuit ab eo, quod Apostolus dicit: Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei: & quod habetur in prouerbijs Salamonis, Quem diligit Dominus corrigit, & quasi pater in filio complacet sibi. multis enim modis castigauit eum Dominus, tribus annis perpetuò laborauit aduersa valetudine. qua cum tandem diuinæ misericordiæ medicina esset liberatus, in obitu filiorum suorum quos adhuc infantes mors rapuit, æterni iudicis flagella persensit. attamen dolorem ex ea orbitate conceptum, amore filij superstitis bonæ indolis pueri Emerici temperauit, quem sanè ceu vnicum impensiùs amans, quotidianis precibus Christo & eius genitrici Virgini perpetuæ commendabat, eumq; sibi superstitem, & Regni hæredem votis omnibus expetebat. & vt idoneus ille foret tanti Regni tenendis gubernaculis, Catholicorum virorum doctrinis quotidianæ lectionis vsum, & vtrasq; tam animi, quàm corporis aures, eum voluit adhibere; atque insuper paterni amoris impulsus stimulis, libellum ei composuit de morum institutione; in quo illum verbis spiritalis adhortationis fideliter & accuratè compellat. docens eum, quemadmodum ante omnia debeat retinere Catholicam fidem; confirmare statum Ecclesiasticum; honorem habere Præsulum dignitati, Principes & milites amare, iudicij tenax esse, in cunctis suis actibus studere patientiæ, hospites benignè recipere, benigniùs alere & fouere; sine consilio nihil agere, maiores suos semper ob oculos exem-

plum

plum sibi statuere, precibus crebrò vacare, pietatem & misericordiam, cæterasq; virtutes, colere & consectari. his & id genus alijs disciplinis, præclarus ille iuuenis imbutus, ex diuinæ voluntatis moderatione (cui omnia parere necesse est) Dominicæ incarnationis, anno millesimo tricesimo, vitam hanc corruptibilem, cum sempiterna commutauit, supernorum ciuiũ choris adiunctus: eius animam ea ipsa hora, qua decessit, cuidam Græcorum Episcopo sanctæ conuersationis viro diuinitùs reuelatum est, Angelicis manibus in cælos deportari. cùm autem pro sanctitatis suæ meritis summè ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, inprimis verò Principum, inter quos pater tanto accepto orbitatis vulnere, grauiter suspirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat se omni posteritatis spe destitutum: attamen sciens scriptum esse: Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. & illud in Canonibus: Neminem propter obitum charorum nimium debere contristari; posito animi mærore, totum se contulit ad largam Dei misericordiam promerendam. Cænobiorum enim & Ecclesiarum ministris, Monachis & Clericis, multa largitus est, multamq; ea beneficentia attulit consolationem; quicquid verò ei superfuit, peregrinis, viduis, & orphanis erogauit. exterarum quoque prouinciarum Monasterijs, Regiæ munificentiæ dona innumera, per nuncios suos crebrò misit. eam quam in iuuentute susceperat, morum grauitatem, ad supremum vsque vitæ diem, præ se tulit. vix vnquam ridere visus est, sciens scriptum: Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat: semper ita se comparans, ac si staret ad tribunal Christi, eius præsentiam oculis interioribus, sereno vultu contemplans. Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus suis circumferebat: extremum vitæ diem semper ab oculos mentis habebat, & magno cordis desiderio ad illam supernorum ciuium frequentiã adspirabat, quemdam Angelicæ conuersationis habitum præseferens. denique cunctis ornatus virtutibus, in sanctitate & iustitia coram Deo omnibus vitæ suæ viuere constituerat, vt in eo

iam quædam futuræ gloriæ ſpecies elucere videretur. Nec diu poſt in morbum incidit, qui ei poſtea mortem attulit, diuturnaq; eius morbi moleſtia increſcente, pedibus inſiſtere non potuit. quod vbi aduerterunt ex palatinis nobiliſſimi quatuor, ſcilicet Regem diu, grauiterq; laborantem, cum etiamnum cordis perfidia tenerentur, iniquum inter ſe conſilium inierunt; vt eum è medio tollerent. iam die adueſperaſcente, antequàm in domo Regis lucerna accenderetur, vnus ex ijs audacior, cælo obſcuro ingreſſus eſt, nudum enſem ſub chlamide ferens, quo erat Regem pijſſimum iugulaturus: ſed cùm eò inferret pedem vbi Rex quieſcebat, cæleſti reuera impulſu, gladius ei excidit; quem Rex ſtatim ſentiens, quid is ſibi vellet perquiſiuit, cùm iam diuinitùs id præſciret. tum ille territus corruit, agnoſcit conſilium amentia plenum, dolet, accedit propius, procumbit in genua, Regis pedes amplectitur, ſe peccaſſe confitetur, petit tantis parricidij veniam. Rex pius ab eo faciem non auertit, propenſo animo ignoſcit. at verò iubet inquiri illos immanes parricidas, in repertos tanto ſceleri congruentem mortis profert ſententiam. Dignus tandem qui centuplex cæleſtis regni brauium conſequeretur, febre correptus eſt; ſentiensq; adeſſe migrationis tempus, accerſitis Epiſcopis, & primoribus palatij Chriſtiano nomine gloriantibus, primum tractauit de ſubſtituendo ſibi Rege, deinde paternè monuit eos ſeruare Catholicam fidem, quam accepiſſent, amare iuſtitiam, fraternæ charitati ſtudere, humilitati dare operam, ante omnia verò nouellæ Chriſtianiſmi plantationi, curam & ſolicitudinem adhibere. his dictis manus & oculos in cælum erigens: Regina cæli, inquit, mundi inclyta reparatrix, tuo patrocinio ſanctam Eccleſiam cum Clero, & Epiſcopis, Regnumq; cum primatibus, & populo tuis precibus commendo; quibus ergo nunc vltimum vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. inſtabat tunc præcipua ſolennitas celebris Angelis & hominibus Aſſumptionis beatiſſimæ Mariæ dies; in cuius gaudijs, vt ſui corporis fieret diſſolutio, precibus à Domino contendit, lachrymis & gemitibus impetrauit,

ſperans

ſperans cumulatioris miſericordiæ ſe ſpem habiturum. aderat ergo felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam acceſſionem habiturus, circumſtabant cum Clero Epiſcopi, cum miniſtris, Principes & Comites. Rex in medio iacens ſacram percepit vnctionem, ſanctamq; animam, corporis & ſanguinis Chriſti recreatam viatico, anno Dominicæ incarnationis milleſimo triceſimo quarto, in manus perpetuæ Virginis, & ſanctorum Angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam tradidit. Extitit mox planctus ſanctorum haud vulgaris, Angelis lætantibus, ſed planctus ille poſteà mutatus in gaudium perenne tàm præſentium, quàm futurorum populorum. ad exequias eius ex omnibus Pannoniæ plagis concurſum eſt, corpus ad Vrbem Regiam, puta Albam perductum; ſed cum Eccleſia beatiſſimæ Virginis ab eo conſtructa, necdum conſecrata eſſet, communicato inter ſe conſilio, prius Epiſcopi ſtatuunt ſanctificandam Baſilicam, poſteà in ea corpus humandum. abſoluta igitur dedicationis ſolemnitate, ſacrum corpus in media æde, ſarcophago è candido marmore confecto, impoſitum eſt, vbi compluribus annis, ob eius merita Dominus permultis male habentibus febribus vexatis, afflictionem & miſeriam ſuam fatentibus, innumero præſtitit beneficia. ſæpe quoque illic noctibus Angelicæ melodiæ auditæ ſunt à multis, ſæpe odoris ſuauiſſimi fragrantia per templũ ſeſe diffudit. Iacuit in eo loco ſacrum corpus annis quadraginta quinque, occulta quadam omnipotentis Dei diſpoſitione, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis, marmoris pondere preſſum, & in puluerem redactum, vt tempore præfinito dignius declararetur, & in reſurrectionis die glorioſius renouaretur. id verò quid ſignificet, quando ſine diuina ordinatione factum minimè putamus, libet oculis interioribus ſpeculari. fortaſſis nonnihil terreni pulueris diuinæ examinationis igne purgandum in illo remanſerat, ſine quo Reges magna potentia fulti, vitam præſentem vix quidem tranſigere poſſunt. illis ergo euolutis annis quinque & quadraginta, cum ad præſtanda per eum mortalibus ſuæ miſericordiæ beneficia, ſancti ſui iam vellet Deus merita declarare, Ro-

mani Pontificis litteris mandatum fuit, vt eorum corpora eleuarentur, qui in Pannonia Christianæ fidei semina iecissent, & sua vel prædicatione, vel institutione, ad Dominum eam conuertissent. itaq; Vladislauus Rex, qui tum ad Reipublicæ gubernacula sedebat, omni morum honestate conspicuus, & virtutibus illustris, diuino cultui, & laudibus Dei totus addictus, sancto illum spiritu permouente, communicato cum Episcopis & Proceribus, totiusq; Regni sapientibus viris consilio, triduanum cunctis indixit ieiunium, vt quod communi Catholicorum vtilitati, Spiritus sancti muneribus, animarum & corporum salutem efficientibus, profuturum videretur, id communi omnium deprecatione, ieiunijs & eleemosynis fulcita, per signorum manifestationem expeteretur. sed vt ostenderet Dominus quanta misericordia Rex adhuc manēs in corpore præditus fuerit, quàm etiam iam cum Christo regnans præ cæteris operibus se approbare declaret, cum triduo totis viribus in id incumberent, vt eius sacrum corpus eleuarent, nulla id arte loco mouere potuerunt. eo namq; tempore ob hominum culpas inter eum quem diximus Vladislauum Regem, & fratrem eius Salamonē, grauis fuit orta simultas, & seditio; cuius nomine captus Salamon custodia tenebatur. cum ergo in corpore eleuando frustrà sudarent, quædam inclusa apud Ecclesiam sancti Saluatoris ( Charitas ea dicebatur ) cuius vitæ tum erat celebris opinio, ex diuina reuelatione mandauit Regi, conatus eorum omnes irritos & inanes fore, nec posse transferri sancti Regis corpus, donec Salamon venia impetrata, liber custodia dimitteretur. illo igitur è carcere educto, & rursus triduano exacto ieiunio, cum ad sacras transferendas reliquias tertio die ventum est, grande saxum Sarcophago impositum, tanta facilitate sublatum est, ac si nihil ponderis haberet. absoluto autem eius diei vespertino officio, cunctis diuinæ benignitatis beneficia per beati viri merita præstolantibus, subito Christo plebem suam visitante, per sanctæ ædis amplitudinem, cælitus miracula coruscant. quorum multitudo quoniam ea nocte numerū excessit, libet hic illud ex Euangelio dicere, quod

Saluator

Saluator Ioanni, per nuncios ſciſcitanti, an ipſe eſſet qui venturus ſit voluit reſpondere: Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, leproſi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur; ſed tamen quando omnia non poſſumus, quædam ex eis annotabimus. Iuuenis quidam membris omnibus diſſolutus, duodecim annis manſit paralyticus, manuum & pedum officio deſtitutus. is parentum opera eò perductus, totius corporis eſt incolumitate potitus, atque ad altare currens alacritèr omnium Chriſti laudes promentium gaudia cumulauit. fuit hoc eius noctis primum miraculum. Alius ſeptennis puer, ab ipſo ortu contractus, genibus & manibus reptabat, eum parentes plena fide ad beati Regis ſepulchrum adducunt, illicq; proſtrati eius ſuffragia implorant. mox voto potiti ſuo, mirantur contractos neruos in filij corpore laxari. vident omnes eum ſolidatis plantis, & genibus ambulantem, & Chriſti nomen in beati viri meritis laudabili clamore concelebrant. Porrò rex pius præ nimio gaudio lachrymans, puerum è terra leuatum, ad altare adfert, & in Dei laudes erumpens, pro tanto beneficio puero collato, cum omnibus, qui aderant, profusè gratias agit. ita totam noctem illam Deus pro famuli ſui veneratione, multorum ſplendore ſignorum mirificè illuſtrauit; & populus vigilijs & precibus vacans, ſingula miracula laudis, & prædicationis vocibus proſequi non ceſſauit. His verò, illud quoque adiungendum videtur, non ſolùm illic præſentes, ſed etiam procul poſitos, eius ſuffragantibus meritis, celerem ſalutis effectum adeptos fuiſſe. cum enim eius eleuandi fama paſsìm increbuiſſet, varijs afflicti morbis, ex cunctis Pannoniæ finibus, quo quiſque poterat modo, ad ſanctum eius tumulum properarunt. ſed cum alijs præcedentibus, alij maiori morbo retardati, ſimul eò pertingere non poſſent, eadem tamen miſericordia innumeri in ipſo itinere ſanati ſunt. quamobrem etiam ob perpetuam benefici Regis conſeruandam, & ad poſteros propagandam memoriam, complures eius meritis ſalutem adepti, in ijs ipſis, quibus curati ſunt, itineris ſui locis, grandes lapidum aceruos effecerunt, qui poſteà longo illic tempore per-

manſerunt. Sed & mulier quædam exanime corpus vnici filij ſui, qui interim ſpiritum exhalarat, apud ſancti Regis ſepulchrũ depoſuit, Dei & ſancti eius opem imploratura; mira quidem res & noſtris temporibus ſtupenda; non prius fæmina orare deſtitit, quàm viuentem cerneret filium ſuum. Mane diei ab Aſſumptione beatiſſimæ Virginis quinti, cõuenientibus in Eccleſiam cum Rege Principibus, cum Clero Epiſcopis, primum miſſa pro defunctis celebrata eſt, deinde ſublata tabula marmorea, quæ erat pauimento eminentior; poſtquàm autem ad Sarcophagum peruentum eſt, tanta inde ſuauiſſimi odoris fragrantia in omnium nares dimanauit, vt ſibi in paradiſum deliciarum Dei rapti viderentur. ipſe verò Sarcophagus plenus fuit aqua aliquantulum ſubrufa, & quaſi oleo permixta, atque in ea perinde, atque balſami liquore oſſa pretioſa quieuere. quibus in mundiſſimum linteamen collectis, in ipſo liquore diutiſſimè quæſierunt annulum ſancti Regis dextræ inſertum. ſed cum non inueniretur, iuſſu Regis aqua illa in argentea vaſa effuſa eſt, vt poſſet annulus certius reperiri. ſed modò ſanè admirabili factum eſt, vt quo plus exhaurirетur aquæ, eò magis Sarcophagus impleretur. id vbi animaduerſum eſt miraculi, aquam hauſtam ſuo reſtituere loco, laudes & gratias egerunt diuinæ pietati. porrò interim dum ex inuento theſauro reparant beatiſſimæ matris Dei, & perpetuæ Virginis altare, Deus qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis, profuſis benignitatis ſuæ muneribus, & euidentibus miraculorum ſignis, ſe præſentem declarauit, in tantum, vt tempus illud quo Saluator vixit inter homines redijſſe videretur, de quo Scriptura diuina ait: Omnes qui habebant infirmos varijs languoribus ducebant illos ad Ieſum & curabantur. Hæc verò omnia virtus diuina, non ſolùm illo die, ſed poſteà quoque longo tempore, ob merita ſerui ſui effecit, ita vt etiam ab exteris regionibus cognita beati viri fama, ſalutis recuperandæ cauſa permulti, varijs affecti morbis, ad ſancti Regis imploranda ſuffragia cupidiſſimè aduolarent. Comitiſſa Mithildis eximiæ nobilitatis matrona, tribus annis perpetuo viſcerum dolore laborans, iam morti proxima

vide-

videbatur. à suis verò ad monumentum Regis beati allata, vbi illud attigit, paulatim cæpit habere melius, breuiq; recuperata pristina valetudine, magnalia Dei per famuli eius merita, in se renouata diuulgauit. Alia miracula cælitùs perpetrata, non idcircò prætermisi, quod ea fastidiam, sed cum non vni mihi pluat Dominus, Qui solem suum oriri facit super bonos & malos. tantam beneficiorum eius copiam, omnium vtilitati consulere cupiens, innumeris sapientibus viris, quos Vngaria fouet & complectitur, stylo prosequendam relinquo. illud solum sub libelli finem adijcere libet, miro diuinæ benignitatis munere, diu quæsitum, & minimè repertum annulum, cum ipsius beati Regis dextera, post eius peractam translationem inuentum esse. Nam Monachus quidam Mercurius nomine (qui cum esset Clericus thesauri beatissimæ semper Virginis Mariæ, custos fuerat, & iam amore cælestis patriæ sæculo valefecerat) ea hora, qua sancti Regis tumulus apertus fuit, ne quid sacrarum reliquiarum ad se raperet, obiurgatione Regis procul inde remotus fuit. Sedenti igitur in choro tristi vultu, iuuenis quidam candido amictus habitu, pannum inuolutum tradidit, ita dicens: Hunc pannum tibi seruandum commendo, oportuno tempore in locum proferendum. sacro inde expleto ministerio, Monachus in quodam angulo domus explicat pannum, integramq; pij Regis manum cum annulo mirifici operis cernens, expauescit, nulloq; conscio ad Monasterium suum cui præfectus erat, eam adsportat, tempus à iuuene ipsi memoratum præstolaturus. Et diu sanè thesauri illius in agro absconditi, solus ipse custos peruigil fuit. Deinde monasterij eius fundatoribus rem aperuit. postremò appropinquante iam tempore quo erat arcanum illud in publicum afferendum, ad Regis quoque notitiam perduxit. Is verò mox accitis Episcopis, & Vngariæ primarijs viris, cum multa interim Christus miraculorum beneficia exhiberet, celebrem præfixit diem, beati Regis dexteræ eleuandæ. Sed quid sibi vult, fratres mei, quod cæteris membris resolutis, & carne in puluerem redacta, solam dexteram manum, cum eius cute, ossibus & neruis

Deus integram conſeruauit? Equidem ſic ſentio, diuini conſilij altitudinem id hac re demonſtrare voluiſſe; Eleemoſynæ ſtudiũ, omnes virtutum gradus tranſcendere. Quamobrem etiam in Euangelio Dominus ait: Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. itemque: Date & dabitur vobis. & alio loco Scripturæ diuinæ: Ignem ardentem extinguit aqua, & Eleemoſyna reſiſtit peccatis. Meritò igitur ſancti Regis dextera corruptionis manſit expers, quæ ſemper miſericordiæ floribus reuiuiſcens, ad alendos pauperes, nunquàm muneribus diſtribuendis vacua fuit. namq; pijſſimus Rex opem tulit calamitoſis, & indigis, liberauit oppreſſos captiuitatis iugo, veſtes & hoſpitalitatis officia impendit peregrinis, viduarum & pupillorum miſeriam & inopiam ſuam putauit. Mandatum Saluatoris de lauandis aliorum pedibus, quotidie impleuit, pauperum pedes abluens; eleemoſynas præſtitit non ex rapinis, aut aliorũ damnis, ſed de ſuis facultatibus, vt domos Dei locupletaret, ſibi ipſi interdixit habendi voluntatem: denique omnibus pro dignitate prodeſſe cupiens, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixit. inde eſt ergo profecta corporis & dexteræ manus eius admiranda & iucunda veneratio; inde ſuauis & beata ſempiternæ vitæ retributio; inde optatiſſima ſupernorum ciuium cohabitatio; vbi cunctos illuſtrat ſemper lucens, nec vnquam deficiens, ſplendor vnius, ſummæq; diuinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. hactenùs Surius, Quanti porrò meriti apud Deũ ſanctiſſimus Rex extiterit & extet omne in æuum, vt complurima alia miſſa faciam, Zagabrienſis noſtra, vniuerſo orbi teſtatur Eccleſia. cum enim reliquæ omnes Vngarici Regni Eccleſiæ, vel Turcicum iugum ſubierint, vel hæretica labe deformatæ fuerint, ex Cathedralibus, vnica toto in Regno, noſtra ſanctiſſimo Apoſtolico Regi dicata, & à fæditate Turcica, & à labe Hæretica prorſus immunis, Apoſtolico throno pura adhæſit perpetuò. dumq; Apoſtolicis Regibus Vngaricis, reliquæ omnes, diuerſis Regni reuolutionibus debitã ſubtrahunt reuerentiam, hæc vna Apoſtolico Rege ſuis ſucceſ-

ſoribus

ſoribus firmiſſimam arcem Zagrabienſis Eccleſię tuente, adulterinis nunquam adhæſit amplexibus. hinc Regi Regum ſibi honor & gloria, eidemq; ipſius Regis Regum pietatem eximiè in terris exprimentem Stephano Apoſtolico Regi Zagrabrēſis Eccleſiæ Patrono, Tutelariq; perpetuo,

Edebatur in lucem Regiæ ſanctitatis Illyricanæ fæcunditas, cū aliqua de ea, cum Eminentiſſimo & Reuerendiſſimo D. Franciſco Cardinali Barberino, eruditorum omnium noſtri temporis Mecęnate conferrem, & Vngaricorum Diuorum Regum pietatem recenſerem, eandemq; tanquàm fructum ſanctiſſimæ radicis Apoſtolici Stephani Regis admirarer, monuit me, ne inter alia pietatis opera ipſius, fundationem nobiliſſimæ Abbatiæ in agro Rauennate olim ab ipſo extructæ omitterem. cuius facti cum me ignarum faterer, ipſe pro ſua eximia humanitate, qua totius orbis Chriſtiani oculos in ſe attrahit, illicet (eramus enim in ſua inſtructiſſima Bibliotheca, in qua augenda Philadelphi Ptolomæi ſtudia æmulatur perpetua) aperto volumine hiſtoriarum Rauennatium per Hieronymum Rubeum editarum, libro illarum quarto, eiuſcemodi locum mihi indigitauit: In agro Rauennati, hoc tempore (hoc eſt circu annum Domini 935.) D. Petri ad Vincula Templum ac domus à D. Stephano Vngarorum Rege extruitur, conſecratur à Gerardo Moriſienſi Epiſcopo, ac Martyre: adiecit Rex ſanctus prouentus, quibus non ſolùm Monachi ab ſe ibi conſtituti alerentur, ſed ſuppeditaretur etiam victus Vngaris omnibus religionis cauſa Romam proficiſcentibus. ita ibi. pro qua monitione dum tantæ benignitati gratias agerē: hæc & plura, ait, ſanctiſſimo Regi debeo, & vniuerſæ genti Vngaricæ, ergà quam ſingulariter afficior, hinc atque etiam eo nomine, quo ad præſens hæc ipſa ſanctiſſimi Regis Abbatia mihi commendatur, Regiæ Sanctitatis Illyricanæ fæcunditatem mea pecunia debes edere, ſtatimq; accerſito œconomo iuſſit expenſas omnes in hoc opus neceſſarias exponi. fruere igitur beneuole Lector humaniſſimi Principis beneficentia, & erga Apoſtolicum Regem pietate. eidemq; Apoſtolicarum curarum ſanctiſſimi

Patrui

Patrui ſui Vrbani, magno bono totius orbis, participi, interceſſione Apoſtolici Regis, reliquorumq; Regiæ ſanctitatis Illyricanæ Diuorum, qui eius munificentia lucem præſentem agnoſcunt, multos atque felices annos adprecare. tu verò Illirice indigena, quo poſthac maiora ſemper ſub Apoſtolico Principatu fauſtiſſimæ Barberinæ gentis ſperare valeas, indicem paterni affectus Sanctiſſimi Vrbani Octaui, ergà gentem noſtram, marmorea tabula, in ampliſſima Baſilica noſtrati, D. Hieronymo in Vrbe dicata, æternæ memoriæ expreſſum, hic tibi perpetuò, & vbique obuium habeas & circumferas.

VRBANO VIII. P. O. M.

QVOD PATRIS AFFECTV COMPLEXVS NATIONEM ILLYRICAM
A. CC. ANNIS IN HOC TEMPLO POSTEA A SIXTO. V. A. FVMDAM.
EXTRVCTO CONGREGATAM
EIDEM CONGREGATIONI TRANQVILLITATE RESTITVTA.
DOMO. S. CATI PP. M. ILLYRICI A FVNDAMEN. EXCITATA
BAPTISERIO S. CONSTANTINI IMP. ILLYRICI ILLVSTATO
SACRORVM MYSTERIORVM LIBRIS ILLYRICIS PVRGATIS
ALVMNIS ILLYRICIS LAVRETANO COLLEGIO RESTITVTIS
IMMORTALIBVS BENEFICIIS AFFECERIT

ALEXANDRO S. R. E. DIAC. CARD. CÆSARINO PROTECTORE
EADEM NATIO GRATI ANIMI
MONIMENTVM P. P.
ANNO DNI. MDCXXX.

VITA

# VITA S. EMERICI DVCIS SLAVONIÆ

## FILII S. STEPHANI REGIS.



LORIA Patris filius ſapiens, inquit diuinus Vates. quod ſi in vllo patrũ comprobatum fuit, in ſancto Stephano Vngarorum Rege virtutibus Emerici filij, Deo, Angelis, Hominibus, ſpectaculo iucundiſſimo, numeris omnibus impletum videmus. igitur Emericus, vel ſicuti antiquiores Illyricanæ ſcripturæ habent Mircus, eſt enim hoc Vngaris vſitatum, vt nomina per conſonantem litteram incipientia, ipſi præpoſita vocali proferant, quod Stephani nomine exemplo conſtat, cui litteram i. præponendo, ſemper Iſtphanum, pro Stephano dicunt; Mircus inquam Illyricis manſuetus, ſeu pacis ſtudioſus, natus eſt Stephano iam rerum potiente, ex matre Giſela Ab ineunte pueritia, prout habet Surius Tomo ſexto: quo ſanctitatis euaſurus eſſet, facilè declarauit. quippè qui cum eſſet ſomni parciſſimus, alijs dormientibus, ſecunda ferè vigilia noctis, ad lucem vſque pſalmos Dauidicos lectitabat, lucernis coràm ipſo ardentibus, vt Regiam decebat prolem. ad finem autem cuiuſcumque pſalmi, corde contrito & compuncto, à Deo veniam petebat. quod cum ſanctus parens eius ſæpius clàm per rimam parietis eſſet contemplatus, apud ſe tacitum habuit, nec vlli ſuorum voluit indicare, magnâ iuberim de filio ſpe concepta. Cum autem aliquandò ſanctus Rex Monaſterium beati Martini quod ipſe in mõte Pannoniæ ingenti ſumptu fundarat, & egregia Monachorum ſodalitate

litate impleuerat, orandi causa vellet inuisere, Emericum filium suum eius itineris comitem sibi adhibuit, non ignorans quanta Dei gratia puer ille polleret. vbi autem ad monasterium propiùs accessit, Monachi honoris causa, instituta processione illi obuiam venere, vt ea qua par erat reuerentia eum exciperent. sed Rex sciens filij præclara merita, eum iussit antecedere, fratresq; illos salutare; tùm vt ea ratione illos honestaret, tùm vt filio honor ipsi paratus, impenderetur. Venit ergo Emericus ad fratres, accipitur ab illis honorificentissimè, osculatur singulos, non tamen eodem omnes modo, sed pro ratione meritorum, quæ reuelante spiritu Dei cognouerat, alijs duo, alijs tria, plerisque quatuor vel quinque, vni Mauro septem oscula dedit. quod cum cerneret pater eius, etsi filium nihil ea in re temerè fecisse existimaret, non potuit tamen ob rei nouitatem non admirari. itaq; peracto sacrificio, familiariter & accuratè ex eo percõtatur, cur non eadẽ omnibus pariter oscula impertitus esset? Respondet ille, se pro ratione temporis quo singuli continenter vixerint, alijs plura, alijs pauciora oscula distribuisse. cum autem quem septies osculatus esset, virginem permansisse ait; atque ex eo septenario numero, virginitatis præstantiam intelligi debere, quæ virtutes alias antecellat, & ad cordium vsque intimos recessus, qui soli Deo patescant, penetret, & reconditas hominum mentes intueatur. Profectus inde Rex cum huius rei certiorem omninò notitiam habere percuperet, & filij sui virtutem magis exploratam, paucis post diebus cum duobus dumtaxat comitibus redit ad illud cænobium, fratrum vigilias & preces clàm explorat. absolutis nocturnis precibus, quas Matutinas vocant, cum alij ad suos se lectos reciperent, soli illi quibus multa Emericus oscula libauerat, in templo permansere, & in angulos sese abdentes, Domino preces obtulerunt; & reliquum noctis tempus in Dei laudibus consumpsere. eos igitur singulatìm accedens sanctus Rex, comiter salutat; eumq; illi rupto silentio reuerenter resalutant, Regiæ maiestati deferentes. tandem vbi ad Maurum venit, cui septem oscula fixerat beatus Emericus, nec blandissima

salu-

ſalutatione, nec ſeuera comminatione ab eo reſponſum extorquere potuit. inſequenti die ad publicum fratrum conuentum Rex accedit, Mauriq; humilitatem & ſanctitatem explorare cupiens, coràm omnibus, multa ei obijcit, quæ hominem religioſum facere minimè conueniret. Maurus ſibi ſatis benè conſcius, nihil penitùs ad ea reſpondet, ſed ad Deum, quem ſciret mentium certiſſimum inſpectorem, confugit, in eoq; ſpem ſuam collocat: ita ergò intelligens Rex vera eſſe quæ filius eius dixerat, omnibus explicat, quo animo illuc aduenerit, Maurumq; laudibus in cælũ vehit, nec diu poſt, Quinqueeccleſienſem Epiſcopum inſtituendum curat. Emericus autem ætate procedente, ſimul etiam virtutum capiebat, & meritorum incrementa. nocte quadam cum Veſprinij eſſet, vno ad ſe famulo accerſito, orationis cauſa, vetuſtiſſimam beati Georgij martyris eccleſiam petijt, ibiq; ante arã in preces incumbens, apud ſe diſquirere cæpit, quodnam poſſet Deo gratiſſimum munus offerre: ecce autem immenſo lumine tota repentè completur Eccleſia, voxq; cęlitus auditur eiuſmodi: Præclara res eſt Virginitas. itaq; mentis & corporis virgineã integritatem à te exigo: hanc offeras Deo, & in ea conſtanti animi propoſito perſeueres: ille verò non ſuis præfidens viribus, ſed ad Dei gratiam confugiens: Domine Deus, inquit, qui inſpicis omnia, qui humanam imbecillitatem adiuuas, qui aufers ſpiritum principum, & terribilis es apud Reges terræ, perfice in me gratiſſimam voluntatem tuam, & noxias, perniciosaſq; cõcupiſcentias, rore miſericordiæ tuæ prorſus extingue. confirma fragilitatem ſeruuli tui, & vt in ſeruitio tuo perpetìm perduret, ab omnibus carnis illecebris, & ſpurca libidine, pro tua benignitate cum tuere; præſtaq; ne vnquam è tua gratia excidat. porrò diuina conſolatione confirmatus, rem hanc apud ſe tacitam habuit, & famulo quoque eius conſcio, ne cuiquam indicaret, dum adhuc in humanis ipſe eſſet, interdixit. ita factum eſt, vt multa eius virtutum inſignia, hominum notitiam, ipſo celante, effugerint, nec antequàm deceſſiſſet è vita, alijs patefacta ſint. nimirùm hac ratione ſapienter declinauit virtutum peſtem, inanem gloriam.

Pater autem illius regno consulere volens, virginem & formã corporis, & morum integritate, spectatissimam, stirpe Regia ortam, ei despondit. id etsi ille principio multùm recusaret, tandem tamen paternis precibus victus, assensit quidem, sed ita tamen, vt non solùm ipse virgo permanserit, sed etiam sponsam integram conseruarit: iam enim virginitatis amore & proposito, voluptati omni renunciarat. præclarum hoc erat in Regio adolescentẽ, quò posset omnibus huius mundi bonis circumfluere, non modò se à vitæ huius voluptatibus seruare immunem, sed etiam sponsam tam illustrem ad earum contemptum, atque etiam ad virtutum studium, & vitæ consectandam sanctitatem adducere. malebat enim pius adolescens virtutum illam, quàm liberorum fæcunditate pollere: nec latuit sanctum eius parentem Stephanum Regem, quemadmodum corpus suum maceraret ieiunijs, ne forsitan lasciuiret, sponsamq; non alio quàm sororis loco haberet: sed & sponsa ipsa, cum ille iam in ipso iuuẽtutis flore vita functus esset, quàm castè vixisset, testata est, & famulus ille quem supra diximus, res eius secretas euulgauit. non enim diu superuixit, sed quòd cælo, vita eius dignior esset, quàm terra, Dominus eum citò tulit è medio, & transtulit in Regnum suum. Quidam Archiepiscopus in publicis supplicationibus affirmauit, se eius animam vidisse in cælos euntem. Pater eius admodum doluit Regno tantam spem ereptam; consolabatur autem se ipsum, quòd filiũ non dubitaret in cælis felicissimè viuentem, egregium & sibi, & suis patrocinium exhibiturum. Die tricesimo ab obitu eius, tot & tantis miraculis Deus illustrauit sanctum suum, vt cunctis in vrbe Regia, quam Albam Regalem vocant, vbi sacrum corpus eius tumulatum est, non mæroris ille, sed gaudij dies videretur. Porrò autem Vladislauo religioso Rege postea regnante, Cõradus quidam natione Germanus, homo flagitiosissimus, tandem magno Dei munere compunctus; cum se ad meliorem frugem recipere cuperet, Romam adijt, Pontifici peccata sua cum ingenti cordis contritione confessus est, animæ salutarem ab eo petijt medicinã. Pontifex ad immanitatem criminum eius obstupescens, hac eum mulcta-

mulctauit pœna, vt loricam ferream ad nudum corpus, quinis catenis ferreis adstringeret, & chartam in qua eius peccata enormia scripta erant, Pontificis annulo obsignatam, ad loca in quibus Sancti quiescerent, secum circumferret, donec diuinitùs catenæ dissoluerentur, & scriptura chartæ penitus oblitteraretur. fecit homo vt erat iussus (nihil enim arduum videtur, ex animo sua peccata lugenti, & cum Deo in gratiam redire cupienti.) inuisit loca sacra, etiam Hierosolymam, & Saluatoris sepulcrum non prætermisit. tandem venit in Pannoniam, vbi beati Regis Stephani tum celebre nomen erat: orat ad sepulcrum eius, nec inde recedere constituit, donec ruptis vinculis, & charta oblitterata, se sentiat Domini misericordiam impetrasse. postquàm autem multum delassato, inter orandum somnus obrepsit (à prima enim hora, vsque ad nonam in preces incubuerat) sanctus Rex ei apparens: Surge, inquit, amice, & Emerici filij mei monumentum, quod iuxtà est, adito. ille quod carnis seruanda integritate, præcipuam apud Deum gratiam promeruerit, facinorum tuorum veniam tibi impetrabit. ex eorum enim numero est, qui non inquinauerunt vestimenta sua, sequunturq; Agnum quocúque ierit, & ante thronum Dei cantant canticum nouum. Euigilat homo, illicò ad beati Emerici se sacellum confert, fundit ibi preces, atque opinione celerius dissiliunt ferrei nexus: charta resignata, nullum habet litteræ scriptæ vestigium. Ad sonitum cadentium catenarum, accurrunt æditui, & complures alij, quibus ille omnia ordine exponit. mirantur omnes, laudant Deum, & beatum Emericum, referunt cuncta ad Vladislauum Regem. is conuocato Concilio Regni procerum, de beati Emerici eleuando corpore, cum Episcopis confert. iam enim etiam ex remotissimis regionibus, eo aduentabant homines, pro grauissimis rebus vota nuncupantes. indictum est autem triduanum ieiunium, & Nonis Nouembris, honorificè eleuatum est beati Emerici corpus, multaq; diuinitùs miracula eodem eleuationis die, atque deinceps edita sunt. hactenùs Surius. vxorem S. Emerici filiam Crescimiri Regis Dalmatiæ fuisse, Dalmatica monimenta

 testan-

testantur; eandemq; virginitatem, ad extremum vsque vitæ, professam: Matthæus Raderus agens de Sanctis Bauariæ: Illud, inquit, addo de Emerico: illum dum viueret cum parente sæpe obijsse templa, lustrasse aras, cultum sacrum inspexisse, vbi quid inter vestem sacram sordidum conspexisset, ibi ante aras Regiam posuisse purpuram, aurum, gemmas, vt nitere posset templum: hæc ille. qui postquam vitam eius, descripsit eiusdemq; obitum, pridie Nonis Nouembris, anno trigesimo secundo, vel, vt alij volunt, sexto supra millesimum signauit, eiuscemodi apostrophe ad illum exclamat. Et ego cum eodem iunctis vocibus: SALVE EMERICE REGIA SOBOLES; VIRTVTIBVS MACTE. SIDVS PANNONVM, DECVS BOIORVM. SOL MVNDI. EXEMPLVM REGIÆ IVVENTVTIS. INTRA DELICIAS NATVS. IN DELICIIS EDVCATVS. EXTRA DELICIAS VERSATVS. IOSEPHI, MARTIANI. HENRICI AVVNCVLI, PRIORVM IMITATOR. POSTERITATIS IMPVLSOR. VIVE BEATVS CÆLO PATRONE TERRARVM. TRAHE POSTERITATEM AD TVVM EXEMPLVM. PATRIÆ, QVÆ MAGNOPERE LABORAT, PRECIBVS VOTISQ; SVCCVRRE. hæc Raderus, qui in fronte eiusdẽ sanctissimi Principis, sub elegantissimo opere imagine ipsius expressa, sequentia carmina, digna, quibus nos quoque nostri Slauonici Ducis historiam concludamus, collocauit.

Ter felix iuuenis, diuis genitoribus ortus,
Et Diuus sanctum filius ante Patrem,
Et quod virgineos nunquam violauerit annos,
Quamuis iuncta thoro Regia virgo foret.
In medijs quis non miretur? hic ignibus arsit,
Aula. Puella, Ætas. quid nisi flamma fuit,
Sed castum pectus flammis melioribus arsit.
TVRPIS AMOR FRIGET, CVM PIVS ARDET AMOR.

# VITA S. VLADISLAVI REGIS VNGARIÆ DALMATIÆ CROATIÆQ;



IGRANTE ſanctiſſimo Principe Stephano, abſque vlla prole ſuperſtite, ad ſuperos, ſceptrum Vngaricum inuaditur à Petro, quem Vilhelmus Burgundus, ex ſorore ſancti Regis, Venetijs genuerat: quo ob efferos mores, ab Vngaris pulſo, Aba Vngarus, qui aliam ſororem S. Stephani duxerat, à popularibus ſufficitur; ſed Petrus Alemannico milite, & Apoſtolicæ ſedis authoritate fultus, iterum regnum recuperat. at eò in deteriùs prolabente, iterum regno detruſo, interfectoq; demum, ab Andrea filio Vladiſlaui Calui cognominati, qui ſancto Stephano patruelis fuerat, vtpotè Michaele, Geiſæ fratre prognatus, regnum penes eundem ſtetit. quod progreſſu temporis, Belæ quoque fratri viuens communicauit: moriens inde duos reliquit liberos, horum maior natu Salamon poſt mortem patrui Belæ regnauit, Salamoni Geiſa patruelis Belæ filius, Geiſæ Vladiſlauus frater germanus, octauus à ſancto Stephano Rex ſucceſſit: eius pater Bela, cum Regis Petri crudeli principatu, vertere ſolum eſſet coactus, ac ſe in Poloniam recipere, ad Mieciſlauum Principem, hic tum fortè bellum cum Pomeranis, Vandalorum reliquijs, tributum pendere recuſantibus, gerebat; iamq; acies vtrimque conſtiterant, inquit Bonfinius, cum vtrique genti viſum eſt, vt commodiùs ſaluti publicæ conſuleretur, ambo Duces ſingulari certamine litem dirimerent. ſi Pomeranus caderet, poſtulata tributa penderentur; ſi

verò Polonus, ius omne tributorum amitteret. placuit populis vtrisque conditio; sed cum Miecislauus ac filij singulare certamen reformidarent, Bela in medium prodiens: si vobis, inquit, Poloni placet, vt pro Principatu, ac dignitate vestra, in certamen ipse descendam, quamuis me pagano, prophanoq; hoste nobiliorem puto, hoc tamen vltrò pro vobis subibo periculum. accepit Miecislauus quod Bela detulerat, ac gratias egit, nec subrogatum quidem perduellionem, Pomeranus recusat. quare vbi se certamini ambo commisere, cum infestis hastis primò concurrerent, dicto celeriùs Bela hostem equo deturbat; mox gladio confossum, prostrauit humi, & sic bellũ, & causa singulari certamina dirempta, Pomerani se Polonorum vectigales profitentur. Miecislauus Belam non modò multis muneribus affecit, verum etiam filiæ nuptijs, & Pomeranorum prouincia amplè donauit; & pro viribus hominem quotidie honestauit. Bela ex Miecislaui filia Geisam, Vladislauumq; ac aliquot filias suscepit. Vladislauus itaq; Regia cura, in Polonia, liberaliter educatus, quo tempore pater eius Bela, ab Andrea fratre in consortium Regni Vngarici, est aduocatus, adolescens cum eodem venit in Panno- niam. quinquagesimo primo anno vndecimi sæculi Christiani. Bela porrò in demortui Andreæ locum, ad Regnum euecto, Vladislauus à pietatis amantissimo patre, omni religione est imbutus. quo desinente è viuis, cum Salamon Andreæ filius, qui Henrici quarti Imperatoris sororem Sophiam vxorem duxerat, eiusdem Imperatoris opera Regnum inuasisset, Vladislauus cum Geisa fratre ad affinium Polonorum opem confugientes, Vngariam armis repetunt. sed intercedentibus inter patrueles Episcopis, ita reconciliantur, vt Salamoni Regno permisso, Geisa Ducatum obtineret, Vladislauo, desiderio pacis & publici boni amore, priuatam vitam eligente: adeò solida pietas ambitionem rarò vel nunquam humanis pectoribus excidentem, facilè dissipat, & extinguit. at quantum Deo eiuscemodi morum compositio accepta, grataq; fuerit, facilè est inde cognoscere, quod ab hoc tempore in posterum, Vladislauum sub peculiari diuinæ protectionis

ctionis presidio vixisse cognitum est. Bello quod contrà Chunos Vngariam hostili immanitate inuadentes, à Salamone Rege & Geisa Duce, gestum est, cum Vladislauus inter confertissimos hostes decertaret, primoq; impetu, quatuor primi ordinis sibi obuios hostes interfecisset, in quintum irruit; & quamuis grauiter ab eo vulneratus, saucius, vt erat, eundem strauit. mox cum virginem Vngaram raptam à Chuno equite abripi videret, seruandæ illius ab impuris manibus cupiditate accensus, omni celeritate se post raptorem proripit; cum tamen vulneris nuper accepti dolore fugientem assequi posset nequaquam, inclamat post virginem, hortatur, hostem complexa equo se deijciat; audit hortantẽ puella, cum hoste vnà se præcipitat; aduolat Vladislauus, equo desilit, & æquo marte pedestrem hostem aggressus, illum denique prosternit, eodemq; temporis momento, vulneris sanitatem diuinitùs recuperat, Deo integritatis seruatore, eum integra sanitate, & sex hostium coronis remunerante. Iterùm cum aulica perfidia inter Regem & patrueles discordiæ fomenta incendisset, remq; ad arma deduxisset, fratresq; amicorum Principum auxiliaribus copijs, licet longè inferioribus ijs, quæ pro Rege militabant, in sylua quæ longo tractu terram occupabat, eo loci vbi nunc Vaciensis assurgit ciuitas, constitissent, conciliumq; cum militaribus præfectis haberent, cernit Vladislauus Angelum cælo descendentem, Geisæq; capiti coronam imponentem; quamobrem versus ad fratrem: Vidistine, inquit, quo te honore benignitas diuina honestat, dum cælestis minister Regiam tuo capiti coronam imponit? macte animo victoriam de hoste reportaturus, & cælesti corona præclarus regnaturus. tum Geisa positis genibus vouet: eodem loci se Virgini Dei genitrici, obtenta victoria à pio fratre promissa, Ecclesiam ædificaturũ: mox alacri animo in Salamonem, qui aliquot inde milliaribus aberat, mouet exercitum: in ipso procinctu manus conserendæ, Vladislauus humi prostratus, Deo, Diuoq; Martino Pannoniæ patrono, voto se obstringit, reportata victoria, ibidem se Ecclesiam eidem Diuo Martino constructurum. mox equo conscen-

so,

ſo, hortaturus militem, cum eundem in gyrum vertiſſet, & fortè fortuna lancea quam geſtabat veprem percuſſiſſet, Muſtella candidiſſima inde exiliens, per lanceam in ſinum pij Equitis conuolauit; cuius velut oſtenti argumento, denunciata ſuis victoria, mirum in modum illorũ animos ad rem imperterrito animo gerendam excitauit. ipſe tamen antequàm pugnam iniret, inauditæ charitatis armis, ſe fratremq; pariter armare voluit; cũ enim ſciret Salamonem omne ſtudium adhibiturũ in Geiſæ nece procuranda, amore fratris accenſus, ita cum eo tranſegit, vt ſigna & veſtes viciſsim cum eodem commutaret: quo raro Chriſtianæ, fraternæq; pietatis affectu, & fratri, & exercitui ſalutem tulit. Salamon quippè Geiſæ ſigna adortus, vbi poſt multa damna accepta, ſerò demum ſe cum Vladiſlauo tempus fruſtrà terere cognouit, dum Geiſam petiturus gradum retroflectit, inſtante à tergo Vladiſlauo, inter duos fratres incluſus, inopinatam illis ingenti ſuorum ſtrage, concedit victoriam. poſtquàm Vladiſlauus Chriſtianæ gentis internecionem conſpicatus, Germanorum, Italorũ, ac Vngarorum, qui pro Salamone occubuerant cadaueribus, agnitis, ingenti lachrymarum profluuio, dum ſecum reputat omnes, qui ceciderant, in Chriſto fuiſſe fratres, deplorabat exercitus vtriuſque eorum, & incuſabat. inprimisq; humanam ſtultitiam, & huiuſce ſæculi cæcitatem deteſtabatur, cum nemini pacem & quietem ſperare liceat. nam qui ad regnandum nati ſunt, debita ſibi regna ſine multo ſanguine & periculo capeſſere nequeunt, qui verò ad ſeruiendum, quotidianis inſidijs à debitis obſequijs ſubducuntur. hanc miſeram mortalium vitam perpetuam procellam eſſe affirmabat, illudq; vociferantiùs ſæpius ingeminabat: Huc me meumq; fratrem neceſſitas adegit, vt ſine fraterno bello, neque dignitatem, neque paterna bona retinere poſſemus, nullasq; ſedes formidoloſiores nobis quàm auitas haberemus, tantum malorum apud patruelem valuere conſilia, & iniecta ſuſpicio, vt nihil ille miſer exitio noſtro reputaret antiquius. quin & tam iniquam iniuerat opinionem, vt tutiorem ſe cum exteris, quàm ſuis reputaret. ò miſerum Salamonem malis vſque adeò conſi-

consilijs obnoxium, vt nihil fraterna charitate detestabilius arbitraretur. ò nos longè miseriores, quibus non tàm pro asserenda vita, & dignitate nostra, quàm Regni libertate certantibus, manus à nostro sanguine abstinere non licuit. atque me præ cæteris dixerim infelicem, quem ad diuina mysteria natum & euocatum fraterna charitas, & Regni ratio remoratur. Vtinam mihi præ his omnibus mori obtigisset, & pro publica salute deuouisse caput, aut pro sceleribus omnium pœnas exoluisse. nimirùm Vladislauo nil hoc laudabili, ac salutari fato accidere posset optatius; ne me quidem patruelis odium, & fraternus amor ad hauriendum sanguinem protraxisset, nisi protegendum esse fratrem, eundemq; futurum Regem, suis auspicijs Diuina benignitas admonuisset. quod si nefario bello mihi pugnandum fuisset; maluissem profectò etiam mori, quàm certasse cum meis, & parui diuina monita & mandata fecisse. Tu autem clementissime Saluator mundi, qui omnia mortalium facinora sanctissimo tuo sanguine expiasti, & ex corde preces supplicantium non aspernaris, omnium qui hic oppetiere fidelium animos, maculis omnibus exue, ac perlustra, culpas dele, & ob sanctissimæ mortis tuæ memoriam, hos ab æterno interitu redime, priusq; me libro vitæ dele, quod vt impetrem, & tua ineffabilis in nos charitas, effususq; in Cruce sanguis, & pientissimæ Genitricis tuæ patrociniũ efficiat. ast vbi satis ploratum & conclamatum est, cuncta cadauera ritè sepelienda curauit, iusta cuiq; pro dignitate; ac votam Diuo Martino ædem in Monyorod, adiectis hostium exuuijs, exsoluit. prouentus quoque non mediocres adiecit, quibus assiduæ mortuorum celebrarentur inferiæ. ne illa quidem Vladislaui pietas silentio præteriri potest, cum enim porrecta humi cadauera obequitaret, ne quem sui officij relinqueret expertem; vbi inter confertos hostes Erneum agnouit, non mediocrem pacis & ocij amatorem, equo repentè desilijt. cruentumq; eius caput amplexatus, osculatusq; miserabiliter: Hiccine iaces, inquit, Erneu amator pacis, & fraternæ concordiæ, publicæq; salutis assertor vnice? non hoc probitas non æquitas tua merebatur. pacem

cem quam in hac vita non inuenisti, in altera benè merendo & moriendo comparasti; cecidisti Erneu, cui probitatis iure viuendum erat, & longè maius hostibus quàm amicis, tui desiderium reliquisti. eò vehementiùs tuum interitum deploramus, quo ardentiùs pro communi concordia priuatim, & publicè contendere consueuisti. multa demùm conquestus mirabiliter super eum, postquàm pietati factum satis arbitratur, de sepulturæ honore cogitat. quare continuò eius mandato, succollantibus Ernei corpus militibus, eò delatum, vbi nunc Vacia est, ibiq; honorificè sepultum. hæc teste Bonfinio Vladislaui pietas cum optimo ciue, quem Salamoni Regi saluberrima consilia dedisse, eumq; ab insectandis patruelibus reuocare studuisse, probè norat. sed eadem pietas eò maior eluxit, quod cum malo ciue, & qui ambitionis æstro percitus, Salamonem Regijs fratribus infestum effecerat, totiusq; tragœdiæ Vngaricæ fuerat author & impulsor; omninò se idē Princeps pius gessit. Paulo enim vlterius, ait idem Bonfinius; inter cadauera agnoscenda victor ipse prodierat, ecce à latere Vidi corpus offertur, non modò pectore, sed capite saucium. quod vbi est agnitum, Doleo equidem, ait, morte tua Vide, quamuis inimicum in nos animum nunquam dissimulasti. vtinam tibi vltrà viuere licuisset, vt post resipiscentiam nos Salamoni reconciliare potuisses. verùm si mortuos quandoque percontatione vexare fas est, nimirum illud mirantur omnes, si non Regio nobiliore genere natus es, cur dominatum ac Regnum aliquod affectasti? cur anhelasti ad coronam Regiam? & supra conditionē immodica libidine æstuasti? quare vt quodque peccans præsentaneam sibi pœnam esse sentiat, cor tuum nimia ambitione saucium, adacta lancea pœnas luit, caputq; diadematis auidissimum, ne legitimo supplicio careat, gladio scissum est. his dictis ritè sepulcro condi iubet. hæc Bonfinius. Salamone itaq; meritas pœnas persoluente, Geisa cum fratre Vladislauo dimissis exercitibus, quietam, & priuatæ similem vitam dum agunt, libertate Regnicolis de Regni statu ordinando absolutè remissa, omnium votis, idem Geisa Albæ, Regia in sede

coro-

-ronatur, Vladislauus Ducali dignitate honestatur. post inauguratione, nouus Rex religioni promouendæ intentus, ad syluam, in qua Vladislauus coronam ab Angelo capiti eius imponi viderat, cum eodem fratre properat. hic dum fratres agunt inter se de Ecclesia Deiparæ, iuxta sponsionem factam cõstruenda; accurrit repentè Ceruus elatis cornibus, innumeris facibus collucentibus, qui paululum subsistens, mox sese fuga subducit. Danubiumq; irruens, nullibi amplius apparuit. quamobrem Vladislauus rem diuinam reputans: Verè, ait, non Ceruus, sed Angelus Dei fuit. sed quid faces in cornibus, inquit Geisa? tum ille: non cornua sed alæ, & quæ faces ardentes visæ, fulgentes pennæ fuerunt. porrò vbi substitit, locum extruendæ demonstrauit Ecclesiæ. quam mox Deiparæ ibidem, ac etiam vbi primùm diuinum ostentum visum fuerat, aliam Apostolorum principi Petro statuerunt. vtraq; maximis ditata prouentibus: præterea in Vrbe Budensi, eidem Deiparæ amplissimam construxerunt Basilicam. verumenimuerò Salamon cum Imperatorem Henricum quartum cuius erat sororius, contra patrueles in Vngariam magno stipatum exercitu aduocasset, idemq; infecto negotio retrò pedem tulisset, ac Salamon idcircò omni spe melioris fortunæ destitutus, Posonium se recepisset, ab Vladislauo obsidione cingitur. quæ dum longius protrahitur, quadam die, pius princeps circa meridiem, priuati militis habitu, castris egressus, dum vrbem circumlustrat, Rex Salamon ratus aliquem ex hostibus singulare certamen expetere, ipsemet descendit in arenã. at vbi primùm Vladislaui faciem vidit, & cognouit, diuinitùs territus, citato cursu redit ad suos: à quibus interrogatus cur tam citò, & fugienti similis retrò cessisset? respondit se non hominis, sed Dei timore actum fugisse. vidisse quippè duos Angelos super caput Vladislaui, igneo gladio volantes, & eundem propugnantes: Hinc magis ac magis amor & reuerentia hostium ergà Vladislauum aucta: præsertim quòd quicumque ex aduersarijs ad manus eius peruenissent, eos liberos & munusculis affectos, ad Salamonẽ remittere consueuerat. nec tamen Salamonis ergà patrueles

trueles durities vlla ex parte molliebatur. quinimò cum Episcoporum intercessione, eò pij fratres deuenissent, vt Geisa duas Regni partes cum Regio nomine & authoritate, Salamoni vellet concedere, Ducali tantùm titulo; & tertia portione sibi reseruatá, nunquam tamen adduci potuit, vt cum pijs fratruelibus conueniret: quare post annum tertium in Regno exactum, ea moderatione, qua Magni cognomen Geisa obtinuit, Vaciæ diem extremum conclusit. quo mortuo, Salamone in priori pertinacia perseuerante, Optimates, cæteriq; Regni ordines, Regnum Vladislauo, cuius eximias virtutes ad admirationem exploratas habebant, vnanimiter deferunt. ille coactus licet, Regni administrationem, amore publici boni, cum vix tandem accepisset, insignibus tamen Regijs nunquam ornari voluit, quamdiu Salamon, quem Regem agnoscebat, in viuis fuit: semper in ea deliberatione persistens, vt si ex æquo & bono fieri posset, Salamoni Regnum permitteret, ipse sibi Ducalem dignitatem retenturus. Regni cura suscepta, mirum est, quanto religionis ardore, pietati augendæ per Vngariam, incubuit, Ecclesias passim extruendo, Sacerdorum, Monachorumq; Collegia opulentissimis prouentibus instituendo, omniumq; animos ad veri Dei cultum excitando. Intereà cum Zuonimirus, qui & Demetrius, est dictus, mortuo Crescimiro patre, ad Regnum Dalmaciç, Croatięq; prouincialium suffragio, & Apostolica authoritate fuisset eodem anno sublimatus, quo Vladislauus Geisæ fratri successerat, septuagesimo nempè sexto supra millesimum, ac Vicelini cuiusdam proceris Regij sanguinis, insidijs Regnum Dalmaticum fluctuasset, Vladislauus à Zuonimiro sororio suo vocatus, compresso seditionis authore, Regnum pacatum affini reliquit. vt hallucinentur ij scriptores, qui hæc multis anteà annis, Salamone adhuc cũ patruelibus concorditer agente contigisse scribunt. hoc enim anno Regnum Dalmaticum Zuonimiro traditum ab Apostolico Legato, acta Gregorij septimi, & vetera Dalmatica monimenta testantur. cuius etiam Pontificis litteræ commonitoriæ ad eundem Vicelinum datę, inter epistolas eiusdem Gregorij habentur.

reuer-

reuersus ex Dalmatia Vladislauus, agentibus Regni Episcopis, cæterisq; patribus, quartò Regni anno, Salamoni reconciliatur; ita tamen cauentibus proceribus, vt quotannis ex publico ærario, tributa Salamoni penderentur, quibus Regio splendore vitã posset traducere, Regia tamen illi, cuius immitem animum probè norant, prorsus interdicta, & integra Vladislauo reseruata, quem ita conditionibus ijsce acquieuisse scribunt, vt si Salamonẽ mutatum in melius certo cognosceret, eidem Regiam quoque authoritatem liberam sponte permitteret. verùm homo imperio assuetus; quod conditionibus ab ordinibus Regni consequi non poterat, vt solus nimirùm regnaret, ab immani ingenio, sed ingenti malo suo, Deo impijs conatibus obsistente, tentauit obtinere. euocat itaq; Vladislauum per litteras ad colloquium, loco, dieq; præfinito. annuit pius Princeps patrueli, nil doli subesse existimans, sed diuinitùs insidijs sibi ab eodem colloquij specie, structis, patefactis; validiori præsidio stipatus, accedit ad locum deprehensumq; in fraude Salamonem, Vissegradum priscam Principum regiam, custodiendum transmittit, vnde cum posteà eo miraculo, quod in aperiendo sepulcro S. Stephani Regis, in eiusdem vita contigisse diximus, liberum eduxisset, homo non minus Regni, quod sibi ereptum, quàm vindictæ, quam irrorogatam vinctis censebat, auidus, breui ad insanos ausus redijt. Chunorum Ducem impiæ professionis adit, eius opem implorat, ducturum se eius filiam in vxorem, & vniuersam Transyluaniam donaturum promittit, si eius opera voti compos fiat. Barbarus tantis promissis animũ, in Vngaros perpetuò asperum, accõmodat. magno comparato exercitu, Vngariam ingenti clade afficit. occurrit Vladislauus cũ suis, collata manu cum hoste, fundit fugat eundem, vt vix Salamon cum Kutesko barbarorũ Duce euaserint. potitus victoria pius Princeps, gratijs toto Regno Deo actis, Ecclesiam amplissimam in loco vbi fuderat hostem extruxit, ac ditauit. Salamon cum se frustrà contra Deo tutum principem pugnare cognouisset, refecto Chunorum exercitu, Bulgariam populando peruadit, sed vbique victus, demùm se ipsum

vincere ſtatuit. abiecta enim penitùs cura rerum humanarum, in ſyluam ſeſe abdens, in extrema parte Dalmatiæ, ad fines Iſtriæ, poſt longam vitæ macerationem, in Dei obſequio, pio fine vitam concluſit, quem Polæ in Iſtria tumulatum aiunt. Dum Vladiſlauus nullibi comparente Salamone, Regno ordinando, ornandoq; religioſam nauat operam, regio nomini & dignitati acquieſcens, Chuni, Kopulsko Duce, Kruli filio, Vngariam rapinis, incendijsq; inuadunt; Tranſyluaniamq; omnem peruagati, vlteriora regni petunt. Rex qui eò fortè tempore in inferioribus regni partibus moram trahebat, inexpectata barbarorum immanitate cognita, coactis copijs, Chuno liberè omni licentia per Vngariam debacchanti, procedit obuiam; qui captiuorum magno numero abducto, ingentiq; præda ornatus, circà fluuium Temeſium, ſpreto Vladiſlauo, tanquàm longè abſente, ſecurus agebat. vbi longis itineribus Rex ad barbarorum conſpectum acceſſit; hortatur milites, publica infamia propoſita, quæ, ni coniuges & liberos captiuitati ſubtrahãt, perpetuò illis imminebat, certò promittens ipſemet, ſe potiùs illo prælio vitam deſerturum, quàm, quantum in eo eſſet, illam non abſterſurum. ſponſionem innatæ pietatis affectu, profluuio lachrymarum ſubſequente, vexillum rubeum triumphali Cruce inſignitum, iubet exercitum præcedere, ipſo primo in hoſtes irruente. quos ſtatìm in fugam conuertit. itaq; cum iam victoriam à ſe ſtare videret, præcepit militibus, vt ab occiſione Chunorum temperarent, caperent tamen quos poſſent, animo eos ad veram pietatem reducendi. hinc qui cædi ſuperfuerunt, omnes capti ſunt. vix vnico cladis captiuitatisq; nuncio, ad ſuos, fuga elapſo. Rex dum ob ſeruatos ciues, Deo immortales agit gratias, toto Regno publicis ſupplicationibus indictis: adſunt Legati à Chunis tranſmiſſi, qui verbis arrogantia plenis, captiuos populares repetunt, ſecùs extrema omnia, Regi, Regnoq; minantur. Vladislauus leni riſu, barbara petulantia reiecta, mox aduentantes Chunos cum eorum Duce Acus nomine, in regni finibus alacriter excepit; eundemq; furentem manu ſua cædit. hinc animo reliqui conſternati, terga dant, palantes paſsim

cædun-

cæduntur post stragem Chunorum, contrà Ruthenos, qui Chunis auxilio fuerant, promouit exercitum. sed illi clementiæ Regiæ sese committentes, certam cladem, pietate Vladislaui, à ceruicibus auertunt. tum contrà Polonos, qui Chunis immixti Vngariam afflixerant, cum acie processit. occurrunt Poloni instructo exercitu, sed vbi ventum ad manus, facili negotio à Rege funduntur, reliquijs exercitus fusi fuga sibi consulentibus, Crácouiam Vladislauus obsidet. in cuius obsidione, cum trimestri spatio hæreret, obsessi æquè ac obsidentes, inopia victualium laborare cæperunt. quare ad terrorem obsessis incutiendum, Rex tale commentum excogitat. edicit prima noctis vigilia, vt quilibet miles Ocream siue Galeam, effossa terra plenam in designatum locum effundat, vnde breui tumulus consurrexit, quem farina conspergi iubet. illucescente die, cum oppidani oppositum tumulum, farinæ aceruum certo credidissent, indeq; Regem commeatu instructissimum, ab obsidione cessaturum nequaquam sibi persuasum haberent, ipsi ad extrema redacti, se Vrbemq; Regis permittunt arbitrio. eos ille paternè castigatos, priori libertati restituit. pari felicitate in Bohemiam penetrauit, vbi eos, qui hostiliter se contra Vngariam gesserant, repressit: itaq; Chunica, Ruthenica, Polonica, Bohemicaq; palma illustris, ad suos sese recepit. vbi dum quietiori vitæ indulget, aliquandò venationi intentus in agro Bihoriensi, Angelico monitu, ad Chrisium fluuium, Dei genitrici Basilicam iubetur erigere. quod protinùs Regia munificentia ita perfecit, vt oppido circà Basilicam extructo, Episcopoq; illi assignato, Varadinum illud appellari voluerit. eius pij mores, virtuti bellicæ, & æquitati ciuicæ coniunctæ, dum toto Christiano orbe, ingenti gloria circumferuntur, à Principibus Germanis, ad Imperium capessendum, loco Henrici impij Regis Regno detrusi, inuitatur, quod magna animi constantia recusauit. Dalmatiæ tamen, Croatiæq; Regna, Vngariæ adijciendi, tamquàm cognatæ gentis, occasionem noluit prætermittere. maluit quippè perpetuo posteritatis ornamento, benedictione Apostolica, Regna

in patrio solo constituta adire, quàm alienæ gentis Imperio, per ea tempora, calamitatibus fæcundo, & sui nominis splendori tantummodò profuturo, sese immiscere. cum enim ea tempestate, authore Vrbano secundo, excelsi, verèq; apostolici animi Pontifice, Concilio ad Claramontem in Gallijs coacto, plures Europæ Principes pro recuperãdis sacris Palæstinæ locis, non ita pridẽ, ab impijs occupatis, sacræ militiæ datis nominibus in belli societatem coiuissent, Pontifexq; Zuonimirum Regem Dalmatię, vtpotè Sedis Apostolicę beneficiarium, sacris copijs præfuturũ, per litteras inuitasset, Rex morem gesturus summo Christianæ reipublicæ patri, indicto prouincialium conuentu, recitatisq; litteris Apostolicis, populares ad sacrum bellum suscipiendum cohortatur, ij per proteruos quosdam proceres, Regiæ vitæ pridem insidiantes, exaggerata difficultate negotij, charorumq; pignorum orbitate, dum extremo orbe incertis exponerentur victorijs, ita à consilijs pij Regis amplectendis sunt absterriti, occultis & seditiosis colloquijs, vt sacrilego parricidio, eidem Regi necem inferre sint ausi, cuius morte, proceribus Regnum pro libidine distrahentibus, Regina vidua Lepa nomine, vitæ suæ, regnoq; consultura, Vladislaui fratris opem implorat, ille celerrimè contractis copijs, ad sororem accurrit, victorq; perpetuo, sumpto de parricidis supplicio, pacatum regnum sorori reliquit, verùm cum iteratas in Dalmatia, Croatiaq; victorias sancto Regi Stephano, post Deum referret acceptas, ex inferioribus regnis, in Vngariam rediens, in ipsa ferè Saui ripa, in limitibus Slauoniæ, Croatiæq; regnorum, ad Vicum Italicum appellatum, Basilicam amplissimam, opulentissimè ditatam, innatæ pietatis immortale trophæum, erexit, cui restaurato antiquissimæ Vrbis Sciscięsis in proximo agro inter rudera squalientis, sacro præsulatu, authoritate Romanæ sedis, Episcopum dedit, & Clerum, omnium regnorum Vngaricorũ nostro sæculo facilè principẽ instituit, singulari tutelaris Regis patrocinio, titulo Zagrabięsis Ecclesiæ ad hanc vsq; diem semper eundẽ, ac proindè vigilantissimorũ pastorum, præstantissimorumq; Se-

natorum

natorum perpetuò nobile Seminarium. verumenimuerò cum pius Rex operam suam Vrbano pontifici, loco sororij mortui, sacro bello ductando, cuius auiditate mirum in modum flagrabat, promptissimè obtulisset; magno Vrbani, Principumq; reliquorum gaudio, Dux sacri belli denunciatur, ac insuper Apostolicâ authoritate, ad quam ius Regni Dalmatici, Croaticiq; pertinet, eorundem regnorum iure donatur perpetuò. agebatur tum annus octuagesimus quintus vndecimi sæculi, quo Vladislauus nouis regnis auctus, imperioq; sacræ militiæ insignitus, conuocatis sui regni ordinibus, & animi sui deliberatione exposita, nobilissima procerum manu ipsi adhærente, post dulces amplexus, & affatus charorum, Regni cura proceribus demãdata, dum terrestrem Hierusalem Christi miles ex impiorum manibus eripere satagit, Diuis quàm hominibus gratior, ad cælestem Hierusalem rapitur. cum enim inter alios sibi addictos principes, Conradum Bohemorum Ducem, suum è sorore nepotem, ad sacrum bellum inuitasset, isq; libentissimo animo ad pium iter iam sese accinxisset; Suetoplugus Ducis agnatus, intempesta nocte Pragam ingressus, seditiosorum quorundam factione, ipsoq; Pragensi adnitente Episcopo, capta Vrbe, Principatum inuadit. Conradus inopinata perculsus iniuria, ad auunculum accurrit, opem eius contra cognati vim impiam implorat. Vladislauus & iniquitate rei, & meritis Othonis patris Conradi, cuius olim contra Salamonis vim, egregiam fuerat operam expertus, coacto exercitu, Bohemiam versus iter intendit: vix ad fines appulerat, repentino morbo oppressus, cogitur gradum sistere; at vbi sibi vltimum vitæ finem instare cognouit, spiritualibus medicinis summa pietate instructus, conuocatis Vngariæ Pontificibus, ac Optimatibus, res regni disposuit. tum omnibus quæcumque penès se habebat, Ecclesijs, & Christi pauperibus distributis, tertio Kalendas Iulij obdormiuit in Domino. quo die celebris eius anniuersaria memoria, in Ecclesia perseuerat. præter sacræ Vngaricæ Coronæ regna, Bohemis & Polonis eundem, tanquàm suum Principem, peculiari sacro colentibus officio. incidit mors

eius in feriam secundam. corpus Varadinum magna pompa delatum, ibidem in Basilica ab eodem extructa, conditum; cum triennio ante obitum, nonagesimo secundo anno illius sæculi Ecclesiasticæ reipublicæ amore flagrans, Synodum omnium Pontificum, Abbatum, & Cleri totius, in ciuitate Zabolchij celebrari curasset, decretis Synodi, tribus libris comprehensis, quæ sub titulo Decreti sancti Regis Vladislaui, apud Vngaros magnæ authoritatis vim obtinent.

Cælestinus porrò tertius sanctitatis, ac miraculorum eius fama permotus eum sanctorum Confessorum Catalogo adscripsit.

# VITA S. ELISABETHAE VIDVAE ANDREÆ REGIS VNGARIÆ &c. FILIÆ.



ONO loco à sancto Stephano, sceptrum Vngaricum tenuit Andreas, Belæ tertij filius, Vladislaui tertij fratris successor, Hierosolymitanus inde dictus, quod ad sacram Hiersolymitanam expeditionem profectus, commisso atroci prælio, cum Babiloniorum Sultano, gloriosam ex eo reportauit victoriam. hic Elisabethæ fuit pater, vt ait Iacobus Montanus Spirensis, Rex non solùm in gubernando Vngarorum Regno diuitiarum opulentia, verum etiam, quod singulare est optimorum insigne Regum, pietate & iustitia præclarus. Mater Gertrudis, quæ pro natura sexus infirmior censeri poterat, adeò magnitudinem virilis animi, prudentiamq; nonnumquàm exercuit, vt vel absente, vel occupationibus distento Rege, ipsa per se, Regni negocia tractanda, non sine laude curaret. ferunt genethliacū quendam longè positum, qui Clinsor vocabatur, paucis ante horis, quàm in lucem ederetur Elisabetha, prædixisse, nascituram, natæq; nomen, indolem, virtutes, miracula, nuptias, ac sponsi nomen; denique lætitiam Ecclesiæ, tantarum gratia rerum declarandam, veluti ex syderum, quæ contemplabatur, adspectu citata deprompsisse: quam quidem prædictionem, qui diuino instinctum spiritu hominem volunt, veteris Balaami vaticinio comparant; qui verò diuinatricem astrologiæ vanitatem derident, intra famam reponunt. Quadrimulam, vt ait Matthæus Raderus, cuius verbis vitam Elisabethæ prosequimur, Hermannus Turingiorum Regulus

gulus ab Andrea ſponſam filio ſuo Ludouico, Eliſabethæ æquali petitam, miſſis legatis ad ſe deportari curauit, vt cum filio, integrè, ſanctèq; educaretur. Gertrudis Regina infantem omnibus ornamentis cultam, cum ampliſſimis donis, & magna pecuniæ vi ad Hermannum deferendam Legatis commiſit: exceptaq; eſt ab Hermanno, aulicisq; officijs, ingenti cum applauſu, paruuliq; Ludouici oſculo, iam votiua coniux admota. Enituere intrà paucos annos radij futuræ ſanctitatis indices, in puella. nam ſiue cum æqualibus luderet, prodebat ſigna virginitatis, verecundiæ, modeſtiæ; ſiue regio cultu, mitraq; ornaretur, detrahebat clam aliquid ſibi de ornamentis, coronamq;, dum rebus intereſſet diuinis, ponebat, admirante principe Sophia, roganteq; quid ſibi vellet illa ceremonia; reſpondit non ſibi verum videri, regia corona ornari, dum ſupremi Regis filius in ara litaretur, ſpinis olim & vepreto redimitus. ita adoleſcebat Regia virguncula, vt inter delicias palatinas, non obliuiſceretur patientis pro ſe Christi tormentorum, vt & ipſa velut roſa inter ſpinas, caſta, integraq; effloreret, verè, vt Poeta canit:

*Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,*
*Ignotus pecori, nullo contuſus aratro,*
*Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat aer,*
*Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.*

Inter hæc hominem poſuit Hermannus, Eliſabetha cum vbique religionis & pietatis indicia ederet, Sophia futura ſocrus dubitabat, an illam nurum adoptaret, quod Cænobio aptior, quàm aulæ videretur. iſta ſunt mores hominum, vt adoleſcens innocentia, mox vel in inuidiam, vel contemptum veniat, ac pro infantia & ſtultitia, quod religioni & ſapientiæ diuinæ proximum eſt, cenſeatur. nempè iam olim verè meminit ille.

*Exeat aula*
*Qui vult eſſe Pius.*

Iam ſocrus, iam alij ab arcanis principis, agitabant cõſilia de Eliſabetha in Pannonias ad Andream remittenda, velut parum cõmoda Ludouico futura. mater Eliſabethæ à popularibus immaniter

niter contrucidata, alieno ſcelere, vt videtur, occubuerat. Valterus erat, qui Eliſabetham in Turingiam cum legato, paruulam apportarat; is omni ſtudio pro illa contendebat: ſed potẽtiorum factionibus oppreſſus, dubitabat, an ipſe etiam Ludouicus à futuris Eliſabethæ nuptijs abhorreret. proindè capta alloquendi principis occaſione; exploraturus animum ſponſi, ſolus ad ſolum adijt, veniamq; audaciæ præfatus rogauit, quo animi eſſet ergà ſponſam? erant ambo in itinere, & monti proximi, cum Ludouicus: dubitas de meo ergà Eliſabetham affectu? montem hunc ingentem, quem coràm intueris, ſi ab ima radice ad ſummum verticem, in purum putum aurum migraret, præ deſiderio ſponſæ, lutum ducerem: eiq; hoc nunciare iuſſit, adiecto etiam ſymbolo amoris, ſpeculo, Chriſti de cruce pendentis imagine inſignito: nam & Ludouicus eximiè colebat numen; quæ cauſa fuit, vt facilè pares cum paribus iungerentur. Ergò quartum decimum annum, qui fuit Chriſti M. CC. XXI. ingreſſam, feſta pompa, bonis auibus, Eliſabetham vxorem Ludouicus duxit, & eximiè quoad vixit, charam habuit. Erat propè par in vtroque virtus, eademq; ambos pietas & caſtimonia mirificè deuinxit; vti rarò tam illuſtre, modeſtum, & par omninò connubium, inueniretur. Conrado Marburgio, viro religioſo & acerrimo conſcientiæ ipſius cognitori, obſequium non abnuente viro, in ijs quæ ad ſalutem & religionem pertinebant, voto addixerat, hic accumbenti Eliſabethæ ad communem menſam, cibis omnibus interdixerat, ex iniuſto partis: nam Ludouicus Turingiorum princeps, huius & Hermanni pater, fundos, agrosq; Eccleſiæ inuaſerat, ſubiectos diris exactionibus oppreſſerat, nihilq; penſi habuerat, quominùs iura diuina & humana permiſceret, omneq; fas abrumperet: quin & ſæpe monitus à religioſis viris, etiã atque etiam videret, quid ageret, ſupremo illum Dictatori rationes factorum redditurum, reſpondit: Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. hoc ludibrium illi caro ſtetit, quando poſt mortem, grauiſſimas Deo pœnas, æternis inferorum ſupplicijs (vti pluribus diuinitùs eſt ſignificatum) mancipa-

tus exoluit. quamuis moriturus domesticis præceperit, vti secundum fata cadauer cucullo tegerent, parùm illi retentis Ecclesiæ prædis, & prædijs profuturo. in quem quidam ridiculè ex militum natione, & custodia corporis lusit, cum diceret: En principem nostrum omni virtutum genere clarissimum; armorum scientia dum viueret, superauit omnes; mortuus etiam religiosorum silentia damnat; quis illo taciturnior? an vocem vllam cucullatus mittit? Huic ergò Ludouico, filius cognominis in bona per fas nefasq; parta successerat, necdum sacris sua redhibuerat, quod Conradus haud ignorabat, qui Elisabethæ proindè interdixerat, ne quid gustaret, quod ex rapto appositum esset. Ludouicus vt erat pius, Elisabethæ factum non solùm ægrè non tulit, sed rationes etiam initurum spopondit, quibus aliena redderet, suisq; securus religionis, frueretur. Interim Elisabetha cum suo gynæceo ex dote paterna, quamuis modica, sobriè admodum vixit, vt non infrequenter etiam tanta Regina esuriret, quod satius iudicabat, quàm ex iniusta quadra lautitias capere. sed neque victu tantùm sobrio vitam tolerabat; in cultu corporis quoque eam modestiam adhibuit, quam nemo nisi sanctus inuideret. processerat olim in publicum regio mundo fulgens, gemmisq; & auro grauis, omniumq; oculos & ora in se conuerterat, cum ascensura limen templi quod petebat, lumina in Christi de cruce pendentis effigiem conijcit, contemplaturq; concretos sanguine crines, diro spinarum vepreto implexos, nudum corpus, & confusò vulnerum liuore cruentum, manus pedesq; trabalibus clauis traiectos; se contrà regio luxu, mitra, purpura, gemmis superbam: qua meditatione, tanto animi dolore contacta est, vt defecta viribus, animo concideret. territæ ancillæ aqua lustrali sopitam recreant, animamq; fugientem, & calorem coloremq; in vultum reuocant. ab illo momento omnem ornatum vel reiecit, vel subiecto cilicio, ne Christi memoriam poneret, asperauit. imò cum princeps profectionem longiorem sine illa adornaret, vestem illa preciosam, omninò viliori commutauit, pullamq; & lugubrem viduæ ritu sumpsit. Reuertente eodem,

& illa

& illa ad mundum muliebrem rediјt, ne viro molesta esset, cui seruiendum haud ignorabat. fœcundauit ergò Deus tàm sanctũ connubium, & stirpem virilem, hæredemq; principatus illi impertiuit; muliebrem quoque geminam adiecit, quarum altera principi Belgæ Brabãtino, nuptui tradita est, altera cælo deuota, præter Christum, nulli adhæsit, cuius Parthenoni Aldeburgensi, Antistita præsedit. Hermannum filium, vbi dies lustrationis appetijt, ipsa suis gestans manibus, ad Virginis, & Matris Dei exemplum, nuda pedes, insuper & lana, non serico vestita, difficili & scruposa via, ad ædem sacrã deportatum, cum cereo, cælesti patri, vitæq; authori stitit, & velut hostiam, pignusq; sui ergà Deum cultus, consecrauit. Ludouicus cum pietatem coniugis obseruasset, non solùm impedimento non fuit, sed vel maximo adiumento, data ei plena copia miseris, quæ vellet, tribuendi; qua illa copiosè vsa, tam profusè omnia in egentes congessit, vt regna etiam diuisura videretur: nec in eo sibi satisfaciebat, cum liberaliter elargiretur, quod suppeditabat, nisi suis pedibus vilissimorum casas obiret, manibus vlcerosos tractaret, psoras abstergeret, sordes ablueret, ægros leuaret, & lauaret, omniaq; vltimæ familiaris ancillæ munia, obiret. Miserat Andreas Pannonum Rex pater Elisabethæ Legatos ad Ludouicum, & vxor id loci abiecta admodum cyclade tecta incedebat, vt pæniteret non tàm illam, quàm ipsum principem Coniugis tam sordide incedentis. Et doleo, inquit, soror (ita compellabat Elisabethã coniugem) tibi non esse in promptu lautiorem vestem, ad proceres popularium tuorum prodituræ, nec mihi otium nouæ tibi comparandæ. Nihil est, inquit, illa quod erubescas meas sordes, vestium splendorem semper contempsi. In publicum tamen progredientem Deus ipse hiacynthina, gemmis auroq; fulgente, decorè & magnificè ingenti miraculo ornauit.

Restitit Elisabeth, claraq; in veste refulsit,
Os, humerosq; Deæ similis, namq; ipse decoram
Induerat natæ pallam, lumenq; iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.

Obstu-

Obstupuit princeps, vnde coniugi nouus & inusitatus honor ve-
stis, seorsumq; posteà rogauit, vnde cultum illum accepisset? sic;
inquit illa, nouit cælestis munerarius suos cultores, cultricesq; in
tempore exornare. Expectabatur eadem in publica panegyri, ad
mensam, à maxima nobilitate frequentatam, cum in ipsis gra-
dibus, per quos Elisabethæ ad triclinium erat descendendum, ia-
cens vltimæ sortis rogator; opem Reginæ maximis vocibus im-
plorabat. Nec tempus, inquit illa, nec res est quam tibi præ-
sens largiar, maioribus indè clamoribus vocata, pallium ipsum
quo tegebatur, nobile & regium proijcit petenti, qui collectum
tollit, abscceditq; conuiuis inde præstolantibus, Dapifer renun-
ciat principi, Dominam occupatam cum mendicabulo, supe-
riore veste illi porrecta carere. Ludouicus ad coniugem ingres-
sus rogat, ecquando tandem ad prandium sit accessura; vbi pal-
lium sit, quo tegatur? illa, paratam se venire, pallium illic in
pertica suspensum pendere, quod mox ancilla attulit, suspenso
admiratione principe, ab ipso Christo acceptam, relatamq; ve-
stem. Inter rei diuinæ solemnia, ipsi solemne erat, coronam po-
nere, monilia gemmasq; detrahere, inter plebem, cum palàm
per dies rogationum supplicaretur, consistere. Die parasceues
imperauit domesticis, vt neglectis omnibus mundicijs vrbanis,
nullum sibi honoris, aut venerationis cultum exhiberent, nulla
genua poneret, nulla quasi dominam agnosceret; quòd illis die-
bus supremus mundi Regnator Deus omnibus modis abiectus,
infami cruce occubuisset. Visa est olim in æde sacra tanto ful-
gore circumfusa, vt religiosissimus ex Sacerdotibus, oculis per-
strictus contrà tueri non posset. Non mirabimur tam illustre par
coniugum? Ludouicus, Elisabethæ relinquebat arbitrio, res suas
in pauperes partiri; ipse Imperatori adesse, rempublicam iuua-
re, in medium consulere, inter aulicos tamen strepitus, ac vrba-
nas delicias, se ipsum circumspectum habere, pudoremq;, ac fi-
dem coniugi sartam tectam custodire, scorta introducta abigere.
Si cælum, inquit, non respicerem, tamen thorum coniugis meæ
quamuis absentis, hac ignominia non notarem; sed aspicit om-

nia cæleste numen, & grauissimas ab adulteris pœnas exigit. Elisabetha porrò absente viro, id vnum studuit, vt omne studium in egentes Christi greges conferret, haud ignara Deum sibi facta charitatis officia interpretari, quæ miseris præstitisset. Itaq; Xenodochia peregrinis, Nosocomia ægris, Pædotrophia pupillis, Gerontodochia senectæ ætati molita, omnia vectigalia sua impendit in pauperes. Annonæ precium, accenderat frumenti inopia, multos dira fames emaciatos, in mortem dabat: occurrere studebat Elisabetha pro viribus publicis malis; omnia horrea aperuit, descriptis per classes esurientibus, in diem, demensum dedit: sed maxima cura circa ægrotos erat, quos quotidie reuisebat. nullius corpus tam vlcerosum erat, quod illa non regijs manibus contrectaret, nulla scabies, tam famosa, quàm non abstergeret, nulla lues tam infamis, à qua abhorreret; quorum, ancillantes puellæ, pedorem ferre non poterant, Domina fouebat, gestabat, in sinu ferebat. pupillis etiam singularem curam impendit, atque ex illis, olitissimum quemque & maximè miserabilem, præ cæteris studiosius, & officiosius curabat; non immemor huiusmodi Lazaros, Deo maximè cordi esse, quos tātò securiores sciebat esse æternæ felicitatis, quanto minus hic de præsentis vitæ gaudijs gustarent: præter valetudinaria, nongentos in singulos dies pascebat, quando precium annonæ maximè creuerat. nec imperasse alijs ministeria pauperum contenta, ipsa coràm adibat, inspiciebatque, an ritè & ordine omnia administrarentur. erat inter famulas prima, quæ mensam apponeret, cibos inferret, curaretq; ne quid infelices desiderare possent. nudos amiciebat, & cum res deficeret, ipsa suas gemmas, pepla, pallas detrahebat, quibus ab hyeme, rigentem gelu turbam defenderet. funera denique ipsa, Elisabethæ benignitatem sentiebant: telis nobilissimis & tenuissimis in partes diuisis, cadauera velabat, preciosas diuitum pompas in exequijs prohibebat, vt esset quod egentibus tribueretur, professa vtilius esse defunctis, viuos tegi, qui sepultis, apud authorem vitæ, pacem impetrarent. Ludouicus demùm reuersus, coniugem ad se de bonorum omnium profusione dela-

tam absoluit, porròq; iussit in studio pietatis & misericordiæ progredi. Erat, vt suprà monui, vitæ illius moderator & custos conscientiæ, medicusq; animi, Conradus Marburgius, vir summæ, ea tempestate, auctoritatis, fama nominis, doctrinæ & integritatis inclytus, & Romani Pontificis legatione, ad signandum Christi militem in orientem profecturum clarus, posteà quæsitor corruptę religionis, eoq; nomine, interfectus: apud hunc, bona principis sui Ludouici venia, castimoniam (saluo mariti iure) & obsequium voto consignauit. Erat Conradus seuerus promissi exactor, minimèq; in fæminas blandus, citata Elisabetha olim ad concionem, nescio quibus, vt in regijs aulis, multa inter os & offam, fæminis præsertim obijciuntur, impedita negotijs non apparuit, cui mox Conradus conditionem & obedientiam renunciauit, iret & quæreret alium, cui promitteret numinis authoritate obsequelam, nec præstaret. indoluit sanctissima mulier de neglecto imperio; & per internuncios precata veniam, actũ egit. venit ipsa, & ad pedes Conradi tanta princeps & regia matrona se abiecit, pacemq; tandem impetrauit, durius etiàm pedisequis castigatis: in se ipsam tam grauiter sæpe animaduertit, corpusq; regium adeò afflixit, vt religiosi possent exemplo erubescere. flagris se concidebat, & ancillarum manus virgis armabat, quibus ipsa lacerararetur. quod spectaculum ita mouit posteritatem, vt etiam in pictorum tabulas exiret, & aris publicis spectandum sisteretur. Interim Ludouicus professus militiam sacram, cruceq; insignitus, in Orientem mouit, Elisabetham viduauit; in itinere Brundusij vel Hydrunte, vt alij memorant, rapida febri extinctus. nunciatur cõiugi à Socru, primùm per ambages, mox apertè, mors Ludouici. Elisabetha concellatis digitis, quod est extremi doloris argumentum; Ergò, inquit, frater occidit meus? (sic maritum appellare consueuerat) mihi ergò simul cum illo, omnia mundi gaudia extincta sunt. illicòq; surgens & aulã percurrens ad parietem adhæsit, parum gnara quo tenderet, aut quid actitaret; ita commouerat, & nonnihil emouerat mentem subitus animi motus; sed miti præsentium oratione recreata, &

cælesti

cælesti consolatione numinis, quod in tali tempestate, suos non destituit, delibuta, animum paulatim recepit. cæterùm Deo reliquum omne vitæ tempus transcripsit. Primùm hoc telum erat, quo post Ludouici discessum, icta est Elisabetha, proxima virtute tolerantiæ, antiquissimæ memoriæ Iobo, quem ad singulare certamen tyrannus inferorum prouocauit. mox alterum longè atrociùs in eandem torsit. Henricus Ludouici germanus, malis aulæ coruis suadentibus, fratris bona, quæ ad Hermannum Ludouici ex Elisabetha filium, ex asse pertinebant, inuasit; arcesq; castra, oppida occupauit. Elisabetham, hoc est ipsam virtutem, omnibus fortunis exutam, præcipitem exturbauit. Descendit regia mulier, vt olim sanctissimus Rex Dauid, à filio, regno pulsus; descendit inquam Elisabetha omni suorum ope destituta, cum paucis pedissequis, in subiectum castro oppidum, incerta quo diuerteret. & quæ paulò ante tot peregrinis hospitia, tot ægris valetudinaria, tot miseris domicilia constituerat, ipsamet, quibus succederet tectis, non habebat. proximam indè Cauponam ingressa, illius noctis partem traduxit, quoad signa ad preces matutinas, canerent religiosi sancti Francisci, ad quorum ædem se mox contulit, rogauitq; præsides chori, vt vellent sancti Ambrosij & Augustini hymno, Deum suo nomine laudare, quod data sibi esset occasio, aliquem paupertatis gustum cum Christo experiri. tantum abest vt indignatione mota, vlli mortalium, quàmuis atrocissimis prouocata iniurijs, malè precaretur. interim omnibus exclusa tectis, quod passim omnes ciues Henrici formidarent indignationem, non fuit ausa ad primam redire cauponam. & paruuli intereà ex arce deportati sunt ad eam liberi, cum geminis inquam sororculis Hermannus, qui maternum Elisabethæ pectus dira commiseratione lancinabant, cum miserabilis matrona non haberet, quo loco paruulos reponeret. poterant hæ calamitates heroum animum frangere, quæ tamen Elisabetham non debilitarunt, cum illa tantis ærumnis afflicta, quasi fortior, vt pressa palma exurgeret. Confugit primùm ad Sacerdotis ædes; mox ducta in amplam hospitis domum, tamen ferè

extrà domum habitauit, in vltimum tecti angulum & angustias, cum tota familia retrusa, coactaq; ad sordidum cauponis stabulum reuerti. nec hic modus finisq; afflictissimæ principis fuit: ingressæ nescio quam viam oppidi, alto cæno obsitam, angusta viatori semita patebat, occurrit illic Elisabethæ anus, quam felix olim, infelicem stipe aluerat, ægram medicamentis fouerat, alijsq; beneficijs affecerat, hæc vipera, Elisabethæ non modò via non decessit, sed impulsam in medium lutum abiecit, vt omnem corporis cultum fœdissimè inquinaret, ipsaq; se, vestemq; in flumine eluere cogeretur. nec interim aduersus lamiam indignata, risu etiam suam fortunam (quam suprà fuerat) prosequebatur: sed tantam tamq; excitatam fœminæ patientiam, non passa est Dei benignitas immunem abire, cælestibus delicijs, illustrationibus diuinis, visisq; inusitatis, frequenter solari solita, magnaq; gaudiorum copia inundare, vti se penitùs in Dei prouidentiam, amicitiam, & sinum conijceret, nouosq; spiritus ad plura & grauiora perpetienda sumeret: sed propinqui sortem iniquam Elisabethæ miserati, curam illius suscepere, Matertera inquam Kitzingensis Antistita, & Ekbertus Bambergensis Pontifex; illa enim vocatam ad auunculum Bambergam viduam deduxit, qui, vti par erat, & propinquitas, ac humanitas monebant, officiosissimè exceptam, pro conditione principis, sororis filiam liberaliter habuit, sepositamq; Babestaini Castro, donec alterum illi maritum quæreret, aluit; quod vbi illa sensit hoc agi ab auunculo, vti contrà animi sententiam, & iuratam Deo castimoniam, cogeretur nupta fieri, statuit omni ratione repugnare, etsi minùs verbis profectura videretur, etiam os, truncatis naribus, dehonestare, vti procos omnes à sui contemplatione, & desiderio auerteret; hoc magis cælo se placituram rata, quominùs mortalibus arrideret. Inter hæc comites Asiaticæ expeditionis reuersi, corporis iam defæcati exuuias, vrna clausas, secū in Germanias detulere, quod vbi Bambergæ nunciatū est, Ekbertus euocatam olim Ludouici coniugem Elisabethā monet, vt venientibus viri cineribus occurrat: nouū vulnus optimæ & amantissimæ viri fœminæ

infli-

infligitur, cum in nouum funus, ipsa propemodum funus facta, vt par est credere, prodit, pignus viri amplectitur, & resumpta anima, vt erat religiosissima, Deo etiam hoc beneficium in acceptis retulit. iuuat precationis verba hic collocare, ne mutatione vocum simul pietatis gustum corrumpam:

Gratias tibi ago Domine, ancillæ tuæ ingens, quod habui desiderium in aspectu ossium dilecti mei adimplere, & afflictam & desolatam animam meam dignatus es misericorditer consolari. ipsum tibi à semetipso, & à me, in subsidium Terræ sanctæ oblatum, non inuideo; licet eum dilexerim ex corde. Tu scis Deus, quòd eius desiderabilem præsentiam mihi gratissimam, omnibus huius mundi delicijs & gaudijs anteferrem, si ipsum mihi tua benignitas concessisset. optaremq; omni tempore vitæ meæ, in egestate & mendicitate viuere, dummodo eius frui contubernio, de tuo beneplacito licuisset. nunc verò ipsum, & me, tuæ voluntatis dispositioni committo. nec enim etiam si possem, eum ad vitam reuocare, minimo mei capitis capillo, præter tuum beneplacitum, vellem.

Dein vocatos domum reduces, humaniterq; salutatos, cum considere iussisset, cæpit exponere, quid sibi, liberis, familiæ secundum mariti obitum accidisset, quàm indignis modis, ipsa tecto, liberi hæreditate, famulæ seruitio, fuissent expulsæ, neque se tàm de sua sorte queri, quàm inter beatas reputaret, vt quæ iam pridèm omnes præsentis vitę secundas res inter aduersas duceret, quàm pupillorum vicem dolere, qui præter ius fasq; omne, bonis paternis sint exuti, cum matre in vltimas vitæ necessitates coniecti, alienorumq; misericordia viuere coacti. Hospites indignitate rei commoti, causam se eius acturos responderunt, egit cum eisdem Ekbertus auunculus Elisabethæ, pontifex Bambergensis, vt suis sedibus & loco, mater cum trigemina prole restitueretur: interim ad Henricum nuncij volant, adferri vrnam pignorum Ludouici ex Apulia, Elisabetham aduentare; quod vbi inter proceres & populum increbuit, certatìm gratissima apud omnes principis memoria occursum est, funusq; maxima cele-

 britate

britate conditorio maiorum illatum. Rudolphus exin vnus ex comitibus olim Ludouici, Henricum aggressus, libera sanè voce compellauit. Ludouicus germanus tuus, fortissimus iuxtà, ac religiosissimus princeps, patriam, liberos, coniugem, principatum, vitam reliquit, vt Christo, sua Terræ sanctæ incunabula ex hostibus assereret; tu frater principis, quem ille tutorem coniugi, liberisq; reliquerat, viduam suis sedibus exturbas; ad vltimam necessitatem redactam, stipem rogare cogis; pupillos eijcis; hæreditatem inuadis; manes fratris incæstas. quid Deo iusto vindici respondebis? quid apud fratrem excusabis? quæ ista ratio inter proximas necessitudines est viuendi? tutior illa inter hostes, apud Saracenos & Paganos, imò feras, quàm leuirum vixisset. quod hostis erubuisset facere, frater designasti, vxorem fratris regia stirpe ortam, matronam æui sui sanctissimam, exemplum pudoris, pietatis, religionis proscribis? quam viri primùm discessu afflictam, morte exanimatam, ex sua possessione in exilium, in viam, in mendicitatem conijcis? tibi apud omnem posteritatem sempiternam infamiam, apud omnes sapientes indignationem, apud subiectos odium creas. erras, si perinde vt fæminæ solitudinem & viduitatem in terris omni desertam auxilio vides, à cælo quoque numinis ope destitutam credis. atrocissimam supremi numinis vindictam, in te concitas. Quid in te mulier offendit, aut potuit offendere, quam nemo ne laudare quidem satis vnquàm ob virtutem potuit? malè gessisti rempublicã, turpissimam famæ notam inussisti nomini tuo, principatus iura confudisti, pupillos à matre abstraxisti, quos ob inopiam regia mulier alere non potuit. non vides atque adeò non sentis, imminentem iugulo tuo sententiam supremi Iudicis viduarum, nisi læsam tàm atrocibus iniurijs omni ratione placas, & illam ad iratum tibi numen placandum allegas. Euerberauit oratio Rudolphi aures, animamq; principis torpentis. accepit in meliorem partem, quamuis liberam admonitionem amici, Henricus; vel quòd nondum honesta indoles omnem humanitatis sensum extinxisset; vel quod perculsus vti reor, metu numinis, nisi satisfa-

ceret offensæ, imminentem sibi vindictam extimesceret. certè ærumnis illachrymans Elisabethæ, ad illius arbitrium se promptum esse omnia quæ eripuisset redhibere, ignosceret sibi, & iras cælitum à se auerteret. peccauerat enim Henricus paulò ante adolescentiam egressus, non tam suapte ingenio, quàm improbissimorum mancipiorum scelere circumuentus, quod Henrico non primo vsu venit: multos principes & Cæsares domesticorũ seruorum impia fraude, in scelus actos meminimus. Elisabetha vbi recognouit Henricum iniurias deprecari, paratumq; ad castra, oppida, agros, omnia denique reddenda, quæ ad ipsam vel liberos pertinerent, nihil pro se exegit, nisi quæ ad dotem pertinebant, cuius vsum fructum liberè petebat, vt esset vnde egentibus largiretur: liberis sua iura salua volebat. ita conuenit inter Henricum & Elisabetham, quam officiosissimè tractauit, quamdiu apud illum in castro morata est. sed illa fastiditis aulicis moribus, ad cælestes delicias aspirabat. ambibant multi ipsius iam restitutæ thorum, sed illa desponsam Christo viduitatem sacrosanctam habuit, proculq; ab omni Veneris cupidine remouit. quod vbi proceres Turingi animaduertere, fæminam ab omni ciuili aulicoq; apparatu & fastu abhorrere, gaudere humilibus & abiectis, negligere cultum vestium, omniaq; gaudia corporis pro tormentis æstimare, exosi pietatem, quam adorare debuerant, vti mos est profanorum hominum, pro deridiculo, fanaticam, fatuam, insanam dictitare, nec alloquio, nec vlla veneratione dignari, quod sanctissimæ fæminæ multò gratius fuit, quàm si exquisitissimis cæremonijs coleretur. Erant tamen è sapientioribus, qui ipsius virtutem admirabantur, continentiã laudabant, modestiam prædicabant. quin ipse Christiani orbis pater Gregorius nonus, qui ad Ecclesiæ sanctæ clauum sedebat, cum de tantæ principis virtutibus accepisset, atque ingentes ærumnas quibus à viri morte agitata fuerat didicisset, epistolam composuit, qua illam ad spem æternorum præmiorũ excitabat, simulq; Conrado viro religiosissimo, & id loci doctissimo, qui singularem ipsius curam, patris loco susciperet, commendauit. grata fuit

fuit Elisabethæ, cura summi in orbe patris; sed habebat illa & curatorem in cælo, qui maximis illam copijs gaudiorum explebat, quibus adeò hilarata est, vti nemo in summis honorum triumphis ita exultarit, atque ipsa in omnium rerum contemptu. itaq; cœpit apud animum tractare, quibus se modis magis inter homines abijceret, vt maiore apud Deum gratia valeret. institit ergò apud Conradum, cui dudùm obsequium vouerat, petere, liceret sibi abdicatis omnibus rebus humanis, etiam ipsa dote, mendicato viuere, & ostiatim stipem rogare; quod tamen non impetrauit, sapienter Conrado fœminæ desideria temperante, quod varias sciret necessitudines in vitam humanam incidere, præsertim fœminarum. Erant prætereà Ludouici, quæ fecerat, nomina dissoluenda. illa tamen quod proximum erat, vt Christum nudum, omnibus exuta cõmodis, sequeretur, in æde sacra D. Francisci, apud religiosos, paupertatem, quantum in ipsa fuit, iurauit, omniaq; vitæ commoda eiurauit. secuta magistrum Marpurgum, vbi condita ei ædicula, sedem Conradus posuit, vestes delicatas detraxit, abiectas induit, ancillas lautiores remouit, omni denique humana consolatione spoliauit, vt ardentius & plenius Christo inhærens adoleret. Marpurgi valetudinarium instaurauit, vbique plenis votis miserabili turbæ ancillabatur, quibus ipsa mensam præbuit, & ad suam adhibuit; adeò addicta fuit ægris, vt Conradus temperare virtutis ardorem coactus sit. Et cum nulla bona largitrici sufficerent, ipsaq; leguminibus, & olusculis aqua elixis, vitam toleraret, lana facienda; quod in regijs matronis inauditum, suæq; manus precio vixit. detulit fama hanc vltimam inopiam Elisabethæ, ad Andream Pannonum regem parentem illius, quem verecundia simul natæ, & miseratio mouit, vt ex nobilissimis, Dynastam Marburgum mitteret, primum rei cognoscendæ, deinde filiæ domum reducendæ, ratus in suam redundare infamiam filiæ mendicitatem. Pama, hoc nomen legato erat, vbi Marburgum venit, ad colum sedentem regiam fœminam offendit, & attonitus: Christe sancte, inquit, quid hoc spectaculi aut miraculi regium sanguinem, Vngariæ rege natam,

Principem Turingiæ, seruarum modo, fusum torquere, in sordibus iacere, regium corpus obsitum squallere. quæ te miseram fata vrgent, aut quibus ærumnis conflictata, in hunc fortunæ casum descendisti? adsum Domina, vt te iussu Regis, ad Regem patrem reducam, qui si præsentem tuam vitæ conditionem aspiceret, examinatus concideret. Elisabetha gratijs parenti actis, decretum sibi respondit, spe melioris & æterni regis recipiendi, cæptam viuendi rationem pergere, viam sibi cæli Imperatorem præiuisse, hunc se sequi, nec ab ea, quoad viueret, recessuram. ita Comes ad Regem, illa ad lanam reuersa, quotidie maiora virtutis exempla edebat. à cuius familia nobiles puellæ remotæ, è seruili fortuna assumptæ, quæ non tàm ipsi, quàm ipsa illis seruiebat. in mensa ad latus assidebant, Dominam se appellari vetuerat, suo nomine, vt quisque è vulgo alter alterum compellat, compellari voluit. fuit inter famulares puellas Hyrmengardis, obseruatrix simul & admiratrix operum Elisabethæ, quæ in submissione dominæ suæ, attonita hærens: Tu quidem, inquit, hera, tibi præmia modestiæ concilias, dum nos mensa tua dignaris, atque assidere, eademq; quadra viuere iubes; sed vide ne dum tibi prodes, nobis obsis, quæ nobis de tanta dignitate, non mediocriter placere, atque etiam blandiri & intumescere possumus; quando iubemur cum Principe & Regina, ad eandem mensam accumbere. hic Elisabetha: nihil est quod verecunderis, ipsamq; familiariter in sinum recepit, vt se plus humilium ancillarum conuictu, quàm regiarum virginum obsequio delectari ostenderet. hanc tamen sibi authoritatis prærogatiuam retinebat, vti nemini impunè liceret vocem mittere, quæ non pietatẽ, verecundiam, religionem saperet. si quæ contrafecisset; Vbi, inquit, est Dominus, qui de se loquentibus, medius adest? adeo numinis maiestatem semper præsentem animo intuebatur. hoc vsitatum erat illi, & solemne, vt comitata puellis, domos miserorum adiret, panem, farinam, carnes, sua manu egentibus dispertiret, inibiq; vestem, lectos, supellectilem contemplata, vbi deesse necessaria animaduertit, annulis, preciosisq; capitis ornamentis

mentis oppigneratis, inopiæ ſuccurrit. quibus rebus adeò ſe Deo probauit, vt eam omnibus mortalibus ſuſpiciendam miris, & inuſitatis factis exhiberet. Mater primum Gertrudis, Bertholdi Carinthiæ & Iſtriæ principis filia, ante non paucos annos vita exturbata, piacularibus adhuc flammis vrgebatur, quòd in luxu regio, & moribus aulicis, mirum non debet videri, cum paganus olim vates monuerit, pietatem in aulis raram eſſe. Gertrudis ergò ante mortem, inopinato obtruncata, nullis expiata ſacris deceſſerat, & mens tamen Reginæ bona, ac vltimus ſpiritus, haud dubiè non ſine dolore expreſſus, ab inferis infelicem defenderunt, quæ permiſſu numinis, ſecundum nocturnam quietem Eliſabethæ viſa: Nata, inquit, dilecta, magnis adhuc flammarum tormentis crucior, ob vitam non ex lege tranſactam, exora pacem, & veniam delictis, nam potes, impetra. ſurrexit illicò de lecto Eliſabetha, ſupplicibusq; votis, numinis clementiam matri conciliauit; cui mox illa omnibus pœnis expedita, gratias egit, adiecitq; preces illius, omnibus quibus vellet, profuturas. ſed enim Eliſabethæ mens in pauperum curam tota expendebatur, hæc illius erant miranda opera: narratum eſt ſuprà, voluiſſe illam ſe omnibus bonis abdicare, prohibitamq; à Conrado animi illius moderatore, iuſſamq; penſionem annuam ex dote accipere, vnde & ipſa viueret, & alijs benignè faceret. nouerat Conradus illam, pecunia non niſi ad miſerorum opem vſuram. reſtabant tamen præter penſionem, fundi, agri, oppida, quæ bona Cōradi venia, per auctionem vendita, in pecuniam redegit: dein rogatorum infinitam ex omni vicinia turbam, ad certum diem cogi iuſſit. confluxere tantæ copiæ, vt exercitus videretur. his per miniſtros legem dixit, ne quis à deſtinato loco ſurgeret, ne bis ad capiendam ſtipem accederet; ne quis turbas cieret; qui cōtrà feciſſet, capillitio plecteretur. ita expenſæ auri marcæ quingentæ, quæ ſuprà ſexaginta millia aureorū, noſtratis hodie nummi efficiunt. nullius vnquam imperatoris, quamuis potentis tanta fuit in pauperes vno die munificentia. orbem ipſum ſi poſſediſſet Eliſabetha, in egentes partita eſſet. nemo vnquam tàm

auidus

auidus fuit æris coaceruandi; quàm cupida fuit Elisabetha eiusdem tribuendi. delata est per occasionem puella ad Elisabethā, perindè quasi dictam illius legem violasset, iussaq; est attonderi; & ferebat comam tàm laudatam, vt & ipsa se circumspiceret, & passim omnes in sui spectaculum attonitos aduerteret. puella immane vociferatur, non se ad stipem petendam, sed sororem ægram reuisendam venisse: quod cum Elisabethæ renunciatum esset, rectè factum affirmauit, non redituram ampliùs ad saltantium choros, coràmq; adductam rogauit, numne sanctioris olim vitæ cogitationem suscepisset? dudùm, inquit, virgo hoc apud me deliberatum habebam, vti res fugientes fugerem, & æternas per religiosam vitam consectarer. enimuerò flauentis & luxuriantis gratia comæ, me à destinato retardauit: Ecce tibi, quæ olim cæsaries regiam Dauidis stirpem Absalonem, à quercu suspendit, eadem hanc virginē, à voto religionis suspensam, intermisset, nisi Elisabethæ ferrum funem hunc iubarum abrupisset; quo plùs se affici dixit, atque si Hermannus filius Imperatoria cum imperio insignia cæpisset. mutauit exin puella vinculis comæ exsoluta, mentem, vestem, vitam, duceq; Elisabetha operam omnem & vitam, in valetudinario ægris impendit, āc pro vanitate capillorum, coronam numquam auferendam, recepit. Iam Elisabetha nullis poterat officijs ergà miseros fatigari, nunc publica obeundo Nosocomia, nunc singulis inquirendis, quibus inseruiret. deprehenderat pupillum omni ope humana destitutum, morboq; molestissimo conflictatum, siue dysenteria, siue hemorrhois ille fuit, assiduo certè sanguinis fluxu laborabat. hunc Elisabetha diu noctuq; suis manibus fouebat, gestabat, abluebat (cum sæpe per noctem illius opē infelix imploraret) quoad animam efflaret. Ab hoc ad virginem elephātiasi, quam lepram vocamus, laborantem, se conuertit; eamq; in suum intimum conclaue deportauit, illic omnem curam, vt postremissima serua adhibuit, vt ne quid ægra desideraret, huic cibum parauit, lectum cubicularem composuit, sordes abluit, surgentem vestiuit, ad somnum euntem deuestiuit: sed Conradus hanc ab illa curam

remo-

remouit, veritus, ne simul ipsa & familia, contagione tam infamis morbi, traheretur. Cuius loco, mox puerum fœdissima capitis porrigine, tamquàm furfuribus aspersum, curandum suscepit, denique inter ancillas ipsa ancillarum famulam egit: quicquid in culina purgandum, domi verrendum, curandumq; erat, missis subinde alio per id tempus domesticis, ipsa expediebat. Vicinam olìm partui, per mensem aluit, abeuntem pallio texit, sese excalceauit, vt miseram à pedibus muniret, quæ cum relicto infante fugisset, precante Elisabetha non potuit progredi, donec reprehensa, secum abstulit suum partum. In egentes tamen visa profusior, à Conrado coercita est, ne familia rerum necessariarum inopia premeretur: itaq; præcepit, vti singulis, non nisi singulos teruncios impertiretur: sed inuenit pietas illius, etiam hic, artem plura largiendi: dare prius sestertios solita, denarios eos in nūmos redegit, singulosq; seorsìm petenti, adnumerauit, vt nunquàm plus simplici vice daret, quàm nummū, & tamen vt sestertios exponeret. itaq; accusata à fœminis, quas illi Conradus custodes, & velut magistras apposuerat, acriter & seuerè non verbis, sed verberibus, ac colaphis multata est: cui dulce fuit, quicquid Christi nomine patiebatur. Nec minùs animis curandis, quàm corporibus intenta, multos ad expianda per confessionem peccata, multos ad religiosam vitam induxit. nihil non poterat precibus apud Deum Elisabetha. Gertrudis Leimbacha nobilis, ad Elisabetham venerat salutandam, quam comitabatur ephebus Bertoldus, profano cultu corporis ornatus, sed parùm à virtutibus excultus, vt solet vana iuuentus, parum pensi habens salutem, ante quàm ponit corporis ornamenta. hunc contemplata Elisabetha, & ex habitu oris, vestiumq; vanitatem coniectans de animo: Quid agis, inquit, adolescens parum benè ad virtutem compositæ; quamobrem non applicas animum ad virtutis cultum, & auctori vitæ tuæ te ipsum auctoras, à quo olìm æternis bonis augearis? Propitia tu mihi, inquit, numen Domina, vt illud, prout par est, colam. Vis, inquit Elisabetha, vt pro te preces fundam? annuente, & precante; Simul ergò Deo supplicemus.

cemus, ambobusq; in genua subsidentibus, in Cænobio Vverdensi, vbi res gerebatur, cæpit vterque Deo preces supplices sternere, & tam ardentes Elisabetha, vt adolescens sentiret, non animum suum tantùm, cælesti calore inardescere, sed ardorem etiam, in corpus redundare, quem cum ferre vehementiorem non posset, rogauit vt illa modum precandi faceret, sed perseuerante, cæpit sudore perfundi, toto corpore diffluere, æstuare, concidere; vt ab accurrentibus fuerit leuandus, qui maxima voce, inclamans Elisabetham, vt remitteret preces, alioquin in carbonem redigendus, desijt illa precari; ille feruere: calorem imò ardorem adolescentis, ancilla vix potuit sustinere, quæ manus illius tangebat. ipse ad S. Francisci familiam se mox contulit. Cæterùm ipsa per se, in meditationem rerum diuinarum coniecta, hauriebatur à cælesti spiritu, Christiq;, multis sanctis, stipati aspectu, frequenrer dignata absorbebatur, à quo miranda didicit, sed alto silentio pressit. Certè os à contemplatione redeuntis adeò subindè radiabat, vt cum Mose, in Sina, versata videretur: durabat hic secessus mentis, multas sæpe horas, nec à reditu mentis cibos admittebat, cælestibus epulis saginata. Sed iam decurso tam laborioso vitæ stadio, pacis tandem grata appetebat quies, ad quam ab ipso Christo, coram benignissimè inuitata, cognouit, quo die sibi vita migrandum esset: decumbebat grauiter eodem tempore, Conradus ipsius moderatur conscientiæ, ad quem ingressa discipula, solabatur laborantem; & cum inter religiosam sermocinationem, quæreret Conradus, quam vitæ rationem in sua morte ( summum sibi diem imminere ratus ) cogitaret instituere: hic Elisabetha de morte quidem Conradi conticuit, sibi verò adesse supremum vitæ tempus, idq; se diuinitùs agnouisse respondit, quartoq; ab eo die, valetudine tentari, ipsosq; dies duodecim assiduè laborare, sæpe intra eos dies cælestibus visis, symphonia illustrationibusq; recreari. Vltimis diebus, nullum amplius ex visoribus, præter Conradum, & domesticas ancillas admisit; ad vltimum tribunal iudicis, inquiebat, causa dicenda est, absint curæ mortales. ergò sacris omnibus expiata, cum de

ijs, quæ pauca supererant bona, à Conrado rogaretur, quid statueret; vestem dumtaxat vilem, qua defuncta tegeretur, sibi retinuit. reliquorum omnium, ex asse hæredem fecit in pauperibus, Christum: ad quem anno Virginei partus M.CC.XXXI. mense Nouembri, ex præsenti vita est profecta, & quarto post die in ædicula Xenodochij, quod ipsa suo ære posuerat, condita. ad funus, ingens omnium ordinum concursus est factus, pauperum lachrymis illi parentatum; quorum alij benignissimam patronam lugebant, alij suam altricem, famem & mortem formidantes, gemebant, alij denique velut ipsam parentem deplorabant. populus ex funere reliquias carpsit. prodigia inde multa ad tumulum edita, omnis generis mala, corporis & animi curata, sedecim in vita reuocati; quæ miram Elisabethæ sanctitatem adeò celebrarunt, vt in publicas relata tabulas, & præsulum signis testata, ad Gregorij IX. Pontificis Maximi tribunal, examinanda mitterentur, qui datis cognitoribus, postea quàm intellexit vera esse, quarto post anno, quàm erat defuncta, Perusij, anno Christi M.CC.XXXV. vij. Kal. Iunij, præsentibus Patriarchis Hierosolymitano, & Antiocheno, multis Metropolitanis, Episcopisq; frequentissimo ordine hominum sacrorum, & infinito populi concursu, ipso die Pentecostes, instituta supplicatione, à Gregorio, cælesti religione consecrata, sanctaq; inter Sanctos est accensa. quod vbi in Germaniam est renunciatum, tota natio excurrit, & ad sacrum corpusculum, ex humili & abiecto tumulo proferendum, transferendumq;, & nouo honore exornandum, summa frequentia accurrit, inter quos orbis Princeps Fridericus Imperator, sacri tres Imperij Septemuiri, Moguntinus, Coloniensis, Treuiriensis, illisq; minores Pontifices subiecti, Principes Imperij duo germani, Ludouici mariti Elisabethæ fratres; Henricus & Conradus, cum Sophia matre, socru Elisabethæ; denique censi omnes supra duodecies centena millia. sacer olei liquor, ex ossibus benignissimæ principis liberaliter, cum gratissima odoris fragrantia, promanauit, testis castimoniæ, sanctitatis, & in pauperes benignitatis. dona, votaq; regia, à Cæsare, &

Regni proceribus oblata. illiq; ipſi qui ante paucos annos Eliſabetham ex arce, caſtro, ædibus, omnibus egentem exturbarant, qui fatuam, & ſtultam deriſerant, nunc ſupplices ad puluerem tumbæ iacent, plorant, venerantur, ac ſibi propitiare conantur. hæc rerum conuerſio fieri ſolet in ſanctis, primum abiectis, poſteà glorioſis & diuinis. Hæc ex octo libris, in octo ferè paginas relata conſtrinxi, indignus qui de ſancta tam illuſtri, & cæleſti fæmina, tam indignè ſcribam. hactenùs pietate & eruditione ſingulari, ſacri ſcriptoris nomine dignus, Mattheus Raderus Societatis Ieſu presbyter. qui ſtatim Iuſti Lipſij verba, de Eliſabetha noſtra, ſubiungit eiuſcemodi.

Admodum puella Eliſabetha, & trimula dumtaxat, Ludouici filij Hermanni Lanthgrauij Thuringiæ, & Haſſiæ, nuptijs deſpõdetur, Legatis vtrimque miſſis, qui Ludouicus inter potentes Germaniæ Dynaſtas eminebat, & genus ac ſanguinem ad Carolum magnum referebat. deducitur in Thuringiam, anno poſt, ideſt quadriennis; & ſub oculis curaq; parentum, futuro marito creſcit, & educatur. quantis iam tum ſanctimonia indicijs, longum ſit dicere; hoc moneo: puellam, vxorem, viduam, miræ pietatis laude, celebrem fuiſſe. ideòq; à pictoribus aut ſculptoribus paſsim caput eius, triplici corona inſigniri, quam in quoque ordine illo iure ſibi poſcit. ſed hæc igitur grandiuſcula, & viri iam patiens, marito iungitur, annos nata circiter quatuordecim, is mulierem, matremq; fecit, & genuit ex ea anno altero Hermannum primum, vnicumque filium; & mox biennio poſt filiam Sophiam, quæ Duci noſtro Brabantiæ nupſit, iterumq; biennio alteram Sophiam, quæ matris opinor, monitis, aut exemplo, pertæſa rerum terreſtrium, & cæleſtia ſpirans, ſacrarum virginum cætui ſe mancipauit, in Franconiæ monaſterio Nitizinga. quod ita in Chronicis Erphordienſibus fideliter ſcriptis, reperio; & ſi alibi hanc non Sophiam, ſed Gertrudem dictam, & virginitatem conſecraſſe Aldenburgi. hi liberi, neque maritus, diu ſuperfuit; cum tactus piæ militiæ amore, anno M. CC. XXVII. vnà cum Federico Imperatore, ad Terræ ſanctæ recuperationem, iret nec

Z 2 perue-

perueniret. nam Hydrunti in Apulia, dum transgressis omnia parantur, febri correptus obijt; siue vt alij, veneno interceptus. de loco plures consentiunt; legi tamen, qui in Sicilia obijsse asserant, nostro fortasse non suo errore, cuius illius æui nomenclatura, ipsa Apulia, & Regnum illud hodie Neapolitanum, Siciliæ nomine dicerentur. sunt etiam, qui in ipsa Terra sancta obijsse, sed temerè & falsò tradunt. Loculus quidem & ossa paulò post ad mæstam Elisabetham translata; mæstam etiam ab iniurijs, quas ab Henrico fratre mariti erat passa. is enim à primis statim nuncijs de morte, Hermanni pueritiam, suum commodum ratus, prouinciam, arcem, bona inuaserat; Elisabetham cum suis eiecerat; ita properè & ferociter, vt misera paruos liberos trahens, & cum fortuna deserta ab omnibus, vix hospitium reperiret, metu potentioris. contulit se itaq; in Hassiam, tota pietati iam consecrata, eiq; assiduè, ductore quodam Conrado, religioso & optimo viro, operatur Marburgi; vbi & diem suum obijt; etsi placato iam Henrico, & ideò ab opibus instructior. sed quas non nisi in pauperum vsum, & statim largitura admisit. obijt autem quadriennio circiter à marito; anno M. CC. XXXI. quod scriptores eius æui constanter tradunt: & ergo iuuenis obijt, nec nisi annos viginti quatuor nata; breui circulo quantam virtutum copiam complexa? quæ fama, sed & miraculis diffusa, caput Ecclesiæ Gregorium tunc nonum, haud latuerunt, atque is eas produxit, & propalauit, & ipsam, conuentu & consensu, sacrorum procerum, Perusiæ, cælestium numeris adscripsit; iussitq; precibus & veneratione prosequi, & festum quotannis diem habere, xiij. Kalend. Decembris, quo ex hac vita migrasset. Diploma ipsum Pontificis, Vaticana Bibliotheca in suis registris habet, promulgatum anno M. CC. XXXV. quadriennio ab eius morte. eo autem in Germaniam perlato, concursus Marburgum factus; ossa de humiliore, in altiorem locum, translata; cum adesset Imperator ipse Fridericus, honoris & pietatis ergò, itemq; Archiepiscopus Moguntinus, Coloniensis, Bremensis, & magna vtriusque ordinis procerum manus: quo tempore è sacro cadauere

uere oleum vbertim manauit. Imperator corona aureâ decorauit, alij donis alijs: Ego te Diua breuiter laudibus, precibusq;. SALVE. ET FAVE. hactenùs apud Raderum Lipsius. qui Raderus sub imagine sanctissimæ fœminæ pauperum pedes lauantis, hoc carmen habet:

Vt caput impediant celso diademate Reges,
Tela per & flammas, arma virosq; ruunt,
Regia prò, quantum manus hæc ex regibus extat,
Abijcit ad nudos, quæ sua regna pedes,
Et pedibus claudis festinat ad altera regna,
Non rapienda armis, non capienda viris.
Quis maior, qui quærit opes? an calcat? hic illis
Imperitat, seruis, seruit at ille suis.

Hæc ille de B. Elisabetha. cuius dentium excellentiam cælestis sponsus videtur ad viuum, verbis illis ad sponsam, in sacris Canticis expressisse, quibus omnes gemellos fœtibus prædicauit. siquidem gemelli fœtus sanctitatis eximiæ Elisabethæ nostræ contigere. Margarita nempè, mox describenda ex Bela fratre neptis, virgo sanctissima, Dominicani sacri instituti preciosissima margarita. & ex sororis Teresæ filio Petro Rege Aragonum, Elisabetha Lusitaniæ Regina proneptis, nuper ab Vrbano Pontifice, sacræ antiquitatis raro cultore, Aris admota, Franciscanæ familiæ sydus fulgentissimum, vt nominis eiusdem, ita consimilium virtutum, in statu virginali, coniugali, & viduali, hæres eximia.

# VITA S. MARGARITAE VIRG. FILIÆ BELÆ REGIS VNGARORVM.



ECEDENTE post obitum sanctissimæ Elisabethæ, eius patre Andrea Rege; succedenteq; pio patri, eiusdem pietatis hærede Bela filio, nominis huiusce quarto, decimo à sancto Rege Stephano, Vngarica pietas legitimas olim Deo offerendas oblationes à lege præscriptas, integra persoluit: vt enim sanctus Stephanus pro primitijs Regi regum Deo debitis, puritatis hostiam Emericum filium, ita Bela, decimæ sacrificium, purissimam filiolam, dignam Elisabethæ neptem, eidem dicauit, obtulitq;. eam ex Maria filia Theodori Lascari Græcorum Regis in Asia, Augusti nomine, eo tempore, quo Franci Constantinopolitano potiebantur Imperio, suscepit in Dalmatia, apud Tragurium ciuium olim Romanorum oppidum, teste Plinio, marmore notum: ad quod innumera Tartarorum multitudine ex Asia, tunc primum in Europam se effundente, & post alias terras, Vngariam inuadente, post aliquot prælia, cum Coniuge, proceribus, & Gaza se receperat, quadrag. primo circiter anno tertijdecimi sæculi. trienioq; integro, ibidem circà insulam, adhuc regium nomen retinentem, hæserat. quo tempore duas alias filias in proxima arce Clissij amissas, supra portam maiorem nobilissimi templi olim à Diocletiano principe, impuro Ioui dicati, iam verò Christiana pietate Salonitanæ metropolitanæq; Ecclesiæ decori, in Spalatensi vrbe hucusque, sepeliuit, eiusmodi carmine, pro eorum more temporum, addito.

Catha-

Catharina fulgens, & inclyta Margari } ta
In hoc arcto tumulo iacent, absque vi
Belæ quarti filiæ Regis Vngaror } um
Ac Mariæ Lascari Regiæ Græcor
A perfidis Tartaris erant tunc fuga } tæ
Mortuæ in Clissio, ac Spalatum transla
Sub annis Domini mille cum ducent } is
Quadraginta duo insuper præbens legent

itaq; pij Reges prole destituti, & Regno per Tartaros pulsi, voto se se obstrinxere Deo (vt ait Laurentius Surius ex Garino, Dominicani sacri instituti ante centum nonaginta annos, huiusce virginis vitæ scriptore) si regnum liberaret à Tartaris, & filiam ipsis daret, oblaturos se illam, ipsi perpetuò seruituram, apud sorores instituti Dominicani: & Tartari quidem discessere, Regina verò concepit, & peperit filiam Margaritam. quæ vbi annos tres, & sex menses ætatis habuit, à parentibus in Monasterium Vesprimiense oblata est, eiusq; amore domina Olympias Comes, quæ eius fuerat nutrix, monasticum induit habitum, in eodem cænobio, vt & Deo seruiret, & puellam nobilem custodiret. Margarita verò in tantilla ætate, statim deuotioni se dedit, & preces horarias beatissimæ Mariæ Virginis intra annum dimidium perfectè didicit, & cum alijs persoluit, ludos verò puerilcs, quibus illa solet gaudere ætas, respuens, alijs ludentibus, orationi vacabat, imò etiam illas ludere volentes ad precandum pertrahebat. Cum verò magistra illius à precibus retrahere illam vellet, ne corpusculum suum grauaret, tam diu permansit in fletu, donec magistra lachrymis eius victa, liberam ei faceret in precibus perseuerandi potestatem: erat sanè summa humilitate prædita, nec Regis filia dici voluit, sed quoties sic appellata fuisset, cum lachrymis conquerebatur, se audiuisse vituperium. atque hac de causa rarò voluit loqui cum parentibus suis, ne ex illorum colloquio gloriosior putaretur. Dixit aliquando: Vtinam Deus hanc mihi largitus esset gratiam, vt non Regis essem filia, sed potiùs rustici cuiusdam; non nobilis, sed ancilla paupercula:

ita

ita enim liberiùs possem inseruire. postquàm autem decem, plus, minus, annorum fuit, cum multis alijs, translata est ad monasterium Insulæ Danubij, ab eius parentibus, Christi amore fundatum. cum adhuc quartum ætatis ageret annum, conspiciens Crucem quandam, sciscitabatur ex sororibus, quid rei esset? respondentibus illis: signum esse Crucis, in qua Deus Dei filius, nostræ salutis causa, suum fudisset preciosissimum sanguinem; illa his auditis, statim Crucem amplexari, & osculari cæpit, & coram illa se prosternens, & adorans Crucifixum, alta voce dixit: Domine me tibi committo Ex eo autem tempore, tanta deuotione, ergà sanctam crucē ferebatur, vt vbicumque crucem videret, quocumque etiā detineretur impedimento, sese prosterneret, eamq; adoraret. quandam etiam Crucem paruulam de ligno sanctæ Crucis habens, semper secum portabat, & die ac nocte sæpiùs osculabatur deuotè; alijs euntibus ad locum refectionis, illa semper orabat coram imagine Christi crucifixi, quæ erat in domo, vt vocant capitulari; & aliquandò tàmdiù manebat, in oratione, vt vsque ad alteram refectionem non comederet. Orabat vt plurimum ante altare sanctæ Crucis, vel coram imagine Crucifixi. tanta quoque deuotione complectebatur nomen Iesu, vt quasi semper illud in ore haberet; nec aliquid illi sapidum videbatur, nisi sonaret ibi nomen Iesu. Corpus autem Christi, in sacramento altaris, deuotissimè venerabatur, & sub eleuatione illius in Missa, flebat vberrimè, & frequenter ab eleuatione, vsque ad sacram communionem, sic præ deuotione manebat abstracta à corporis sensibus, vt quasi mortua videretur, quando verò sacram erat communionem perceptura, die præcedenti, non sumebat nisi panem & aquam; & tota nocte in orationibus permanebat. sumebat autem ipsum sacramentum, cum magna deuotione, & multò lachrymarum imbre, atque interdum adeò rapiebatur in spiritu, vt ceu mortua videretur; nec raro visa est inter cælum, & terram, plusquàm cubiti altitudine eleuata, nullis corporis sensibus vtens. post acceptam verò Eucharistiam, tenebat ab vna parte mappulam ante facies, ad communionem

nionem accedentium, hoc fine, vt videret identidem Corpus Christi. ipsa quoque die, qua communicarat, persistebat continenter in precibus, vsque ad noctem, & tunc cibo valdè modico vtebatur. Beatam quoque Virginem Dei matrem, præcipuo venerabatur affectu, & vbicumque eius videbat imaginem, flexis genibus, salutationem Angelicam proferebat. in vigilijs Natiuitatis Christi, & quatuor solemnitatum beatæ Virginis, ac intra octauas, offerebat eidem sanctissimæ Virgini, mille salutationes Angelicas, ad singulas quasque humi se prosternens. Humilitatis & paupertatis studium, vestibus præcipuè declarabat. pannus quo induebatur, rudior erat, asperiorq; ac vilior vestibus aliarum. numquam lineis vtebatur, nec in capite, nec in corpore, nec in lecto. per totam Quadragesimam non mutabat vestes, & alijs quoque temporibus, raro admodum. vestimenta eius rarissimè lauabantur: itaq; tum propter vetustatem, tum longum vsum, contrahebant sordes, & vermes multos; quæ causa fuit, vt multæ vitarent eam, nec illi vellent assidere; ne inficerentur vermibus eius. quando hortabantur eam sorores, vt vestes curaret mundari, & à vermibus expurgari, dicebat: Permittatis corpus meum, amore Iesu Christi Domini nostri, ab his vermibus lacerari; non sit vobis isthuc curæ, ego sola fero & sentio. raro balneis, rarissimè vnguentis, raro capitis lotione vtebatur. In Quadragesima verò, numquam à quinto ætatis anno, laneum indusiũ deposuit, neq; tunc lineis ad carnem, vtebatur indumentis, etiam si morbo esset correpta. circa septimum annum, asperum cilicium ad carnem ferre cæpit, & deinceps per totam vitam. in aduentu Domini, & Quadragesima, ieiunijs quatuor temporum, vigilijs Christi, & beatæ Virginis, Apostolorum, & præcipuorum Sanctorum; alijs verò temporibus, à die Iouis, vsque ad Completorium Sabbati sequentis, eo vtebatur. à duodecimo verò anno, in quo professionem expressam fecit, Confessarius ei occultè obtinuit, & tradidit cilicium asperrimum, è pilis equorum, & setis porcorum, cum multis intextum nodis, instar retis. Occultabat autem Virgo, quantum poterat, ciliciũ suum, vt à nullo

videretur; manicas de panno veteri assuebat cilicio, à cubito vsque ad manus. hortabatur etiam socias sorores secretè, induere cilicium ad nudam carnem. præter hoc habebat sub cilicio circulum ferreum, quo caro eius nuda fortiter stringebatur, & ad iacendum nocte, habebat cingulum è pellibus hericij spinis hirridum. crebrò etiam voluit ligari brachia sua nuda funibus cannabinis, & in tantam stringi, vt funes carni inhærentes, eam rumperent, ac lacerarent. habebat etiam in calceis suis clauiculos quosdam ferreos, quorum acumina ita erant disposita, vt quandocumq; vel ambularet, vel subsisteret, plantas pedum eius pungerent, atque cruentarent. corpus quoque suum multis ictibus flagellabat; nocte qualibet post disciplinam, vt vocant, cum alijs communiter acceptam, secedentibus cæteris, rursus ipsa, se cædebat virgis vel virgultis spinosis, vel cum virgulis circumpositis pellibus aculeatis hericij, iubebat se ab alijs verberari, vsque ad sanguinis effusionem; quæ licet horrerent, attamen contradicere non audentes, obediebant inuitæ, & inter cædendum plorabant: ducebat autem eas ad loca secreta, vt clàm verberaretur, ne ab alijs posset animaduerti. tantùm verò fatigabantur verberando eam, vt vix possent respirare. & quamuis eiusmodi verbera quotidie perferret, specialiter tamen, die sancto Cœnæ, & duobus alijs ante Pascha, singulis horis diurnis & nocturnis, tantis se afficiebat verberibus, & flagellis, vt sanguis ex eius corpore vbertim emanaret. quadam nocte, cum essent densissimæ tenebræ, duxit quandam sororem ad locum admodum secretum, vt ibi manibus eius verberaretur, vbi cum se spoliasset, & carnem nudam exposuisset, lux copiosa de cælo super eam descendit, & totam illustrans domum, tamdiù durauit, donec completa verberatione, vestes resumpsit; quibus vbi se induit, lux euanuit, & duæ sorores, quæ hoc viderant, accurrerunt, & se precibus eius commendauerunt. quadam quoque die, cum adhuc non nisi decem esset annorum, inueniés iuuenculas virgines ludentes in valetudinario, & propter obscuritatem tenebrosi temporis, parum aut nihil videntes, dixit eis: Vultis vt faciam vobis apparere solem?

ſolem? illis deſiderantibus; ſed impoſſibile putantibus, indicauit locum quemdam digito, ſatis propinquum, & dixit eis: ibo vſque ad locum illum, & antequàm reuertar ad vos, videbitis ſolem clarè lucentem. iuit & orauit, & ſtatim ſol apparens, & clarè lucens, totam domum illuminauit. quodam tempore cum circa mediam noctē, eſſet in ambulacro, quod eſt ante dormitorium ſororum, & de cæleſtibus cogitaret, apparuerunt ei Sol & Luna, lucentes in medio Cæli. Carnem ſuam abſtinentijs & ieiunijs aſſiduis macerabat. crebrò ſedens ad menſam cum alijs, maiori temporis parte, quo cæteræ veſcebantur, velabat faciem ſuam, & tacitè orabat. ſi cibus delicatior, vel vinum melius eſſet appoſitum, indignè ferebat, & accipere noluit; non niſi cibo & potu communi vti volens. ab exaltatione ſanctæ Crucis, vſque ad Paſcha, quotidie ieiunabat; & ſi Prioriſſa eam cogere vellet vti diſpenſationibus, tandiù flebat, donec Prioriſſam vinceret lachrymis, vt eam permitteret ieiunare. non ſolùm autem in vigilijs Natiuitatis Chriſti, & beatæ Virginis, verùm etiam Pentecoſtes, & Apoſtolorum; ſed & quorumlibet Sanctorum ſolemnium; & per totam Quadrageſimam, ac omni quarta, & ſexta feria, vt plurimùm, ſolo pane, & aqua cōtenta fuit, & illis diebus, permiſſum illi erat, priuatìm cibum ſumere, ne ab alijs videretur. à carnibus ſemper abſtinuit, toto tempore vitæ ſuæ, niſi graui, & euidenti infirmitate teneretur. ſuas ægritudines cælabat, quantum poterat, ne propter eas in valetudinario hærere, & carnes comedere cogeretur. quadam vice, grauem fluxum ſanguinis paſſa fuit, quadraginta diebus, at nihilominùs ſemper comedit cū alijs in Refectorio, cubuit in Dormitorio, & fecit officia Monaſterij, perindè vt ſana, hoc ſolùm ſciente in ſecreto, quadam ſorore, cui inhibuerat, ne alijs reuelaret. A quarto anno ætatis, ſemper in die Paraſceues ieiunauit; toto verò triduo ante Paſcha, ſingulis annis, non ſe reponebat in lectum, nec dormiebat, nec comedebat, vel bibebat; ſed continuè vel ſtans erecta, oculis eleuatis in cælum, vel ante altare S. Crucis iacens proſtrata, niſi quando diuinum perſoluebat officiū, orabat, legebat pſalterium,

 flebat,

flebat, & corpus diutiùs ſolito, vſque ad largam effuſionem ſanguinis verberabat. & quidem corpuſculum eius propter abſtinentias, vigilias, & afflictiones alias, adeò fuit macilentum, & pallidum, vt intuentibus admirationem afferret. exhibebat ſe ſororibus, ad omnia officia, vel miniſteria, ancillam humillimam: ſæpè ſeruiebat in Refectorio, & vbi cibum ſororibus appoſuerat, currebat latēter ad Eccleſiã, & orabat donec comediſſent; & tunc iterum rediens, illis inſeruiebat. nec ſolùm ſanis, verùm etiam infirmis, idq; libentiùs & deuotiùs, miniſtrabat. prima reſciſcebat earum ægritudines, moxq; ſe ad ſeruiendum offerebat. obſeruantias, ſiue inſtituta regularia, perfectiùs cunctis alijs, tota vita ſeruauit. erat ſummè ad obedientiam parata, & ſi Prioriſſa aliquid, ſororibus faciendum imponeret indiſcriminatìm, erat ad exequendum prima, & omnes ad promptè obediendum ſuo prouocabat exemplo. Nolebat parci ſibi à pœnis, quæ cæteris ſororibus irrogabantur. itaque rogauit Priorem prouincialem, vt ipſi, ſicut alijs, multam irrogaret, pro fractione ſilentij, ſicq; factum eſt: nam cum alijs humi diſcubuit, panem & aquam comedens. erat etiam mitiſſima, multæq; commiſerationis, & benignitatis ergà illas, quæ ipſam iniuria affeciſſent. ſi qua ſoror ei iniuriam faceret, proſtrata ad pedes eius, petebat ab ea veniam, & promittebat ſui emendationem. diſcordantes & turbatas, reducebat ad pacem. ſi ſoror per aliquot dies ei locuta non fuiſſet, quærebat eam, proſtrataq; rogabat veniam, timens ne aliquid haberet aduerſus eam. Virginitatem cordis, & corporis, ſemper ſeruauit, & præcipuè dilexit. ea cauſa matrimonium Ducis Poloniæ, & Regis Bohemiæ, atque etiam Caroli Regis Siciliæ, recuſauit. & cùm diceretur ei, quòd Papa diſpenſaret in voto ſolemni continentiæ, quod iam fecerat, reſpondit, ſe potiùs præciſuram ſibi naſum ac labia, & oculos euulſuram, quàm in cuiuſcumque matrimonium conſenſuram. vt autem tales infeſtationes euaderet, benedictionem virginalem ab Archiepiſcopo Strigonienſi ſuſcepit. Cum autem diceretur, Tartaros venire in Vngariam, & inter cætera mala, Virgines violare, ait Margarita:

Ego ſcio quid faciam, labia mea detruncabo, & cum me ſic viderint deturpatam, miſſam me facient. Erat valdè miſericors, & compatiebatur miſeris. quando parentes mittebant ei aurum vel argentum, vel ſtrenas & munuſcula, nihil ipſa contingebat manibus, ſed per manus Prioriſſæ, curabat diſtribui pauperibus Monaſterijs, Eccleſijs, & Sacerdotibus, ac alijs indigentibus. cum mittebatur ei pannus precioſus pro veſte, dabat illum pauperculis ſororibus, recipiebatq; ab illis, earum vilia indumenta. ſi per feneſtram chori vidiſſet pauperem, currebat ad Prioriſſam, orans, vt pro illius neceſſitate faceret eleemoſynam. vidit quandoq; hominem inopem & nudum, in acerrima hyeme, moxq; exuens optimam tunicam ſuam, cum bona venia Prioriſſæ, pauperi illā dedit. veſtes & linteamina mittebat ſeruientibus, quando ægrotabant; fercula ipſi appoſita, in menſa, & xenia, quæ à parentibus mittebantur, crebrò diſtribuebat infirmis, ita vt non rarò ipſa ieiuna, à menſa ſurrexerit. hortabatur ſorores, vt quæ eleemoſynas corporales facere non poſſent, cum viderent pauperes, pro eis orarent. omnibus igitur indigentibus compatiebatur, deſolatas conſolabatur. ſi qua ſoror propter mortem, ægritudinem, vel aduerſus caſus amicorum lugeret, lugebat cum ea, & eam confortabat, quando videbat, cæcos, claudos, aridos, & alios morbidos homines, plorabat, & gratias agebat Deo dicens: Gratias ago Deo, qui me talibus corporis, vitijs, & incommodis ſubieciſſet, ſi ipſi placuiſſet. Orabat aſſiduè, & à ſeptimo ætatis anno, vbicumque videbat ſorores orantes, accurrebat, & orabat cum eis. omni tempore, ſurgebat ad nocturnas preces, nec vnquam in vita ſua, ab illis, vel etiam à Miſſa, & cæteris precibus horarijs abſens fuit, niſi grauis eam morbus impediret. præueniebat omnes ad Eccleſiam, diùq; antequàm pulſaretur ad nocturnas preces, orabat ante lectum, & audito ſigno reponebat ſe in lectum, ne ſorores ſurgentes, eam ad lectum inuenirent orantem. antequàm è ſtrato ſurgeret; muniens ſe ſigno Crucis, accipiebat Crucem, & oſculabatur, oculiſq; apprimebat, & portans eam ſecum, ibat ante altare ſanctæ Crucis, vel imaginem

Cruci-

Crucifixi, & ibi orabat cum lachrymis, donec sorores chorum intrarent. post illas noctis absolutas preces, vsque ad auroram, vel circitèr, manebat in orationibus, & sic ferè tota nocte, vigilabat, & orabat. ab aurora verò, vsque ad prandium, auscultando Missę sacrificio, & orationibus vacabat; interim vsque adeò silentij tenax, vt nulli vellet loqui, ne ipsis quidem parentibus, vel fratri aut sorori, aut eorum nuncijs, nisi per Priorissam cogeretur. Contigit vt soror eius veniret ad eam, asserq; caderet super caput orantis; at illa nec propter casum asseris, nec propter aduentum sororis, orationem interrupit. captabat loca secreta ad orandū; antequàm iret ad prandium, continuè vel operabatur manibus, vel seruiebat infirmis, aut sanis, vel orabat. nunquam illi tædio fuit orare, post Completorium manebat orans, in templo, donec ianua clauderetur; & sæpè quidem rogabat custodem, vt tardiùs ianuam clauderet, quò diutiùs posset suis precationibus immorari. clausis verò ianuis, orabat in domo capitulari, ante imaginem Crucifixi. postremò clausis omnibus ostijs, orabat ante lectum, vsque ad gallicinium; & tunc excitabat quandam sociam, & ducebat ad locum secretum, vbi se voluit eius manibus flagellari. Antequàm somno se daret, ambulabat silenter per dormitorium; explorans si qua soror fleret, gemeret, vel re aliqua indigeret: si quam indigam comperisset, prouidebat ei; & sic demum ibat cubitum; quamquàm vix sciri poterat, num in lecto iaceret; nam expanso corio ante lectum, & lapide capiti supposito, dormiebat. intrabat autem lectum, cum aliæ debebant surgere, vt ita semper in lecto iacuisse crederetur. In vigilia Natiuitatis Christi, mille orationes Dominicas; in vigilia Pentecostes, millies Veni sancte Spiritus; & in quatuor vigilijs beatissimæ Mariæ Virginis, mille Angelicas salutationes, cum totidem sui prostrationibus dicebat; atque in ijsdem vigilijs, tota nocte, in templo vigilabat, & orabat. in orationibus semper flebat; habebat genas adustas, profluuijs lachrymarum, quibus detergendis, multa deterebat sudariola. velum quoque capitis adeò erat lachrymis madidum, ac si fuisset aquis intinctum, propter assiduas

proſtrationes,in cubitos & genua, veſtes eius, in ijs locis,erant laceræ; cutis itidem in genibus contrita fuit; & tandem creuerunt ibi calli,inſtar teſtę oui induratæ. duabus ſeptimanis ante Paſcha, occupabatur commemoratione Dominicæ Paſſionis, cuius hiſtoriam ſibi legi voluit, vulgari idiomate, & exponi. audiebat verò cum gemitibus & lachrymis, ijsq; diebus, ſemper vel ſtabat erecta, vel iacebat proſtrata, numquam ſedens. quandoq; in Dominica Palmarum, dum Paſſio in Eccleſia legebatur, adeò commota fuit corde, vt omnes crederent eam ſubito morituram: in die Paraſceues, ea hora qua Crux nudabatur, proſtrata edebat magnos eiulatus, ita vt foris audiretur. In vigilijs quoque Martyrum, curabat ſibi legi & exponi paſſiones eorum, & illos imitari deſiderans, dixit ſæpenumero: Vtinam fuiſſem illis temporibus, quibus feruebant perſecutiones Martyrum, & cum eis licuiſſet obire martyrium; vtinam eſſet tempus alicuius perſecutionis; vt martyrium pro Chriſto poſſem ſuſcipere; vellem enim eius amore, detruncari, & comburi; & vt dolor duraret diutiùs, per membra ſingula laniari, & omni genere tormentorum excruciari. laudabat ſpecialiter Virgines, quę pro Chriſto ſuſtinuere martyrium; & earum in ferendis martyrijs optabat, ſi eſſet poſſibile, ſe fuiſſe participem. Cum ſparſus eſſet rumor Tartaros aduentare in Vngariam, ait Virgo martyrij deſiderio: Orabo ne veniant, vti ne noceant populo Chriſtiano; ſed quantum ad me attinet, vellem iam veniſſent, vt manibus illorum martyr poſſem effici. & quia mens eius ad cælum magno deſiderio ferebatur, corpus etiam ſequi volebat. vnde non raro, in die ſancto Paraſceues, & omnium Sanctorum, & Aſſumptionis beatiſſimæ Virginis, vigilijs, & ſolemnitatibus, viſum eſt corpus eius inter cælũ, & terram, pluſquàm cubiti ſpatio, eleuatum; ſicq; diu permanebat, nulli ſenſibus vtens corporeis, & quaſi mortua videbatur. Quadam vice in peruigilio omnium Sanctorum, cum oraret, ſubitò velut mortua cecidit, ſicq; permanſit, donec ſoror quæ illi aderat, totum pſalterium tractìm dixit; tum verò mortuam eam putans, ſtrepitum & voces edidit; ſed nihil proficiens,

alias

alias vocans, mortuam esse dixit. accurrebant illæ, & velut mortuam intuebantur; tandem ad se rediit, seq; non nisi breui spatio ita fuisse aiebat. quodam tempore cum oraret, vocata septem vicibus, nihil audiuit. octauò autem cum vocaretur, quàm primam illa vocationem putauit, demùm respondit. cum à precibus rediret, sæpe tanta in eius facie venustas relucebat, vt eam sorores adspicere non auderent. quadam vice in Aduentu Domini, cum oraret nocte, subitò rapta fuit in spiritu, & globus, ac flamma ignis apparuit super caput eius; porrò soror ei assistens, crebrò vocauit eam; sed cum non responderet, cucurrit ad templum, vbi multas sorores orantes inuenit. accurrerunt illæ, diuq; ibi steterunt, & multos quidem faciebant strepitus, sed illa rapta in spiritu, nihil aduertit. tandem quasi excitata, ad se rediit. dixerunt ergo ei, quod ignis esset super caput eius: at illa eum manu discussit, rogauitq; vt nemini dicerent, quod vidissent. postquàm autem flamma disparuit, odor suauissimus in illo loco remansit. denique ollam ardentem, & tripodem ferreum candentem, de medio ignis nuda manu sine læsione manus extraxit. accidit quãdoq;, vt cum alia sorore portaret in tabula panes fermentatos ad furnum, mappula copertos, eaq; soror timeret ventum validum, qui iam suo impetu, tectum domus capitularis transtulerat in pomarium: orauit ergò, & statim ventus cessauit. Cum frater quidam eius precibus nollet acquiescere vt maneret, & die crastino haberet concionem, orationibus eius, nullo tãgẽte, fractus est currus fratris, & sic coactus est remanere. peracta verò concione, rogauit virginem, vt currum sibi restitueret. orauit illa cum lachrymis, & statim currus nullo tangente, sed multis videntibus, fuit diuinitùs reparatus. simile quoddam contigit etiam aliàs cuidam fratri, manere renuenti: cum enim vsque ad villæ limites processisset, orante virgine, fractus est currus, & eius absoluta concione, instauratus. itèm alius quidam frater ad preces eius manere nolens, vt concionaretur, vbi abscessit, cum tempus esset mirè serenum, virgo sicut ei comminata fuerat, orauit Deum vt benè plueret, vt manere cogeretur, vel inuitus; &

ſtatim tanta extitit pluuia, vt diſcedere non poſſet. quodam tempore, Danubius inundans, hortum ſororum triduo inuaſit. at prior prouincialis Margaritæ hoc narranti, non credidit: erubeſcens verò illa quod mendax putaretur, rogauit Deum, vt oſtenderet vera ipſam dixiſſe: moxq; inundans Danubius, in cænobium, & officinas ſororum ſeſe intulit: itaq; ſorores fugerunt in ſolarium, Priorq; prouincialis ad cænobij murum aſcendit. durauit autem inundatio vſque ad preces veſpertinas. tum verò Margarita rogata à ſororibus, orauit Dominum, vt aqua recederet; ſtatimq; receſſit, & ſub precibus nocturnis, loca omnia adeò ſunt exiccata, vt nullum vel aquæ, vel luti veſtigium ibi permanſerit. Puella quædam miſſa ab ea nocte Paſchæ, ad quærendam eius tunicam, cum eſſet nox obſcura, & ingens pluuia, cecidit in puteum profundum: diu verò quæſita non inueniebatur, donec orante ſancta virgine, in ſuperficie aquæ apparuit, & cum labore extracta eſt. eius autem omnia corporis membra confracta, & conquaſſata erant, carebatq; ſenſu & motu, & planè mortua videbatur. improperabant itaq; virgini, quod fuiſſet cauſa mortis eius; orauit autem virgo beata, cum lachrymis, & ſtatim puella viua, & ſana nullam habens læſionem, ſurrexit & ambulauit, proſtrataq; ad pedes eius, gratias egit, & poſteà multis annis ſuperuixit. cum ſorores quandoq; medicamenta apponerent cuidam oſſi eius dilatato, & quædam ſoror ea cauſa murmuraret, mox illa idem os ſimiliter affectum ſenſit in ſuo corpore, donec ad virginem veniens, culpam dixit ſuam, & veniam poſtulans, verbo illius ſtatim curata fuit. ſoror quædam grauem patiens dolorem digiti, rogauit eam, vt ſi quam haberet gemmam, talis doloris expultricem, ipſi accomodaret. at illa ſtrinxit digitum eius, & confeſtim dolor ceſſauit. Prior prouincialis rogauit eam, vt curaret ſocium ſuum fratrem conuerſum, à quartana febre, quæ illum vexarat, à feſto B. Dominici, vſque ad purificationem beatæ Virginis. orauit ergò pro eo, & quamprimùm curatus eſt. Claruit etiam ſpiritu prophetiæ. nã cum Rex Bela, pater eius iuiſſet pugnatum contra Ducem Auſtriæ, dixit Reginę matri ſuæ, Regẽ
cæſo

cæso Duce, victoria potiturum; quod & factum est. Nouitię cuidam cogitanti de elegantia vestium, & sæcularium ornamentorum, atque hac de causa volenti redire ad sæculum; quid cogitasset indicauit, sicq; eam in arrepto proposito confirmauit. quandam sororem animo dolentem, quod sæculo renunciasset, ad sanam mentem reduxit, cum totam cogitationis seriem ipsi exposuisset. aliam iræ stimulis incitatam, pacauit, eius cogitationes, quas animo voluebat, ei dicens. aliam quoque ira commotam, nec se ipsam tranquillare valentem, sedauit, causam illi aperiens, cur in eam perturbationem incidisset, & quid interim cogitasset. Obitum quoque suum, anno vno, antè præuidit, & prædixit, & tandem, die nona Ianuarij, cum sana esset corpore, multis præsentibus dixit, die ab hinc decima se morituram. tertia verò die, postquàm ita prædixerat, febre decubuit, quæ vsque ad diem quem prædixerat, continua fuit; & interim semper orans, & de Deo cogitās, receptis deuotissimè Ecclesiasticis Sacramentis, vbi ad extremam horam venit, incæpit psalmum illum: In te Domine speraui. & cum dixisset: In manus tuas commendo spiritum meum: felicem animam transmisit ad cælum. Obijt autem anno Domini 1270. ætatis verò suæ 28. Porrò in ordine vitam sanctam duxerat, annis quatuor & viginti, vel circiter. Post transitum eius, facies nimio decore resplenduit. sub oculis color extitit aureus. nec vnquam pulchrior visa fuerat, dum vixit: adeò vt Archiepiscopus Strigoniensis diceret sororibus, non debere eas flere quasi mortuam, quæ esset verè beata, & cum Christo in gloria, & in cuius corpore resurrectionis insignia apparerent. simul etiā ex eius corpore, manauit odor suauissimus, aromata superans vniuersa; isq; sensibiliter à cunctis, eo aduenientibus percipiebatur, aliquot, non paucis diebus. Quartadecima quoque die, cum saxum rude fuit eius sepulchro impositum, & rursus post tres menses, quando fuit illi tumba adhibita marmorea, is odor erupit. nocte qua decessit, Frater Petrus lector Iauriensis, post nocturnas preces dormiens, audiuit in somnis vocem dicentem: Agna mortua est. manè ille hoc dixit fratribus, & om-

nes

nes interpretati sunt de obitu Margaritæ: statimq; ad monasterium accessit, & eam illa nocte migrasse comperit: idem frater grauem dolorem dentium, & tumorem in facie, quatuor dies & noctes passus erat; noctis igitur principio, orauit virginem Christi Margaritam, vt ipsum liberaret, promittens se diebus singulis, in honorem eius genua curuaturum, si voti compos fieret, & ecce mane fuit penitus liberatus; multa quoque alia miracula fecit, & facit continuè in honorem sponsæ suæ, sponsus virginum: hæc hactenùs Laurentius Surius, de nostra Virgine: quæ ne oculis sponsi cælestis, sterilis virtute dentium appareret, gentili prærogatiua, sanctissimæ amitæ Elisabethæ, id obtinuit, vt ex fratris sui germani Stephani Regis, filia Maria Siciliæ Regina, pronepotem Ludouicum, candidissimum Minoritanæ familiæ lilium, sanctissimum Tolosatium Episcopum, Virgo ipsa, exemplo suo, ad virginitatis amorē ita pelliceret, vt illius studio, spretis amplissimis Vngariæ, Siciliæq; Regnis, quæ ipsi primogenito, iure naturæ debebantur, ijsdem humilitatis gradibus, quibus & illa, æternum cæli Regnum conscenderit. Sacrum virginis corpusculum, post varias illius, per Vngariam translationes, hodie in Posoniensi amplissima Vrbe translatum requiescit, sed argumento eius Angelicæ puritatis, ita integrum, vt non à quatuor seculis, sed à paucis annis, videatur depositum: quod adeò longæuum miraculum, & virginalis eius excellentiæ mirabile trophæum, quia in vita ipsius, ante duodeuiginti annos, à me Illyrico sermone, typis Veneticis excusa, & germanæ meæ sorori Dominicæ, tunc temporis in Vrbe Traguriensi Monasterij Monialium fundatricis, & primæ Abbatissæ, tamquàm exemplar nouellæ familiæ instituendæ, dicatum, minimè adnotaui; hic immortali gloriæ veræ Margaritæ cælestis, restitutum volui.

VITA

# VITA
# S. SABBAE EPISCOPI
## SIMEONIS STEPHANI RASCIÆ
## REGIS FILII.



RES huius nominis, hactenùs illatos cælo, præclaros ſanctitate viros, Catholica veneratur Eccleſia. horum primus & antiquiſſimus Sabba natione Cappadox, in Palæſtina, plurimorum Monachorum pater, quinto ſæculo Chriſtiano, poſt defenſum Chalcedonenſe Conciliũ, contrà hæreticos, ſancto fine claruit. alter Gothus ſub finem eiuſdem ſæculi, à Gothorum Rege Athanarico, martyrio affectus, egregiè triumphauit. tertius eſt Sabba noſter, Simeonis Stephani Raſciæ Regis, præclara ſoboles, qui decimotertio ſæculo, morum ſanctitate, regiam ſuorum progeniem illuſtrauit. Raſciæ Regnum, cum præter admodum paucos noſtrates, qui illius meminere, vix aliquis ex externis attigerit ſcriptoribus, breuitèr hic aliqua de eo, ſimulq; Regibus ipſius perſtringemus. Tellurem, hoc regnũ, eandem planè cõprehendit, quę ante Romanum Imperiũ, Dardania, mox Mæſia ſuperior, ſub Imperatoribus verò, qua Danubium attingit, Dacia Aureliani & Ripenſis, ſub declinationem Romanæ maieſtatis, iterũ priſco nomine Dardaniæ recuperato, denique inclinato imperio, ac fermè extincto, Sirbia, Serbia, ac Seruia, à Sirbis populis, à Tanai fluuio, populariter eò commigrantibus, poſtremò regnantibus in ea Nemaniæ familiæ principibus, Raſcia, ſiue à Ruſſis, vel Ruthenis, qui cum Sirbis Danubium tranſierant, ſiue ab antiquis Tauriſcis, Iuſtino, Plinio, Ptolomæo, ibidem notis, & eodem loci deſcriptis,

ſeu

ſeu demùm à Raſca, nō admodum nobili fluuio, per tellurē eandem ſtagnante, dicta eſt. Raſcię nomen ſub finē duodecimi Chriſtiani ſæculi, obtinuit, Nemiania ſtirpe rerum potiente. Huius gentis author Stephanus, in Tuglo Boſnenſi oppido genitus, cùm Lyubimirum filium magni animi iuuenem reliquiſſet, is virtute quæſitum Tarnóuium territorium, ád Drinā fluuium in Sauum vndas voluentem, Vroſcio filio cum dignitate nominis, à Principibus Boſnenſibus concesſa, tranſmiſit. Hic Deſſam filiū, Deſſa tres liberos, Dynaſtia ſemper adaucta, reliquit hæredes, Miroſlauum nimirum, Chreſſimirum, & Nemaniam, magnos Comites appellatos: horum poſtremus, egregia opera vicinis nauata Principibus, depreſſis, vel loco pulſis inferioribus Regulis, ijs præſertim, qui originem ſuam ad ſanctiſſimi Principis magni Conſtantini poſteros referebant, Niſſenſémq; Vrbem cum adiacenti territorio, ſub Conſtantinopolitanorum Imperatorum tutela, Archontis titulo, tenuerant, magnam ſibi authoritatem inter populares comparauit. Ea tempeſtate Federicus Romanorum Imperator, dum ad ſacrum Palæſtinæ bellum, iter per Illyricanas intendit Prouincias, à Nemania in Vrbe Niſſa, Regiæ opulentiæ excipitur hoſpitio, non ſolùm, ſed maximis præterea auctus muneribus, magna pompa ad Thracium deducitur littus: Imperator indignū ratus, adeò magnanimum hoſpitem, abſque aliquo grati animi argumento, à ſe dimittere Regis Seruiæ titulo decoratum, perpetuum cum poſteritate, Romani Imperij declarauit amicum. hac occaſione, Regnum ampliſſimè dilatatum, Tihomilo, & Simeoni, Stephano nuncupato filijs, illud obiens reliquit. ſed maiori filio breui patris fatum ſubeunte, vniuerſa poteſtas in Simeonem recidit. qui per Bulgariæ, Macedoniæ, Epyri, Dalmatiæq; fines dilatato Regno, Stephani nomine retento, nouos titulos, inde ſibi comparauit. à quo conſuetudo in poſterùm introducta, vt primogenito in Regno ſuccedente, alter ab illo frater, Magnus Seruiæ Iupanus, appellaretur. tantâ hic dexteritate regnaſſe fertur, vt omnium illius ætatis Principum gratiam & amicitiam, conciliatam haberet: Conſtantino Straſci-
miro

miro dicto, cuius maiores, Rex Nemania parens suus, Nissensi Principatu spoliarat, non solùm ablatas ditiones cum Principatu restituit, sed Gelizam quoque sororem eius vxorem sibi accepit, ex qua nobilissimam filiorum triadem, vt mox dicemus, suscepit. licet eà mortua Eudociam Alexij Imp. filiam facem familiæ suæ posteà duxerit. Romanum tamen inprimis Pontificem coluit, & loco patris in omnibus habuit. vt videre est ex litteris Stephani eius filij, Magni Iupani Seruiæ, ad Innocentium tertium summũ Pontificem datis, quibus postquàm illum tanquàm patrem suum spiritualem salutat: Nos, inquit, semper consideramus in vestigia S. Romanæ Ecclesiæ, sicuti bonæ memoriæ pater noster. ita ille. moriens itaq; tres filios pius Princeps, ex vxore Geliza reliquit, Vuksanum, Vencianum, & Rascum, Vuksanus, latinis Vulkanus appellatus, tanquàm primogenitus, Regnum Dalmatiæ, & Diocliæ obtinuit. fratri Venciano, Stephano, voce græca interpretato, Seruiæ, Rasciæq; principatu, cum titulo Magni Iupani, fraterna æquè, ac Christiana charitate concesso. inter quos & præfatum Innocentium Pontificem, plures epistolę intercessere, vt in eiusdem Pontificis Decretali libro est videre. Rascus tertio loco genitus, viuente adhuc patre, cum ab infantia animũ ad pietatem adiecisset, indeq; præ cæteris fratribus, à patre diligeretur, vbi primùm adolescere cæpit, Aulicas turbas pertesus, inscijs genitoribus, domo prolapsus, ad sacros viros, qui iuga montis Athos, ex Macedonia in Ægeum mare, alta crepidine procurrentis, incolebant, sese recepit. qui locus ea tempestate Thebaidis, Syriæq;, sacras solitudines referebat, confluentibus in illum verè sacrosanctum montem, idcircò à græcis agios oros appellatum, ex vniuerso Oriente non solùm, sed & ex Occidente, solitariæ vitæ vndique amatoribus. præsertim cum per ea tempora, Constãtinopolitani Imperij clauus, sicuti & eiusdem Ecclesię temperamentũ, penes latinos extaret. ineunte enim tertiodecimo Christiano sæculo, Balduinus Comes Flãdrię, iturus in Palæstinã, prius opera Venetis, Iadrẽsi bello nauata, in Dalmatia; cũ mox eisdem coniunctis viribus, Alexio Isaaci Angeli filio, qui per Alexiũ

Comne-

Comnenum tyrannum ſolo paterno fuerat deiectus, in auitũ Regnum reſtituto, paulò poſt eodẽ Principe, vix Regni guſtatis primitijs, per Murzuphlum vnum ex proceribus Græcis, Regno, vitaq; deturbato, Conſtantinopulitanum Imperium, impio parricidæ eripuerat, illudq; cum ſocijs diuiſerat, ita vt faſcibus Regni apud ipſum manentibus, Patriarchalem Thronum Veneta natio ſuppleret, Ægei maris inſulis, eidem genti conceſſis; Bonifacio verò Montisferrati Marchioni, Regno Theſſaliæ, cum Inſula Creta; Gothifredo Francico Dynaſtæ, Athenarum, & Achaiæ principatu. ita vt vniuerſa Græcia Eutropéa, ad Romani Pontificis obedientiam tranſitum faceret. cuius ſumma poteſtas per eas oras, viguit ſexaginta annorum ſpatio, dum poſt Balduuinũ, Henricus eius frater, tum Petrus Antiſſiodorenſis, huiusq; filius Robertus, & demũ alter Balduinus habenas Græcanici regni tenuerunt. qua occaſione, Conſtantinopolitanis Præſulibus, ſicuti Græciæ, ita etiam adiacentium regionum populis in Catholica vnitate retinendis, toto niſu intentis, pietas extincta fermè per eas partes, breui reuixit. exemplo filij, prius pater, Regno duobus natis relicto, valedicens Eudociæ, Alexij Regis græcorum filiæ, quã poſt mortem prioris duxerat coniugis, in Papicio monte, teſte Niceta, Monaſticam vitam arripuit. quo tempore Regius adoleſcens Raſco, Sabba inter cænobitas dictus, poſt magna virtutum incrementa, ad maturam ætatem progreſſus, mortuo Theodoro Seruienſi Epiſcopo in eius locum, vel inuitus ſufficitur. Vrbem Seruię, ne quis totũ Regnum pro ea, accipiat, Ioannes Cantacuzenus Imperator, ita illã deſcribit: Seruia vrbs non parua, ad confinia Botiæę & Theſſaliæ iacet, ædificata eſt ſuper montis ardua prominentia, ſtatimq; à principio ſemetipſa altior, ſicut eſt, accedenti apparet: in ipſo autem iugo montis deſinit, triplici muro diſtincta, & interſepta, vt foris exiſtimes tria eſſe oppida, aliud poſt aliud, vtrinque vallibus profundis circumdatur. hæc & plura c. 19. lib. 4. cuius Eccleſię cura poſt inſtantiſſimas populorum, Regisq; ac Magni Iupani fratrum preces, tandem ſuſcepta, ita ſuo paſtorali muneri fecit ſatis, vt Conſtantinopolitanus

Patriar-

Patriarcha in omnibus suæ curæ partibus, quacumque Illyricæ linguæ vsus habebatur, ei suas vices cum amplissima authoritate demandaret, vnde vulgò tamquam alter Patriarcha, est habitus. præcipua tamen ei cura fuit, circà Seruiensem Ecclesiam, quam ob Schismaticorum vicinitatem, siluescentem potiùs agrum, quàm benè cultam vineam, inuenerat: quamobrem totis in eo viribus incubuit, vt ab erroribus repurgatam, cultui pietatis Catholicæ restitueret. quo in negotio pastorali ipsius solicitudini, magno adiumento fuit, authoritas Regij sanguinis, fratrumq; regnantium fauor, spectatissimæ pietati, coniunctus. præsertim cum non ità pridè, vtriusque Principis Christiana industria, Concilium nationale in illis partibus, Romani Pontificis Innocentij authoritate, fuisset celebratum. præsidentibus Ioanne sedis Apostolicæ Capellano, & Simone Subdiacono legatis, in eoq; saluberrimæ constitutiones, pro reformatione Cleri, tàm Dalmatiæ, quàm Seruiæ, & Diocliæ, editæ fuissent, subscribentibus Ioanne Dioclen., & Antibaren., Archiepiscopo, Dominico Archipresbytero Antibaren., Episcopisq; Petro Scutaren: Ioanne Polatien:, Petro Driuasten., Dominico Suacien., Natali Dulcinen., Theodoroq; Seruien.; magno applausu Vuksani Regis, Vencianiq; principis. in eo siquidem comprobatum fuit, quantas vires pietas cum authoritate Regia coniuncta, in excolendis siluescentibus Ecclesiarum agris habeat: cum breui tempore nō tantum Seruiensis eius Sponsa, sed omnes circumcirca positæ Christianæ plebes, in antiquum pietatis nitorem reflorescerent: Pastorali eius indefessæ solicitudini, regio sanguine roboratæ, dos altera, summis quibusq; Præsulibus inprimis necessaria, Discretio nimirum, proximè iuncta accessit; cum enim populi, sibi per vices Constantinopolitani Throni commissi, ex Græcis, Latinis, Illyricisq; ritu, scituq; discrepantibus, constarent, mistisq; sedibus, plerumque inter se agerent; ita eorum saluti promouendæ, ita pacis inter eosdem conciliandæ, Christiana dexteritate, prudentiaq; se gessit, vt ex diuersissimis gentibus, moribus, animis omnium in sui amorem, & obseruantiam adtractis, eos tamquam

vnius familiæ plebeculam, charitate mutua, coniunctos efficeret. adauxit præstantiam discretionis, in nobilioribus stemmatibus rara virtus, affabilitas, qua, vt neminem ad se accedentem exclusit, ita non nisi lætum abscedere permisit. in perlustrandis & adeundis piorum gregibus, nulla locorum distantia, asperitate, gentiumve ferocia, deterreri potuit vnquam, quominùs ad omnes accederet, cunctisq; paternas aures, & pectora aperiret. Aliquandò tùm priscæ educationis memoria, tum muneris exequendi officio, cum ad Cænobia Sancti montis, quem ex Macedonia in Ægeum procurrere diximus, accessisset, sacramq; illam turbam, plurimis Lauris, id est domicilijs, iuxtà diuersarum linguarum proprietates, distinctam, inuiseret, subijt præclarum, inter præcipua loci, Cænobium, in quo plurima iuuentus, iuxtà illorum temporum consuetudinem, sæcularem posteà vitã actura, inter Deo sacratos viros, instituebatur. de quorum statu, speq; cum loci præsidem interpellasset, isq; prorsùs in eiuscemodi iuuentute educanda, vtpotè quæ nec minis, neve flagellis ab innata ferocitate quicquam remitteret, oleum & operam amitti conquereretur; sanctus vir, Præside in partem, sed coram senioribus accepto, interrogauit hominem: vtrum expediret teneras arborum plantas, ita ab iniurijs temporum seruare munitas, vt radicatæ inter septa, murorumq; arcta propugnacula, & solis & venti sæuitiem ignorarent, & vtrum ab eiuscemodi planta maturæ arboris vnquam sperare posset incrementa? cumq; ille respõdisset: nil minus, quàm quid tale ab eiuscemodi cautela? tum Sabba: ergonè ingenuis parentibus, claroq; sanguine nata soboles, durius quàm arbor vilissima, cuiq; inseruitura, erit educanda? & quid mirum nobilissimorum natalium prolem, nullis virtutum incrementis augeri, dum sæuissimarum ferarum instar, carceribus, flagris, omni denique inhumanitatis rigore, inter viros Deo sacratos, ad diuina æquè, ac humana fastidienda adigitur. Et qui fieri poterit, inquiens, vt vnquam vel vestri, vel rerum à vobis propositarum capiantur affectu, dum vos durissimis exactoribus, immaniores experiuntur? tenella planta iuuentutis, à rigidiori-

bus

bus tempestatum turbinibus, est illa quidem præseruanda, eò tamen temperamenti tenore, vt suauiores salubrium ventorum auræ, iucundioresq; solis radij, minimè illis opportuno tempore denegentur. quod si fiat, & iuueniles plantas beneficentissimorum agricolarum spem, non elusuras, & ijsdem agricolis, nulla, vel minima fastidia allaturas. Statuarios etiam, metallorumq; fabros nequaquam perpetuis ictibus, efformãdo signo insultare, sed aliquando post malleos, ad limaturas, & ab ijs ad vnctiones, & molliores extensiones, manum admouere. quin interdum ne limaturis plus nimio rigeant, vel vnctionibus pulueri inhærendo modum præbeant, ventorum auræ, solaribusq; radijs exponi. Humanis quoque corporibus non eosdem cibos omnibus conducere, sed pro naturæ diuersitate, alimenta subministrari debere, eandem rationem in animis pertractandis, & ad virtutem efformandis adhibendam, secus ex hominibus, vniuersali Reipublicæ detrimento, belluas fieri, idq; eorum culpa, qui belluinis modis, similes sibi iuuenes informant. iterum atque iterũ mente reuoluerent, an vllibi gentium plantas audiuerint, quæ vbi primùm radices tenellas solo infixerint, maturos fructus proferant? pristinos ætatis annos in memoriam reuocarent, examinarentq;, an prima adolescentia, ea iudicij grauitate, morumq; præstantia viguerint, qua iam graues annis alijs, exemplo prælucerent? ipsa frugum semina, prius humida sub tellure, nisi putrescant, in herbam assurgere nequaquam; herbam porrò non nisi post alternantes tempestatum anni vices, ventorumq;, pluuiarumq; simul, ac radiorum solis indulgentia, in aristam & spicam, ipsaq; demum victualia grana coalescere. ijs plurimisq; alijs paternis monitis, & piæ iuuentutis iugum, ad illam diem vix tolerabilem, saltem inutilem, ne perniciosum dicam, alleuauit, & ipsis moderatoribus, molestissimæ curæ onus, reddidit suauissimum. hisce dotibus Seruiensi Ecclesia, alijsq; plebibus egregiè institutis, post plures annos, in pastorali officio, vtiliter exhantlatos, pristinæ solitudinis, & vni sibi vacandi desiderio, tandem obtinuit, vt solutus ab Ecclesiæ suæ vinculo, antiquos montis

Athos recessus repeteret. ita tamen, vt & alibi Monasticam vitam agentibus, aliquandò sui præsentiam non denegaret. hinc dierum meritorumq; plenus, demùm in Milesceuo Cænobio, intra auitas ditiones constituto, terrena sarcina deposita, volauit ad cælos, die quartadecima Ianuarij, circa quinquagesimum tertij decimi sæculi annum. Vitæ eius fusiori stylo prosequendæ, non defuit occasio, ex ijs monimentis, quæ à solitarijs viris Athos incolentibus collecta, ad memoriam posteritatis habentur transmissa. verùm cum ea græca fide laborare non ambigamus, vtpotè posterioribus temporibus conscripta, quibus extincto Latinorum imperio in Græcia, latinæ quoque synceritatis puritas euanuit, Palæologis regnantibus Principibus; quæ tamen ad nostra tempora, sanctitatis eius comprobandæ admiranda contigere, breuiter subtexam. & quidem præclarum illud, & sanctitate celeberrimum virorum proprium, corpusculi nimirum eius integritas, per trecentos quinquaginta annos, magno peregrinorum concursu celebrata fuit, tanta omnium membrorum consistentia, vt recenter extincti hominis cadauer appareret. indicio absque dubio puritatis eius Angelicæ. cuius sacræ reliquiæ violatio, quanti steterit sacrilegis, nostra ætate, admirando successu, spectatum est. Siquidem Sinanus summus Ottomanicæ aulæ purpuratus, alter Pompeius, siue Belisarius habitus, quippè qui Tunetano Regno in Africa, ex Hispanorum manu erepto, Persico Regno in Asia, ad extremas angustias magnis reportatis victorijs redacto, demùm in Europa, capta munitissima Vrbe Iaurini in Vngaria, Germaniæ, Italiæq;, ne dicam Christiani orbis propugnaculo, cum plurimis alijs magni momenti Arcibus, & Oppidis per Vngariam, cum post tot victorias, & triumphos accepisset, Christianos iugo Turcico pressos, sancti Sabbæ opem implorantes, nonagesimo quinto anno sextidecimi Christiani sæculi, Strigonensem Vrbem Vngariæ metropolim, Vissegradum Pannoniorum olìm Regum sedem, Vaciam pariter, & Chanadium Episcopales vrbes, cum alijs plurimis per Vngariam, Transyluaniam, Slauoniamq;, & Croatiam, in Christianam liberta-

tem-

tem vindicasse, Transyluanorum Principe Sigismundo, & Michaele Valacchorum, à Turcarum amicitia recedentibus. Bulgarosq;, ac Seruios, sancti Sabbæ imagine, militaribus vexillis exornatis, cum præfatis sentire Principibus, & occulta agitare consilia, coacto centum millium militum exercitu, in Seruiam irrupit, belloq; reliquijs sancti Episcopi indicto, ad Milesceuum oppidum, vbi magna veneratione, cultæ habebantur aduolat, ac sacrum corpus tumulo extractum, flammis incendit sacrilegis. constans adhuc fama Turcarum æquæ, ac Christianorum testimonio roborata perseuerat, vbi primùm flamma sancti viri corpus inuasit, ab ipso rogo, ad cælum vsque, magna barbarorum confusione, mille coloribus speciosam diutius, Iridis instar, perseuerasse nubeculam, incertum, cælestisne tutelæ circà sacras reliquias indicem, an infelicissimæ cladis Turcarum, quæ sacrilegum facinus statìm est consequuta, cùm ipsius impij ducis infami post cladem interitu, portentum; à paucis siquidem Vngaris & Valacchis, potentissimi exercitus Imperator, ad illam diem victor vbique, fusus, inter præliandum, proprij equi morsibus in paludem deiectus, & in turpem fugam coactus, cum post fugam iterum instaurato milite, cũ Sigismundo Transyluano, lõge inferioribus copijs stipato, manu collata, fortunã tentare voluisset, iterũ fusus, & fugatus, Byzantium ex fuga repetens, cuius virtus militaris, ex Asia, Africa, Europa, triumphos retulerat, vbi semel eadem virtus impio, sacrarum reliquiarum, afflata est incendio; Deo, qui capillos capitis seruorum suorum, sacrosancto numero vult esse intactos, barbaricum sacrilegium vindicante; perpetuo dedecore, funesto fine vitam conclusit: Quam porrò cultum, & honorem, Deus reliquijs serui sui exhibitis, gratum habuerit, quibusque beneficentiæ suæ muneribus eiuscemodi cultores cumulauerit, nobile monimentum in familia Cossacia, inter Patricios Venetos illustrissima, est videre; hæc enim quamuis beneficio Regum Bosnæ, ac Seruiæ, amplissimum principatum, ex intimis Dalmatiæ visceribus, ad Dardaniam mediterraneam, decem dierum itinerationis in longitudinem obtinuisset, non alio

tamen,

tamen, quàm sancti Sabbæ Ducatus nomine, illum appellauit, ipsosq; Duces regnantes, custodes sepulchri sancti Sabbæ, dici & esse voluit, adeò vt in ipso stemmatis gentilicij ornamento, Leonem clauem attollentem superpositum gestet. hinc licet ante centum annos principatu, ab immani hoste occupato, vertere solùm coacta fuerit, tanti Sancti patrocinio, summorum Principum affinitatibus eminentissima, inter Venetos, locum patriciorum retinens, eorundem prouentuum reliquijs vitam traducit, quos olìm florentibus eorum rebus, Respublica Veneta, pro Catharensis vrbis proprietate, Ducibus sancti Sabbæ, soluere pacta conditione tenebatur. adeò nulla diuturnitate temporis, impensa Dei famulis obsequia, benignitate diuina destituuntur. Viget Illyricanæ non solùm Ecclesiæ, sed ipsis, quorum intolerando iugo maxima ex parte eadem premitur Ecclesia, Turcis, nobilis annua celebritate, ad vndeuigesimum Kalendas Februarij, S. Sabæ memoria, quam fracto tyrannico iugo, eiusdem sancti patris, ac cæterorum Regiæ fæcunditatis Illyricanæ sanctorum patrocinio, futuram semper faustã speramus, hæc de sanctissimo præsule, ipsis hodie Christiani nominis hostibus Turcis, & vnionis Catholicæ euersoribus, Schismaticis nedum, Catholicis nostratibus, culto inprimis. cuius sacræ reliquiæ licet ab impuro Sinano fuerint flammis combustæ, manet tamen & sacro loco, & sancti viri tumulo, in eodem sacro loco, vbi semel quieuit, idem honos, qui prius, assidua Illyricorum peregrinatione solemniter attestatus. & quidem Nemaniæ familiæ Principum, mira solidæ pietatis, ad eorum penultimum Stephanum parricidam, non solùm, sed etiã opera græculæ coniugis Helenæ (adeò huius generis Helenę perpetuò Regnis ferales extitere) Catholicę Romanæ vnitatis, ab auis suis religiosissimè cultæ, desertorẽ, alioqui magni animi virũ, extitit obseruantia, vt ex innumeris per vniuersum Illyricum, ad ipsa sacræ Palæstina loca, sacratis ædibus Deo dicatis à fundamentis, vel regali splendore ornatis, bona ex parte, adhuc inter Turcicos furores, extantibus est videre. gratissimum porrò omnium piorum huiusce familiæ operum, Deo fuisse, pretiosis-

tiosissimam illam ex puro argento, amplissimæ formæ Yconiam, D. Nicolao, in Barensi Basilica, ab Vroscio Stephano Rege dicatam, vel inde apparet, quòd ab eo tempore, quo in venerandi sacrarij penetralibus, eiusdem Basilicæ, pretiosa seruatur Yconia, nulla temporum calamitas, aut offensi Dei vindex ira, Barensi Vrbi, vel regioni proximæ incubuit, quæ aspectu solo, cælo gratæ imaginis, per vias Vrbis circumlatæ, non resederit, aut conquieuerit. vt vitæ S. Nicolai, & Yconiæ ipsius disertissimus & eruditissimus scriptor, & illustrator Antonius Beatillus, Barensium ciuium decus, superius à nobis, sed nunquam satis superq; laudatus, ingenti volumine nuper edito testatur. cuius Yconiæ nobilem descriptionem, vt apud illum Lector magna voluptate poterit contemplari, ita regiæ inscriptionis Epigrammate, sub ipsa sacra Yconia insculpto, vt hic valeat delectari, illud ipsis verbis expressimus.

ANNO DOMINI M.CCC.XIX, MENSE IVNII, SECVNDA INDICTIONE, VROSCIVS REX RASCIÆ, ET DIOCLEÆ, ALBANIÆ, BVLGARIÆ, AC TOTIVS MARITIMÆ, DE GVLFO ANDRIANO, A MARI, VSQVE AD FLVMEN DANVBII MAGNI, PRÆSENS OPVS ALTARIS, YCONIAM MAGNAM ARGENTEAM, LAMPADES ET CANDELABRA MAGNA DE ARGENTO, FIERI FECIT, AD HONOREM DEI, ET BEATISSIMI NICOLAI, EIVS, OBRADO ADSTANTE DECATARA, FILIO DESISLAVA, FIDELI, ET EXPERTO, A PRÆDICTO REGE, SVPER DICTO OPERE DEPVTATO, ET NOS ROGERIBVS DE INVIDIA, PROTHOMAGISTER, ET ROBERTVS DE BAROLO, MAGISTER, IN OMNIBVS PRÆFATIS, OPVS DE PRÆDICTO MENSE IVNIO INCÆPIMVS, ET PER TOTVM MENSEM MARTIVM, ANNI SEQVENTIS, TERTIA INDICTIONE, FIDELITER COMPLEVIMVS.

quo Elogio Pietatis, maximi Nemaniæ Regum, varijs connubijs vicissim meis atauis iunctorum, finem pro nunc, Regiæ sanctitatis Illyricanæ fæcunditati, finem imponimus. Regiq; sæculorum immortali, & inuisibili, soli Deo reddimus honorem, virtutem, & gloriam, & benedictionem in sæcula sæculorum, Amen.

# FINIS.

## ERRATA SIC CORRIGAS.

| *Pag.* | *Vers.* | *Errata* | *Correctio* | *Pag.* | *Vers.* | *Errata* | *Correctio* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1 | 11 | Nœui | Noeui | ibid. | 19 | restitueremur | restitueremus |
| ibid. | 12 | Irana | Irena | ibid. | 29 | Marcello | Marcelli |
| 6 | 19 | hac | hæc | 65 | 17 | proposuetat | proposuerat |
| 12 | 15 | Platoni | Plato | 73 | 19 | adolesεentem | adolescentem |
| ibid. | 27 | exrincti | extincti | 82 | 9 | Vangianas | Vangionas. |
| 15 | 26 | refumat | resumat | 84 | 30 | mercatur | mereatur |
| 16 | 4 | inecsum | incessum | 85 | 9 | dignatur | dignatur. |
| 17 | 21 | affecto | affecta | 89 | 4 | propendamus | propendeamus. |
| 18 | 19 | irtus | irritus | 93 | 29 | manibus | mænibus |
| 19 | 1 | repat | repetat | 101 | 2 | affusti | affuisti |
| 20 | 10 | Angtlus | Angelus | 106 | 21 | accepra | accepta |
| 33 | 18 | vteto | vtero | 168 | 5 | auctor | victor |
| 36 | 1 | barbariciti | barbaricis | ibid. | 27 | hgimines | homines |
| ibid. | 25 | prænobili | prænobilis | 125 | 2 | præscre | præcessere |
| 37 | 24 | affectibus | affectibus | 131 | 19 | vaoantem | vacantem |
| 39 | 8 | sanctis | sancti | 151 | 3 | [illegible] | VIRGINIS |
| ibid. | 24 | accendentibus | accedentibus | 159 | 7 | iilud | illud |
| 43 | 3 | Fili | Filij | 160 | 1 | restituta | restitutam |
| 55 | 13 | Soerate | Socrate | 192 | 12 | natiuite | natiuitate |
| 52 | 15 | eperam | operam | 215 | 21 | machinantet | machinantes |
| 58 | 17 | proograuit | procurauit | 218 | 16 | Begiæ | Regiæ |
| 63 | 18 | eum | cum | ibid. | 20 | circu | circà |
| ibid. | 26 | admiratrona | admiratione | 226 | 17 | BAPTISERIO | BAPTISTERIO |
| ibid. | | dramatam | damnatam | 227 | 13 | Illyrieis | Illyricis |
| 64 | 16 | Taddæum Donolam | Taddæi Donolæ | ibid. | 30 | iuberim | interim |

*Reliqua prudentiæ Lectoris remittimus.*

## REGESTVM.

a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb.

*Omnes sunt Terniones, præter* b *Quaternio, &* Bb *Duernio.*

De S. Imp. Constantino plura habemus

apud Surium Tom. 4. die 16. Julij.

De eius Baptismo. Vide in hoc libro fol. 121.

In loco, quo fuit à Sancto Syluestro Papa baptizatus, Sancto Joanni Baptistæ extruxit Ecclesiam. f. 122.

Vrbem quoque Romam cum nobilissima Italiæ portione Romano Pontifici, perpetuæ sedis loco donauit &c. fol. 122.

Sanctus Constantinus nunquam fuit Arianus, nec persecutionem Sancto Athanasio irrogauit. Vide à fol. 137. Vers. Præstat enim Diuum Hieronymum &c. usque ad fol. 140.

Sanctus Constantinus habetur pro Sancto tam ab Orientali Ecclesia Græca Schismatica, quàm à Græca Catholica, ac etiam à Romana Ecclesia, et die 21. Maij eius memoria perpetuò celebratur. fol. 147.

Romana tamen Ecclesia non celebrat festiuitatem Sancti Constantini, sed permittit honores ei datos à tota Ecclesia Græca, et etiam à Latina in Inghilterra in Sicilia, Boemia, Calabria, alijs Catholicæ Romanæ Ecclesiæ locis. Vedi nel Quinto tomo dell'Effemeride del Padre Geronimo Bascapè à 21. Maggio nella Vita di Santo Costantino fo. 440. n. 2.

